BIBLIOTECA
CENTRALE
L. 23.

Digitized by Google

LITURGIARUM

ORIENTALIUM

COLLECTIO.

TOMUS II.

Digitized by Google

LITURGIARUM

ORIENTALIUM

COLLECTIO

OPERA ET STUDIO EUSEBII RENAUDOTII PARISINI.

EDITIO SECUNDA CORRECTIOR.



TOMUS SECUNDUS.

FRANCOFURTI AD MŒNUM
JOSEPH BAER,
BIBLIOPOLA.

PARISIIS
J. LEROUX, JOUBY ET SOCII,
VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 9.

1847

Digitized by Google

INDEX

DISSERTATIONUM ET LITURGIARUM QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

DISSERTATIO de Syriacis Melchitarum et Jacobitarum Liturgiis. I
Ordo Communis Liturgiae secundum ritum Syrorum Jacobitarum. 1
Alius ordo generalis Liturgiae. 12
Liturgia sancti Jacobi Apostoli fratris Domini. 29
Observationes in commune Officium Liturgiarum Syriacarum Ritus Jacobitici. 45
Observatio in Liturgiam sancti Jacobi. 73
Liturgia minor sancti Jacobi fratris Domini ordinata per Gregorium Catholicum Orientis, inter montes Armeniae magnae anno Graecorum MDCCCCIII J. C. MDXCI. 126
De Jacobi breviori Liturgia Observatio. 132
Liturgia sancti Xysti Papae Romani. 134
In Liturgiam sancti Xysti Notae. 142
Liturgia sancti Petri principis Apostolorum. 145
In Petri Liturgiam Notae. 153
Liturgia Petri II. 155
In Liturgiam secundam Petri Notae. 160
Liturgia sancti Joannis Evangelistae. 163
In Joannis Evangelistae Liturgiam Notae. 169
Liturgia duodecim Apostolorum Sanctorum, quam ordinavit Lucas Evangelista magni Pauli discipulus. 170
In Liturgiam sanctorum Apostolorum Notae. 175
Liturgia Marci Praedicatoris et Evangelistae. 176
Ad Marci Liturgiam Syriacam Notae. 184
Liturgia S. Clementis Romani. 186
In Liturgiam Clementis Romani Notae. 199
Liturgia S. Dionysii Athenarum Episcopi. 202
In Liturgiam Dionysii Atheniensis Episcopi Notae. 212
Liturgia sancti Ignatii. 214
In Liturgiam sancti Ignatii Observatio. 225
Liturgia S. Julii Papae Romani. 226
In Liturgiam Julii Papae Nota. 233
Liturgia sancti Eustathii Patriarchae Antiocheni. 234
In Liturgiam S. Eustathii Notae. 239
Liturgia S. Joannis Chrysostomi. 242
In Liturgiam S. Joannis Chrysostomi Notae. 253
Liturgia S. Joannis quae in Missali Chaldaico Chrysostomo tribuitur. 255
In Liturgiam Joannis Chrysostomi secundam Notae. 259
Liturgia S. Marutae Catholici sive Metropolitae Tagritensis. 260
In Liturgiam S. Marutae Notae. 269
Liturgia sancti Cyrilli. 274
In Liturgiam S. Cyrilli Notae. 284
Liturgia Dioscori Patriarchae Alexandrini. 285
In Liturgiam Dioscori Notae. 295
Liturgia Philoxeni Episcopi Mabugensis, seu Hieropolitani. 300
In Liturgiam Philoxeni Notae. 306
Liturgia Philoxeni Hieropolitani secunda. 309
In secundam Philoxeni Liturgiam Notae. 319

Digitized by Google

INDEX.

Liturgia Severi Antiocheni, quae in aliis Codicibus Timothei Alexandrini dicitur. 320
Ad Liturgiam Severi Observationes. 329
Liturgia Jacobi cognomento Bordayaei, seu, ut Graeci pronunciant, Baradati. 332
In Liturgiam Jacobi Baradati Notae. 341
Liturgia Matthaei Pastoris. 346
In Liturgiam Matthaei Pastoris Notae. 352
Liturgia sancti Jacobi Episcopi Botnanensis et Serugensis Syrorum Doctoris, qui Tabelita etiam vocatur. 356
In Liturgiam Jacobi Serugensis Notae. 366
Liturgia B. Jacobi Interpretis Episcopi Edesseni. 370
In Liturgiam Jacobi Edesseni Notae. 379
Liturgia Thomae Heracleensis. 383
Ad Liturgiam Thomae Heracleensis Observatio. 389
Liturgia Mosis Bar-Cephae. 390
Ad Liturgiam Mosis Bar-Cephae Observatio. 397
Liturgia Philoxeni Episcopi Bagdadensis. 399
In Liturgiam Philoxeni Bagdadensis Observatio. 407
Liturgia Doctorum sanctorum a Joanne Magno Patriarcha ordinata. 409
In Liturgiam Doctorum sanctorum Observatio. 419
Liturgia Joannis Basorensis. 420
In Liturgiam Joannis Basorensis Notae. 433
Liturgia Michaëlis Patriarchae Antiocheni. 437
In Liturgiam Michaëlis Antiocheni Observatio. 447
Liturgia Dionysii Episcopi Amid, qui et Barsalibi. 448
In Liturgiam Dionysii Barsalibi Notae. 453
Liturgia Gregorii Catholici Orientis, qui Abulfaragius et Bar-Hebri dictus est. 455
In Liturgiam Gregorii Abulfaragii Notae. 467
Liturgia S. Joannis Patriarchae, qui Scriba et Acoemetus dictus est. 472
In Liturgiam Joannis Acoemeti Notae. 486
Liturgia sancti Dioscori Episcopi Insulae Cardou, sive Gordyaeorum. 489
In Liturgiam Dioscori Episcopi Gordyaeorum Notae. 505
Liturgia Joannis Patriarchae Antiocheni, qui prius vocatus est Joannes filius Maadni. 508
In Liturgiam Ignatii sive Joannis filii Maadni Notae. 502
Liturgia Ignatii Patriarchae Antiocheni, qui etiam dictus est Joseph F. Wahib. 524
In Liturgiam Ignatii Patriarchae Antiocheni, cognomine filii Wahib Notae. 538
Liturgia Basilii ex versione Andreae Masii. 543
In Liturgiam Basilii a Masio conversam Observationes. 557
Dissertatio de Nestorianorum Liturgiis. 561
Liturgia Apostolorum sanctorum, seu Ordo Sacramentorum. 578
Liturgia beatorum Apostolorum composita a sancto Adaeo et S. Mari Orientalium Doctoribus. 581
In Liturgiam Apostolorum sanctorum Notae. 592
Liturgia Theodori Interpretis. 610
In Liturgiam Theodori Interpretis Notae. 615
Liturgia Nestorii, quae celebratur quinquies in anno, scilicet in Epiphania, in vigilia S. Joannis Baptistae, in vigilia Doctorum Graecorum, feria quarta hebdomadae supplicationis Ninives, et in Paschate. 620
Ad Nestorii Liturgiam Notae. 632

Digitized by Google

PRAEFATIO.

CUM Syriacarum Liturgiarum si unicam Basilii ab Andrea Masio Latine redditam excipimus, Versio nulla huc usque prodierit, magnusque sit illarum numerus, eas omnes interpretari et in unum corpus conjicere, operae pretium visum est. Ignotae enim fuerunt nostris Theologis, quod Syriace tantum extarent. Ex illis quatuordecim Syriace Romae editae fuerant anno MDXCII. sub titulo *Missalis Chaldaici ad usum Ecclesiae Maronitarum*, quamvis ad illos nullatenus pertineant, sed Jacobitis propriae sint. Illae porro interpolatae cum fuerint, nullius ad fidem Catholicam confirmandam usus esse poterant. Omnes igitur quascumque nancisci potuimus, et longe plures quam ipsi Maronitae enumeraverint, ex Codicibus optimae notae, Latine explicatas, haec Collectio repraesentabit.

Quanta sit illarum autoritas ad cognoscendam penitus Orientalium de Eucharistia fidem, quamque vanis argumentis impugnatae fuerint, in Dissertationibus praemissis alteri volumini satis dictum est. De interpretatione, ut accurata esset, quantum in nobis fuit praestitimus. Commentarium in Ordinem Generalem, et in Liturgiam Jacobi, quo disciplina explicatur, ex probatissimis apud Orientales autoribus collegimus. Is Commentarius, cum omnibus Liturgiis aeque conveniat, reliquis explicandis sufficit; nisi quando occurrunt nonnulla, quae singulari aliqua observatione indigent: ea vero subjectis unicuique notis explicavimus.

Nulla istarum Liturgiarum in antiquis et bonae notae codicibus manuscriptis reperta non fuit, adeo ut de illarum auto-

Digitized by Google

ritate et sinceritate nulla possit esse suspicio. Praecipuos habuimus ex Bibliotheca Colbertina, alios ex Seguieriana quam Illustrissimus literarum literatorumque cultor Petrus Seguierius Franciae Cancellarius magno studio collegerat. Illorum usum benignissime mihi concessit Illustrissimus Metensis Episcopus, Henricus Carolus Dux Coislinius, cui hoc nomine mecum plurimum debent Antiquitatis Ecclesiasticae studiosi. Magna quoque laus debetur memoriae viri summi Joannis Baptistae Colberti, qui maxima Orientalium librorum ad rem Christianam spectantium copia, insignem Bibliothecam suam ornavit, quam ab avo fundatam, a patre et patruo conservatam, magno literarum bono tuetur, et eruditis viris communicat V. C. Carolus Leonorius Colbertus Comes de Seignelay.

Ex illarum Liturgiarum consensu non modo quae ad confirmandam Graecae Latinaeque Ecclesiae concordiam de Eucharistiae fide pertinent, cognoscentur, tanquam ex publicis Jacobitarum tabulis, sed etiam multa circa proprias illorum opiniones et disciplinam, quae parum fideliter a recentioribus et ab antiquis scriptoribus explicata sunt, illis etiam quorum magna autoritas huc usque fuit. Ita qui haec officia legerit, agnoscet accusatos immerito Jacobitas ab Anastasio Antiocheno fuisse, quod aquam vino non admiscerent; cum id ad Armenos solos pertineat. Multa similiter perperam Orientalibus impacta, ex sola istarum Liturgiarum inspectione diluuntur, quarum testimonia si quis rejiciet, prius demonstret necesse est, illas Orientalibus ignotas fuisse, aut a Latinis hominibus formam quam habent accepisse, quod nemo unquam praestiturus est, neque accusationem hanc suscepturus absque magno famae suae, si quam in literis habet, periculo.

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE

SYRIACIS

MELCHITARUM ET JACOBITARUM

LITURGIIS.

Melchitae et Jacobitae communem formam Liturgiarum habent.

I. De Syriacis Melchitarum sive Orthodoxorum, ut etiam Jacobitarum Liturgiis conjunctim dicemus, quod non modo eadem lingua scriptae sunt, quae est Syriaca vetus, sed etiam quod sunt plane similes. Ea vero similitudo non in sola illa generali sacrorum celebrandorum forma, quae omnibus Ecclesiis communis est, consistit, verum in eo quod prima et praecipua, ad quam reliquae accommodatae sunt, et quae Jacobo tribuitur, ab utrisque usurpari solet. Nempe quia Jacobitae cum ab Ecclesia secesserunt, sacramenta ritusque sacros, Ecclesiae Catholicae proprios servaverunt, gnari traditionis Apostolicae a qua satis commendabantur: illorum vero formam antiquitus traditam, pervertere et abolere, sacrilegio proximum visum illis fuisset. Nam tantum abfuit ut de Apostolica illarum Liturgiarum origine dubitarent (quod tam secure fecerunt Reformatores) ut non modo eas ex Apostolorum institutione manasse, verum ab illis scriptas fuisse communi opinione teneant, quod praeter multos alios, docuit insignis apud Jacobitas Theologus, Dionysius Barsalibi.

Cum Graecis consentiunt de antiquitate et autoritate Liturgiae S. Jacobi.

II. Sane maximus omnium Syrorum de Jacobi Liturgiae antiquitate et autoritate consensus est, in quo illorum traditio Graecarum Ecclesiarum traditioni est plane similis: nam licet illa rarius utantur a multis saeculis, primam tamen et antiquissimam omnium fuisse,

non modo Theologi, sed Synodus sexta statuerunt. Nulla hic inter Orthodoxos et Haereticos opinionum dissensio est. Et re vera nulla inter eos, aut etiam inter Graecos et Syros, esse potuit; quandoquidem ex codicum utriusque linguae comparatione Syriacam Liturgiam Jacobi ex Graeca fuisse expressam, statim intelligitur. Graecae usum communem in Ecclesia Hierosolymitana fuisse, certissimo Cyrilli ejusdem Episcopi testimonio demonstratur, cujus autoritatem labefactare dum conatus est Andreas Rivetus Criticorum infelicissimus; imperitiam ipse suam, non Catecheseon Mystagogicarum suppositionem demonstravit, ut fusius alibi probavimus. Unde non modo Hierosolymis, sed in Palaestinis Ecclesiis usurpatam fuisse Jacobi Liturgiam evidenter conficitur. Cum vero Syriaca lingua iis in provinciis vernacula foret, praesertim in pagis et extra urbes, originem inde habuit Liturgia Syriaca, quam Orthodoxi et Jacobitae tanquam antiquitus traditam, huc usque servaverunt, et Syri omnes, si Nestorianos excipimus, qui illa nunquam usi videntur fuisse. Hujus in communi Ecclesiarum consuetudine diversitatis causae verisimiles fortassis multae in mentem veniunt; certa assignari nulla potest. Nam quod odio Orthodoxorum id fecerint, ne communia sacra haberent, inanis conjectura est, quam Jacobitarum exemplum satis refellit. Illi quippe cum in Aegypto Orthodoxos numero superarent, talique odio prosequerentur, ut se ultro servituti Muhamedanorum tradere, quam sub Imperatoribus, qui Calchedonensis synodi fidem propugnabant, vivere maluerint: in sacris Officiis nihil mutaverunt, sed communi Liturgia uti perseveraverunt. Ita in Syria fecerunt, cum illic ingens quoque Jacobitarum multitudo foret. Alia igitur singularis hujus rei ratio quaerenda est.

Cat. Mystag. Crit. sacri l. I. c. 3.

Quae causa esse potuerit cur Nestoriani ea non uterentur.

III. Quamvis a Diodoro Tarsensi, Theodoroque Mopsuesteno, originem habuisse haeresin quam postea Nestorius amplexus est, Graeci Latinique vulgo doceant, in quo consentientes habent Orientales omnes; tamen illa in Constantinopolitana potius Dioecesi, quam in aliis provinciis incrementum accepit. In Syria propagata vix fuit, nisi postquam Mesopotamia, in qua deinceps maxime viguit, a Persarum Regibus occupata est. Eo scilicet confluxerunt Nestoriani ex toto Romano Imperio, cum legibus proscripti, Ecclesiisque spoliati, apud Barbaros integram libertatem nanciscerentur. Nec ea contenti, Cosroïs Nuschiruani potestate abutentes, Orthodoxos expulerunt Edessena schola et Ecclesia, quam Heraclius pace cum Persis facta,

primis possessoribus restitui curavit. Nam ut Cedrenus scripsit, non modo Nestorianis favebat Nuschiruanus, sed reliquos Christianos, etiam in Perside, ad eorum sectam amplectendam cogebat: atque ea ratione factum, ut qui in ea regione Christiani erant, omnes prope eadem haeresi inficerentur. Id videtur effectum esse non ab indigenis Syris, nam Orthodoxam fidem sequebantur, et sub Romanis imperatoribus Nisibi et Edessae scholas habebant insignes, ubi florebant sacrarum literarum studia, de quibus Junilius, Cassiodorus et alii: verum a fugitivis ex Graecia, qui septimo saeculo praesertim, Ecclesias et scholas occupaverunt, totam denique Mesopotamiam Nestorianam fecerunt. Servaverant illi Liturgias suas, et Officia secundum Graecae Ecclesiae, ex qua recesserant, disciplinam, ita tamen ut secundum mores illius saeculi, eadem officia Syriace celebrare coeperint, ubi Graeca lingua non erat vernacula; illaque retinuerint eo facilius, quod cum Orthodoxis indigenis nullam communionem haberent. Mesopotameni proprios ritus habere potuerunt, quos Nestoriani amplexi sunt.

Cedren. T. I. p. 420. Theod. Lect. l. I. pag. 558. Ed. Val.

T. I. p. 415.

Junil. Div. Instit.

IV. Fieri quoque potuit, ut proprios Mesopotamenarum Ecclesiarum ritus sequerentur, inter quos et eos qui vigebant apud Orthodoxos, nulla momenti alicujus erat differentia, in illis sacrae actionis partibus, quae praecipuae et necessariae sunt. Verum an ita fuerit, constitui non nisi ex conjecturis potest: neque tamen inanes omnino illae judicandae sunt. Ut enim alibi dictum est, fuit apud Syros Mesopotamenos traditio, institutae ab Adaeo seu Thadaeo ad Abgarum Regem misso Ecclesiae, cujus in historia Ecclesiastica Graecis monumentis consignata probationes extant: et procul dubio Apostolus ille vel Discipulus, non qualem Nestoriani deinde, sed eam quam reliqui Discipuli doctrinam annunciavit: ut neque Jacobus Nisibenus, Ephrem et multi alii ulla erroris suspicione aspersi sunt. Itaque communem cum reliquis Ecclesiis fidem et disciplinam habebant, sed ritus potuerunt habere diversos: ut etiam leges quasdam Ecclesiasticas Nestoriana haeresi vetustiores. Id porro plane certum facit *Syntagma Canonum secundum doctrinam Adaei et Agis*, quod reperimus in vetustissimo Codice Syriaco Mediceo Collectionis Canonum Ecclesiae Jacobiticae, quae sane illud a Nestorianis non accepisset, tanta est illius sectae apud Jacobitas detestatio.

Mesopotameni proprios ritus habere potuerunt, quos Nestoriani amplexi sunt.

Euseb. l. I. c. 13.

V. Porro haec quamvis probabilitatem habeant non mediocrem, certo tamen comperta non esse fatemur ingenue, quia veteres libri

Jacobitae praeter Jacobi Liturgiam multas alias habent.

sacramentales Syrorum Edessenorum et Nisibenorum, ante scissam per Nestorianos et Jacobitas Ecclesiam nulli dudum extant, nisi sint illi quibus a multis saeculis Nestoriani utuntur, quod verisimilitudine non caret. Nam Jacobitae, ut etiam Melchitae sive Orthodoxi, Jacobi Liturgiam eamdem usurpant. Isti, cum Ecclesiae Graecae fidem sequerentur, et Antiocheno Patriarchae subjecti essent, ut sunt etiamnum, plerumque graece sacra celebrabant: atque adeo nihil quod ad veterem Ecclesiae Syriacae disciplinam illustrandam conferre posset, ab illis fuit expectandum. Jacobitae numero et autoritate longe superiores, praeter Liturgiam Jacobi Syram, multas habent, quarum vix ulla antiquitatis certas notas praefert. Neque enim ratio habenda est testimonii Maronitarum, qui plures illarum tanquam suis gentilibus proprias a vetustate commendant: quasi illas cum Orthodoxa religione a saeculo sexto servaverint. Illa enim de Maronitis opinio pietatis quidem erga majores suos laudem meretur: at repugnat non Graecorum modo et Latinorum, sed Orientalium omnium testimoniis, quorum fidem, praecipue Willelmi Tyrii frustra elevare recentiores Maronitae conati sunt. Nullae leguntur in codicibus MSS. Maronitarum propriae Liturgiae, et illae quarum longum indicem Abrahamus Echellensis dedit, Jacobitarum sunt, aut falsis titulis insigniuntur, quod ex ipsis autorum quibus attribuuntur nominibus perspicuum est, quae in editionem Romanam aliquarum irrepsisse satis mirari nemo possit, ubi etiam inauspicatum illud Barsomae, anathemate Calchedonensis Concilii confixi, in Diptychis, velut sancti legitur. Nempe quia Jacobitarum codices erant, quos Maronitae suis hominibus attribuunt.

Echellensis quid de illis scripserit. *Notis ad Hebedjesu p.* 235.

VI. Inter eos maxime celebris Abraham Echellensis, quinquaginta et amplius Liturgias apud Syros extitisse scribit, quarum triginta et una tantummodo superessent, quas hoc ordine recenset. Xysti Papae, Joannis Chrysostomi, Joannis Evangelistae: Petri: duodecim Apostolorum: Dionysii Areopagitae: Cyrilli Alexandrini: Matthaei Pastoris: Joannis Patriarchae cognomento Barsusan: Eustathii: Marutae Takritensis Metropolitae: S. Jacobi fratris Domini: S. Marci Evangelistae: Petri altera cum epitheto Papae Romani. Praeter istas quas extare dicit, et illae editae sunt in Missali Chaldaïco Romae excuso, sequentes numerat: Joannis Maronis Patriarchae Antiocheni, quam se habuisse testatur: Basilii: Duodecim Apostolorum altera: Julii Papae: Jacobi Nisibensis: Gregorii Theologi: Mosis Barcephae,

Jacobi Edesseni: Philoxeni: Eleazari episcopi Babylonis: Thomae Giarmachitae: Narsis Diodori, Barsomae. Addit extare apud Nestorianos Nestorii et Theodoreti Liturgias, sed quas non viderit. Dictum est alibi, Abrahamum Echellensem, et Maronitas reliquos, etsi de Ecclesia et de litteris bene meritos, saepe tamen ut Orientalium consuetudo fert, affirmasse multa, quae si alia testimonia desint, non facile credi debeant. Tria vero potissimum in hac enumeratione observanda sunt. Primum est reticere Echellensem, quod priores illae, quas extare dicit Liturgiae, quaeque suum in Missali Chaldaïco locum occupant, aliter omnino se habent in codicibus MSS. quam in editis. Secundum, quod si unicam excipimus, quae est Jacobi fratris Domini, reliquae omnes Jacobitarum propriae sunt, non Orthodoxorum. Tertium quod multas omisit quae reperiuntur in optimae notae codicibus, et alias recensuit, quae Orientalibus ignotae sunt. Illud porro enucleatius patebit enumeratis illis Liturgiis, quae vel in Romana editione sunt, vel in codicibus MSS.

Earum enumeratio.

VII. Liturgia Jacobi fratris Domini quae reliquarum omnium Canon est, ea ratione quam alibi explicavimus: scilicet ut prima ejus pars, quae usque ad Osculum pacis perducitur, omnibus inserviat, cujus loco Xysti Romani Liturgiam Romani editores substinuerunt, juxta exemplarium recentiorum fidem.

Ejusdem Jacobi Liturgia brevior, in epitomen redacta a Gregorio Jacobita Catholico Orientis: ante annos non multos.

Petri Principis Apostolorum, edita et in MSS. codicibus.

Petri Papae Romani: in editione Romana, sed non invenitur in MSS. Codicibus: titulusque suspectissimus est.

Tertia Petri Principis Apostolorum nomine extat in Codicibus Colbertinis et Seguieriano uno.

Clementis Romani in MSS.

Dionysii Atheniensis nomine una extat in MSS., sed ab ea diversa est quam Romana editio repraesentat.

Ea vero quam Atheniensi tribuunt, secundum codices MSS. opus est Dionysii Barsalibi Metropolitae Amidae Jacobitae.

Ignatii Antiocheni Episcopi et Martyris in editione Romana, prorsus differt ab altera ejusdem tituli MS^a.

Marci Evangelistae in Romana editione: in Manuscriptis plane diversa.

Joannis Evangelistae ibidem edita: quae extat in Codicibus MSS.

Duodecim Apostolorum: ibidem et in Manuscriptis.

Julii Papae Romani edita et in Codd. Manuscriptis.

Eustathii Antiocheni in editione Romana, et in MSS.

S. Joannis Chrysostomi secundum Romanam editionem, sed in Codicibus Manuscriptis, Joannis dicitur simpliciter.

Alia sancti Joannis in Codd. Manuscriptis.

Marutae Metropolitae Orientis, in editione Rom. et in MSS.

Cyrilli Alexandrini edita, et in Codd. Manuscriptis.

Thomae Heracleensis Episcopi Jacobitae in Manuscriptis.

Mosis Barcephae ejusdem qui de Paradiso scripsit MS^{a}.

Doctorum Sanctorum a Joanne Magno Patriarcha ex diversis aliis concinnata. In Codd. MSS.

Philoxeni Episcopi Hierapolitani MS^{a}.

Severi Antiocheni in variis Codicibus MSS. quorum nonnulli Timotheo Aeluro Alexandrinae sedis invasori eam attribuunt.

Dioscori Alexandrini in MSS.

Jacobi Baradati MS^{a}.

Jacobi Serugensis et Botnanensis Episcopi MS^{a}.

Jacobi Edesseni MS^{a}.

Joannis Patriarchae Acoemeti dicti MS$_{a}$.

Joannis cognomine filii Maadni MS^{a}.

Gregorii Catholici Orientis, Abulfaragii MS^{a}.

Dioscori Episcopi Gordyaeorum MS^{a}.

Joannis Episcopi Basorensis MS^{a}.

Ignatii Patriarchae Antiocheni, qui aliter appellatus est Joseph filius Wahib MS^{a}.

Michaëlis Patriarchae Antiocheni Jacobitae, qui sedebat sub finem duodecimi saeculi MS^{a}.

Mathaei Pastoris, in editione Romana et in MSS.

Joannis Barsusan edita, sed nondum reperta in codicibus MSS. In multis exemplaribus Romanae editionis, transverso calamo deletum est ejus nomen, erat enim ille certissimus haereticus.

Xysti Papae Romani, edita: sed ita ut a codicibus S S. non leviter differat.

Duodecim Apostolorum nomine alia quoque occurrit in Codicibus MSS. quorum aliqui eam Lucae Evangelistae tribuunt.

Basilii Magni, quam Andreas Masius Latine vertit, reperta in Cod. Colbertino, Gregorio quoque attributa.

Joannis Maronis Liturgiae qui meminerit, praeter Maronitas existimamus esse neminem: eo autem nomine quemquam fuisse olim Patriarcham Antiochenum, non modo certum non est, sed argumentis firmissimis falsissimum esse demonstratur. Quod si alicui ex tribus quorum Liturgias recensuimus, accommodari posse putant, ea quae de Joanne suo Marone nugantur, suas ipsi rationes conturbant, cum Jacobitas fuisse illos in confesso sit, suum vero non modo Orthodoxum, sed solum quodammodo fidei propugnatorem sua aetate fuisse volunt. De Joannis Maronis Liturgia.

VIII. Ex his quae huc usque dicta sunt constare potest, quam negligenter Echellensis, et alii origines Ecclesiasticas Syrorum explicaverint, cum neque multas Liturgias, quarum tamen certa autoritas est, cognoverint, et eas, quas ut Maronitarum et Orthodoxorum proprias Missali Romae edito inseri curaverunt, Haereticorum esse, aut ignoraverint aut dissimulaverint. Ita liber qui sub gravi interminatione solus a Syris Orthodoxis ad altaria usurpari debet, Jacobitarum Liturgiis plenus est, Haereticorumque velut Sanctorum commemoratione infuscatus.

IX. Patet autem ex enumeratione Liturgiarum, nullam esse etiam in illo Missali, quae Jacobitarum non sit: adeo ut ex Maronitarum usu nulla ipsis commendatio possit accedere, quasi, quod essent in manibus Orthodoxorum hominum, carerent omni suspicione erroris, aut perperam administratae disciplinae. Sed Maronitas tales fuisse, praeter ipsos non idoneos in propria causa judices, nemo memoriae prodidit: omnes imo eos Monothelitis accensent, Melchitae, Jacobitae, Nestoriani, Graeci quoque et Latini, ipsi tandem doctiores Muhamedani, ut Makrisius. Neque si aliquibus Officiis sacramentalibus haeretici usi aliquando fuerunt, perit illorum autoritas, modo illa ab Ecclesia ex qua egressi sunt, probata et usurpata quondam fuisse constet: quod in illis de quibus agimus Liturgiis est certissimum. Et sane non modo in Jacobiticis, sed nec in Nestorianis antiquis, vix quidquam occurrit quod ad errores alterutri sectae proprios insinuandos pertineat, ut jam observavimus. Omnes enumeratae Jacobitis propriae sunt.

X. Hinc satis manifestum est, nullam esse quantum ad origines Ecclesiarum Orientalium explicandas pertinet, earum quae Romae editae sunt Liturgiarum autoritatem, nisi conveniant cum Codicibus Patrum quae editae sunt exigua est autoritas.

MSS. quod de nulla dici potest, neque de toto illarum corpore. Nam praemittitur omnibus ea quae Xysti Romani Pontificis dicitur, cui velut praecipuae reliquas accommodare oporteat. Verum quamvis ita se habeat in aliquot Manuscriptis Codicibus, ejus usus rarissimus est, et illam refingere necesse fuit, ut sana videretur. At omnes Liturgiam Jacobi ut praecipuam repraesentant, quod non modo Jacobitis observatum est, sed Melchitis, seu Orthodoxis, inter quos Maronitae primas partes in Syria semper habuisse se jactant, et a quorum exemplo non erat recedendum. Nam qui neque Orthodoxam Ecclesiam sequuntur, in forma sacrorum Officiorum, nec Jacobiticam, erunt in nulla. Provocare porro ad veteres Codices suos Maroniticos, quos nemo vidit, ut ordo ille praeposterus stabiliatur, nugari est, cum nulla Syriaca Missalis editi Liturgia sit quam Jacobitae non habeant, non modo a majoribus acceptam, sed quasdam ab illis autoribus compositas, qui in ejusdem sectae professione vixerunt. Id etiam agnosci facile potest ex commentariis aliquot in Liturgias Syriacis, qui in Bibliothecis servantur, illi enim, inter quos prae caeteris commendatur is qui Dionysium Barsalibi autorem habet, non ad Xysti aut quamvis aliam, sed ad Jacobi Liturgiam, ut ad textum primarium sunt accommodati: imo et quem Echellensis saepe laudavit sub nomine Joannis Maronis, eamdem explicat, quamvis de eo opere sit magnopere dubitandum.

Duae insignes mutationes in Liturgiis editis. Verborum Christi.

XI. Omnes etiam Liturgias Romani editores duobus praesertim locis reformaverunt: in forma verborum Christi Domini: et in Invocatione Spiritus sancti. Illam quidem formam quae Graecis similis in plerisque est, omnino sustulerunt, ut quae in Latino Canone est, totidem verbis expressa substitueretur, spisso tamen errore: cum particulam *enim* quam Syri a Graecis habent, non receperint, sed ejus loco דין quae non *enim*, sed *autem* significat, contra MSS. omnium fidem substituerint. In forma ad calicem conficiendum, *mysterium fidei* pari ratione addiderunt.

Invocatio Spiritus sancti.

XII. Invocationem Spiritus sancti pariter immutaverunt, ita ut sententiam illius orationis, non ad efficiendam, aut potius consummandam elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationem, sed ad fructum ex eorum digna susceptione percipiendum, retulerint: cum alia lectio, qualis est in Graecis Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Alexandrinisque Liturgiis, vetustissimorum codicum testimonio confirmetur, cui accedit Orientalium omnium consensus. Veriti sunt

scilicet qui editioni praefuerunt, ne quod Censores alii, praesertim qui post Florentinum Concilium scripserunt, tanto studio inculcaverunt, lateret in ea oratione venenum haereseos quam Graecis attribuunt, de qua Syri aut Orientales alii nunquam quidquam audiverunt, ut sane antea nullam dissensionis inter Latinos et Graecos occasionem dedit. De illa vero Invocatione fuse dictum est ad Copticam Liturgiam.

Remansit tamen vetus lectio in aliquibus.

XIII. Effugit tamen illorum oculos antiqua et sincera lectio, quae superest in Liturgia Jacobi; et ejusdem certum indicium pariter conservatum est in libro Ministerii Diaconici, Romae pariter excuso. Nam orationes quae a Diacono recitantur, ut circumstantes excitet ad orandum impensius, pro adventu Spiritus sancti super dona proposita, Invocationi integrae, non interpolatae respondent, genuinaeque lectionis vestigia retinent. Huic porro contradictioni excusatio mederi nulla potest, quando si haereticam opinionem confirmat vetus lectio, reformata in omnibus, praeter unam aut alteram Liturgiis, eadem ex libro Ministerii Diaconici tolli debebat. Sed incredibilis fuit hoc in genere quorumdam hominum temeritas et negligentia, dum inconsultis Pontificibus, sustulerunt multa, quae ab illorum decessoribus improbata nunquam fuerant. Ita enim Orientales irritant, neque Orthodoxos, sed hypocritas faciunt: tum Liturgiarum, quarum in controversiis adversus Protestantes summa autoritas est, fidem destruunt, adeo ut nullius usus, nisi ad MSS^os. codices recurramus, esse possint.

In aliis partibus editae Liturgiae MSS. respondent.

XIV. In reliquis Officii Eucharistici partibus nihil fere mutatum est, cum etiam morosissimis censoribus, quod displicere aut suspectum esse posset, vix quidquam occurrat. Addiderunt tamen nonnulla ex Romano ritu deprompta, quae omitti satius erat, quamvis ex se indifferentia sint; quid enim refert an sacerdos dum manus lavat, eam dicat orationem quae in suis libris continetur, an quae in nostris, aut hostiae fractionem et intinctionem faciat, more majorum, an Romanorum? Haec quanquam minutiora, simplices novitate sola conturbant: pervicaces obdurant, et faciunt ab unitate alienissimos, dum existimant nihil in disciplina illorum probare Romanam Ecclesiam: Protestantium calumniis de corruptis et interpolatis Liturgiis colorem aliquem conciliant. Verum quidquid de illis Officiis a nobis dicitur, non ex reformatis illis codicibus, sed ex MSS^is. referetur.

De Liturgiarum Syriacarum magno numero.

XV. Exposito illarum Syriacarum Liturgiarum numero, statim unicuique in mentem veniet, qua ratione factum sit, ut tot apud Syros Jacobitas extent, cum Nestoriani tres admodum habeant: Coptitae qui etiam Jacobitae sunt, non plures: etsi Aethiopicae duodecim numerentur. Hujus Liturgiarum tanti numeri ratio reddi nulla potest, nisi ex conjecturis. Non enim ex gentis genio, scribendique patria lingua facilitate, natae sunt tot diversae Liturgiae, cum Nestoriani Syri essent, et linguae suae studiosissimi: neque Orthodoxi aliam quam Jacobi Liturgiam videantur agnovisse. Solis id Jacobitis contigit, ut tot diversas haberent. Illarum porro antiquitatem certis argumentis demonstrare facile non est, cum Critica etiam in rebus Ecclesiasticis apud Orientales ignota sit. Quid de singulis probabiliter judicandum videatur, paucis explicabimus.

Jacobi Liturgia prima et praecipua est.

XVI. Jacobi quidem Liturgiam omnes ut vetustissimam agnoscunt, et eam in coenaculo Sion ab Apostolo ipso scriptam fuisse communis traditio est, quam refert, ut apud suos receptam, Dionysius Barsalibi. Ea scilicet offerendi sacrificii Eucharistici forma fuit, quam Ecclesia Hierosolymitana antiquitus tenuit: similis in multis Graecae, quae extat sub eodem titulo, ut vel ille solus Diptychorum locus significat, ubi oratur pro sancta Sion Ecclesiarum omnium matre.

XVII. Aliae inter illas quas enumeravimus, augustis veterum sanctorum nominibus insignitae, Melchitis quantum adipisci potuimus ignotae sunt, et Jacobitis propriae. Apostolorum duodecim, Petri, Marci, Lucae, Joannis Evangelistae, aliorumque Apostolicorum virorum, etsi ab illis scriptae dici non possint, tamen supposititiae non sunt, cum in antiquis exemplaribus multis reperiantur. Sed quos illae autores habuerint, aut quando scriptae fuerint, frustra quaeretur, cum nec ex aliis Graecis expressae sint, nec agnoscantur in aliis Jacobiticis Ecclesiis; aut si nonnullae iisdem nominibus designantur, ut apud Aethiopes, Joannis Chrysostomi, Dioscori, et quaedam aliae, illas ritus esse diversi, Alexandrini scilicet, statim agnoscitur.

Idem de aliis judicandum.

XVIII. Sequuntur aliae magnis quoque titulis inscriptae, ut Clementis Romani, Xysti, Julii, Ignatii Antiocheni, Dionysii Atheniensis, de quibus idem judicari debet: non esse illas scilicet ab eorum, quorum nominibus appellantur, manu: esse tamen antiquas, ita ut earum origo inter Jacobitas quaerenda sit, cum Graecis et aliis Ecclesiis ignotae sint: neque esse suppositilias, quia extant in

sinceris vetustisque codicibus, et earum usum viguisse dubitari vix queat. Observandum porro est, Jacobitarum propriam et certam notam ambitiosis illis titulis contineri, quamvis in ipsa orationum serie, vix quidquam singulare ad illorum opinionem confirmandam se offerat. Nempe ut alibi, si vita suppetet, accuratius probabitur, jactabant veteres Monophysitae majorem in modum testimonia veterum Patrum quae novae suae Theologiae favere videbantur, neque utebantur modo sententiis ex Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, et Nysseno, aliisque Patribus, magna cura excerptis, sed Gregorii Thaumaturgi et nonnullorum vetustiorum autoritate pugnabant. Nec illis contenti, Epistolas Julii Papae, et vetera quaedam scripta alia, quorum falsitas dudum perspecta est, producebant: inter quae illud praecipue notandum est, scripta Dionysii Areopagitae, ut olim credebatur, prius ignota, primum allegata a Severianis fuisse in Collatione Constantinopoli habita sub Justiniano anno DXXXIII. Ea igitur ratio videtur fuisse, cur Julii Papae nomine Liturgiam composuerint, ut cujus testimoniis passim utebantur, illius nomini gravior ex Liturgiae titulo autoritas accederet. Liturgias enim scribere, non cujuscumque hominis fuit, sed illorum qui vel dignitatis amplitudine, vel doctrinae fama caeteris praestitissent. Unde excusari non potest illorum incogitantia vel ignorantia, qui dum Syriacas Liturgias, quae Maronitis et Syris aliis utendae praescriberentur, edi curarent, ut sanas et omni erroris suspicione vacuas, eas commendaverunt, quae certam sectae Jacobiticae tesseram praeferebant.

De Liturgia Ignatio attributa.

XIX. Ignatio Martyri unam attributam fuisse, alia ratio fuit, nempe quod Antiochenam sedem tenuisset, sub cujus olim jurisdictione fuit vastissima Dioecesis Orientis, ex qua ob amplitudinem formatae sunt minores Dioeceses, sed tamen satis vastae Catholicorum Persidis et Armeniae, ad quorum exemplum Nestoriani, Seleuciae et Ctesiphontis Episcopos, quibus successerunt Catholici Persidis, Catholicos appellaverunt, illisque Patriarchalem autoritatem apud suos tribuerunt.

De Severi etc. Liturgiis.

XX. Dioscori, Severi, Philoxeni, Jacobi Baradati, et si qui sunt alii Jacobitarum Divi, Liturgias ab ipsis scriptas fuisse certo aliquo argumento constare non potest. Severus quidem multa scripsit, ingensque catalogus ejus operum quae interciderunt, ex Catenis Graecis confici potest: tamen de Liturgia ab eo scripta nihil nobis occurrit. Officium Baptismi quo Syri utuntur, ex constanti traditione

et codicum testimonio, illi tribuitur: et illud est quod edidit Syriace et Latine Guido Fabricius Boderianus, sub nomine Severi Alexandrini, qui nunquam fuit. Dedit quoque simul fragmentum Ordinis Missae, sive Liturgiae, sed ab eo quem codices nostri repraesentant valde diversum, et de quo erit infra dicendi locus.

Quid verisimilius de illis judicandum.

XXI. Si quid in re obscurissima conjectari possumus, paucis illud explicabimus. Celebris semper apud Jacobitas Antiochenos fuit, ut etiam in tota Ecclesia Ignatii Martyris memoria: celeberrima longe in ea ipsa quam vivus rexerat. In solennibus illis festis praeter communes orationes, in quibus de laudibus sanctorum inserebantur multa, Liturgiis nonnulla adjici solebant, alio tamen more quam qui in Occidente viguit. Vetustissima quippe consuetudo fuit in Gothica, Mosarabica, veteri Gallicana, et aliis Ecclesiis, ut cum anniversaria dies sanctorum celebrabatur, Missae propriae assignarentur, in quibus non modo, ut in usu hodierno, tres orationes essent quibus insererentur illorum nomina, sed Praefationes totae prope erant de illorum laudibus, et praecipua illorum gesta iis breviter exponebantur. Idem in Oriente factum fuisse, ex quo Ecclesia per Nestorianos et Jacobitas scissa est, non observatur: sed ad majorem celebritatem Liturgiae singulares destinabantur, quod a Nestorianis factum videmus. Illi enim eo die quo Patrum Graecorum memoriam agunt, utuntur Liturgia quam vocant Nestorii: singulari scilicet, et quae apud illos talem titulum obtinuit, quod ultimus Patrum illorum suorum Graecorum foret Nestorius. Ita fortasse nomen accepit ea quam Aethiopes habent nomine Patrum Nicaenorum, quia in illorum die festo celebrabatur: nam illos Liturgiam scripsisse, nemo unquam existimavit. Singulares igitur illas Dioscori, Severi, Philoxeni, et similium diebus festis celebratas, ipsis tanquam autoribus attribuere postmodum, proclive fuit apud homines illiteratos, et Criticae omnis expertes. Neque de hoc argumento verisimilius quidquam occurrit.

De illis quae recentioribus autoribus tribuuntur.

XXII. Reliquae Liturgiae autores habent procul dubio, illos quorum nominibus designantur. Nam Jacobum Edessenum, alterum cognomine Serugensem, Moysen Barcepha: et alios recentiores suarum autores fuisse, non est cur dubitemus. Jacobiticae quippe Ecclesiae ea disciplina fuit, ut Episcopi summam in sacris Officiis disponendis, precibusque ordinandis haberent autoritatem; quae etiam inter Syros major omnino, quam inter Aegyptios fuit. Quippe Alexandrinus Pa-

triarcha longe plus inter subjectos sibi Episcopos poterat, quam Antiochenus, cujus Dioecesis divisa erat in varias Metropoles, et Catholici duo Persidis et Armeniae, etsi superiorem illum agnoscebant, pleno tamen jure Ecclesias suas regebant: cum praeter ordinationem, nihil antiquae jurisdictionis in eos retineret. Igitur ex Episcopali autoritate, qua Orientales Antistites usi sunt, in ordinandis Ecclesiasticis Officiis, ut Baptismi administrandi formulas, Ritualesque libros cum adjunctis precibus, Coronationis seu benedictionis nuptialis, Absolutionis Poenitentium, et alia non pauca, ita quoque Liturgias scripserunt, et ejusmodi sunt recentiores illae, quarum tituli superius expressi sunt. Ita Dionysius Barsalibi propriam suo nomine Liturgiam composuit. Eodem exemplo Joannes cognomento Magnus Patriarcha Antiochenus, eam quae *Doctorum sanctorum* dicitur, concinnavit, ex multis aliis orationes seligens, quas in unum corpus disposuit.

Nulla aliis tribuitur, quam Patriarchis aut Episcopis.

XXIII. Illud enim maxima observatione dignum est, quod inter tot Liturgias nulla ab aliis scripta perhibetur, quam a Patriarchis, aut Episcopis, quamvis Syriaca Ecclesia, antequam per Jacobitas et Nestorianos divideretur, insignes doctrina et pietate viros extulerit, inter alios praecipue commendatum Ephraemum Edessenum. Is cum multis operibus, quae Graece translata sunt, inclaruerit, quia tamen simplex Diaconus erat, non modo Liturgiam non edidit, sed neque ullus inferioris aetatis, aliquam sub tanti Doctoris nomine scribere ausus fuit.

Patriarchae recentiores autores Liturgiarum sunt quae nomina eorum praeferunt.

De Patriarchis aliquot quibus recentiores Liturgiae adduntur, paucissima nobis occurrunt, cum incredibilis sit rerum Antiochenarum medii temporis obscuritas, neque ullius qui illarum historiam qualemcumque scripserit, memoria supersit. Tamen eos qui in titulis nominantur Liturgias scripsisse temere dubitaretur, neque enim ficta sunt nomina, sed eorum quos in Ecclesia Jacobitica dignitate et doctrina floruisse aliunde constat. Nam inter Syros illos plus doctrinae Ecclesiasticae fuit, quam apud alios, quod omnes prope libri SS. Patrum Syriace habebant interpretatos, atque ex illis versionibus Arabicae prope omnes prodierunt. Itaque si Syros cum aliis Jacobitis Aegyptiis comparemus, isti eruditione et scribendi facultate longe superiores agnoscuntur. Unde dudum postquam Syriaca lingua vulgaris esse desiit, multa erudite et eleganter scripserunt, quod Coptice a nemine tentatum est, cum pauci eam linguam intelligerent: et praeter Acta

et instrumenta Patriarchalia, nihil in ea scriberetur. Syris igitur facile fuit Officia nova scribere, quamvis lingua vulgaris esse dudum desivisset: aliis non item. Inde factum ut illorum multo plura, quam reliquorum Christianorum Orientalium Officia habeantur. Extitisse etiam antiquitus in illa Jacobitica Ecclesia multiplices Liturgias argumento est, ea quam Joannes quem Magnum appellant Patriarcha collegit, servatis aliarum verbis et sententiis. Quamvis autem illius aetas non satis perspecta sit, at scribebat quantum conjicere possumus, ante annos ut minus sexcentos. Atque haec sunt quae de istis Liturgiis probabilius dici posse videntur, donec meliora et certiora ex Orientalibus libris qui ad manus nostras non pervenerunt, delegantur.

Liturgiae commendantur a sinceritate et vetustate.

XXIV. Unum adjicere, operae pretium erit: nempe quidquid de illis Officiis statuatur illa duplici ratione commendari, sinceritatis scilicet, atque vetustatis. Nam omnia, quorum versionem damus, ex optimis nec interpolatis codicibus expressa sunt, iisque non unis: atque adeo plurium consensus in genuina lectione confirmanda plenam autoritatem habet, quam exemplarium antiquitas ab omni suspicione vindicat. Ipsa vero in usu fuisse, libri quoque ipsi testantur, adeo triti apparent sacerdotum manibus: et multi extant in quorum vacuis foliis aliquorum nomina, tum eorum quos baptisaverunt, dies ordinationis, obitus Episcoporum aut Patriarcharum, aut Sacerdotum suae Ecclesiae, adscribuntur. Eumdem usum probant recentiora nonnullarum exemplaria, quae vetustis simillima sunt: sparsim enim Liturgiae illae reperiuntur, neque ex multis codicibus quos habuimus, nobis apparuit, unum aliquem fuisse quo omnes continerentur, adeo ut nullus, ut apud Coptitas, codex extet qui Liturgiarum corpus integrum complectatur. Hinc quantum conjectari licet confirmatur, id quod superius tetigimus, in vastissima illa Antiochena Dioecesi, Catholicos, et ipsos etiam Episcopos, multas scripsisse, vel probasse, quae in Ecclesia Antiochena usum non haberent.

Omnium forma eadem est.

XXV. Omnium porro exemplarium quae in Oriente ab indigenis descripta sunt forma eadem est quae antiquissimorum: a qua longius abeunt, quaecumque ex illorum manibus prodierunt qui in Europam venientes, dum fidei suae sinceritatem demonstrare satagunt, mutaverunt quaecumque a Missionariis, improbata esse audierant, et similia saepe vidimus, quae ut inutilia plane, ex hac collectione rejicienda judicavimus, cum nulla sit illorum autoritas: neque enim quaerimus, quae debeat ex talium censorum sententia esse Orienta-

lium disciplina, sed qualis revera sit et antiquitus fuerit. Neque ullius momenti sunt hoc in genere Maronitarum testimonia, qui ad codices suos provocant, tanquam sinceriores, et ab omni erroris suspicione immunes, cum illas ipsas Liturgias, quas ex multis elegerunt ut Romae ederentur, Jacobitarum esse demonstretur tam certis argumentis, ut reponi nihil possit, et illae notas indubitatas interpolationis prae se ferant.

De Liturgia Joannis Maronis.

XXVI. Si Maronitas audiamus, facile operosa illa quaestio de Liturgiarum antiquitate absolvi potest. Aiunt enim habere se illam Joannis Maronis, quem vixisse imaginantur intra quintum et sextum saeculum, et Antiochenum Patriarcham fuisse; scripsisse quoque commentarium in Jacobi Liturgiam, ex quo particulas aliquot Echellensis libris suis inseruit, et alias ad Virum Clarissimum Joannem Morinum olim transmisit. Nam ex ea Liturgia, et Commentario, quae forma Officii Eucharistici fuisset ante sextum saeculum, facile intelligeretur. Sed Joanni illi Maroni inter Antiochenos Patriarchas locus assignari nullus potest, ut singulari Dissertatione probabimus ex perpetuo Graecorum et Latinorum, imo et Orientalium cujuscumque sectae silentio. Quos vero citat Echellensis, et ejus in Cathedra linguarum Orientalium Romae successor et affinis Faustus Naironus, illi omnibus praeterquam Maronitis ignoti sunt, nec obscura praeferunt novitatis indicia. Unde fortassis Joannis illius Maronis Liturgiam Missali Romae edito non inseruerunt, quae tamen caeteris si unicam Jacobi excipimus, praeferenda erat, modo illam quam tantopere jactant, antiquitatem habuisset.

Graecis notae olim fuerunt multiplices Jacobitarum Liturgiae.

XXVII. Verum praeter codices antiquos multos quorum autoritate Liturgias supra enumeratas Jacobitis vindicamus, multas et noviter a suis hominibus compositas illos habuisse testatur autor Anonymus a Combefisio editus, de Haeresi Jacobitarum, qui haec habet. *Aiunt etiam habere se expositiones Liturgiarum diversas, praeter Ecclesiasticas traditiones.* Ita Graecus homo, et quidem vere: cum quae auditu tantum acceperat, ipsis Jacobitarum codicibus confirmentur. Judicium vero de illis Liturgiis, quasi Ecclesiasticae traditioni contrariis, aeque absurdum est, ac illud quod Theodorus Balsamon de Jacobi et Marci Graecis tulit, abrogandas illas quia Constantinopolitana Ecclesia illis non uteretur. Vocant scilicet Graeci Ecclesiasticam disciplinam, suam propriam, praeter quam aliam non noverunt. Quod igitur Anonymus ille dixit, significat solummodo Ja-

Λέγουσι δε καὶ ἐκθέσεις ἔχειν λειτουργιῶν διαφόρους, παρὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις.

Auct. Bib. PP. pag. 266.

cobitarum illas Liturgias, Graecis vulgaribus verbatim non respondisse, quod libenter agnoscimus: idque de Jacobi et Marci Liturgiis Graecis Balsamoni visum est sufficere, ad eas explodendas. At si quis inde confici existimat Jacobitarum Liturgias recedere a communi Ecclesia circa Eucharistiae fidem, et ejus consecrandae disciplinam, consuetudine, magnopere fallitur: et haec calumniosa conjectura aliis quam Anonymi testimoniis stabilienda foret. Nam Syriacas eum vidisse, non est verisimile, cum ex vulgari auditione illum loqui satis intelligatur. Inde vero existimare quispiam poterit Graecas apud Jacobitas olim extitisse Liturgias, et id procul dubio fuit. Nam ante Muhamedana tempora maximas in Graeca Ecclesia turbas Monophysitae excitaverunt, et Antiochenam Ecclesiam non semel occupaverunt, atque inter illorum Heroas praecipuus Severus. Is permulta scripsit, et Graece quidem, erantque in Ecclesiis et in Coenobiis sectatores illius maximo numero, tum illo superstite, tum sequentibus proxime saeculis. At illi Graece sacra faciebant, sed Liturgias novas composuisse, nemo inter illos qui vehementiori stilo adversus eos pugnaverunt, memoriae prodidit. Utebantur scilicet illis quae communi usu receptae erant, neque de illis ulla erat controversia, quod ex Syrorum exemplo demonstratur. Illi enim ut jam dictum fuit cum inter suos receptam Jacobi Liturgiam haberent, ea semper ad haec usque tempora usi sunt, eamque ut aliarum primarium exemplar servaverunt. Ita quoque Aegyptii Orthodoxi, cum secundum Liturgiam Alexandrinam, quae idcirco Marci appellata est, sacra facerent, eam retinuerunt per annos plusquam trecentos, donec eam Patriarchae Constantinopolitani aboleverunt. Nec illos movebat Jacobitarum qui ea utebantur exemplum, neque enim de Eucharistiae fide aut ejus consecrandae disciplina controversia inter Orthodoxos et Haereticos erat. Jacobitae quoque nonnulli Graece sacra fecerunt, ubi Copticae linguae usus non erat, omnes eadem forma. Serius igitur omnino Jacobitae Syri videntur tot recentiores Liturgias edidisse, neque ante quam Graeca lingua penitus in multis provinciis intercidisset: neque id fecerunt innovandi studio, cum communem apud Orthodoxos formam omnes exprimerent.

Forma communis Liturgiarum.

XXVIII. Ut illam paucis repraesentemus, observandum primo est Liturgiam Syriacam, ut reliquas omnes Orientales et Occidentales duabus partibus constare; quarum prima praeparatoria est, altera quae Canoni nostro respondet, proprie *Anaphora* appellatur,

ut apud Latinos veteres, *Oblatio*, *Illatio*, *Actio*, aut aliter vocata quondam fuit. Praeparato altari, Sacerdos diversas preces recitat, sacra vestimenta induit, et ita ad sanctuarium progreditur. Panis Eucharisticus cum calice, a Prothesi, ubi statim collocantur, ad altare deferuntur, eadem prope ratione, qua fit apud Graecos *magnus*, ut vocant *Introitus:* de quo ritu dicitur in Commentario ad Liturgiam Jacobi Syriacam, et dictum est ad Copticam Basilii. Miscetur aqua vinum, ex vetustissima traditione: dona ubi ad altare illata sunt, duplici velo, majori et minori teguntur, et incensantur. Dicuntur interea variae orationes, Trisagium, Gloria in excelsis: Psalmi aliquot: Hymni diversi secundum dies, carmine Ephremitico vel Jacobitico: Prooemia. Deinde leguntur sectiones ex Epistolis Pauli, et Catholicis, aliquando ex Actis Apostolorum et ex Veteri Testamento, juxta indices qui habentur in singulari codice, neque enim ut apud Latinos, Lectiones libris Missalibus inseruntur, sed petuntur ex Lectionariis, quae apud Syros, et reliquos Orientales habentur, ut apud Graecos Ἀποστολοευαγγέλια. Preces, benedictionesque Sacerdotis, hortationes Diaconi ad populum, singulis lectionibus adjunguntur et eodem tenore, antea vel paulo post dicuntur orationes *Εἰρηνικαί*, sive pro pace, et aliis beneficiis quae a Deo postulantur, praeeunte Diacono: Sacerdote secretam orationem interea pronunciante, et populo acclamante *Kyrie eleison.* Scripturarum lectio fit primum Syriace: et postea Arabice, quae lingua est maximae partis Orientis vernacula. His peractis canitur Syriace a populo Nicaenum Symbolum: Sacerdos manus lavat: commendat se circumstantium precibus et incipitur Anaphora, sive sacra Actio. Illius initium est oratio ante osculum pacis, et antequam dicatur superest in codicibus MSS^is^. vetus formula ejiciendi audientes et poenitentes, testis antiquae disciplinae. Tum benedictio antiquissima: *Caritas Dei Patris, etc.* signum crucis super populum.

Post osculum pacis, *Sursum corda* et reliqua, cujus formulae ubique receptae in omnibus cujuscumque linguae Liturgiis extat memoria. Praefatio quae est de gratiarum actione, laudibusque ad Deum referendis propter omnia in genus humanum beneficia, creationis, legis promulgatae, missionis Prophetarum, tandem liberationis humani generis per Incarnationem, salutaremque dispensationem Christi Domini. Sequitur in Praefationis fine Hymnus Cherubicus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, qui canitur a populo.

Sacerdos longam orationem pronunciat in Dei laudem, et pro Liturgiarum diversitate aliquando brevior, aliquando prolixior est illa oratio. Desinit autem in institutionis Sacramenti commemoratione, et pronunciatione verborum Christi, super panem, et super calicem: ad quae populus acclamat: *Mortem tuam Domine annunciamus, etc.* sequuntur orationes sacerdotis in eamdem sententiam: et paulo post *Invocatio Spiritus sancti*, quam praecedit Diaconi exhortatio ad populum, ut oret attentius, exspectando ejus illapsum in dona proposita. Ipsa Invocationis forma eadem omnino est, quae in Graecis codicibus. Sequuntur Diptycha: tum commemoratio mortuorum: Sanctorum memoria: Oratio Dominica, quam Sacerdos incipit; populus alta voce continuat. Elevatio Eucharistiae, et *Sancta sanctis.* Tum hostiae fractio, et particulae in calicem intinctio; tum ex eadem, reliquarum quae in sacro disco sunt, particularum consignatio: Sacerdotis communio: ejusdem distributio Sacerdotibus, Diaconis et reliquis ex Clero. Deinde communio populo distribuitur, per intinctam particulam, quae cochleari praebetur: Gratiarum actio et Sacerdotis ultima benedictio. Atque haec est totius Eucharistici Officii dispositio, secundum Jacobi Syriacam Liturgiam Orthodoxis, et Jacobitis communem, cujus caeremoniae in Commentario fusius et enucleatius explicabuntur.

Magna illarum cum Graecis similitudo.

XXIX. Ex illis vero quae summatim exposita sunt intelligitur, in communi Liturgiarum Syriacarum, quae ad Jacobitas pertinent forma, repraesentari eam quae Graecis Ecclesiis communis est, et non modo diversum nihil habere quod ad fidem spectet, sed neque insignem ullam esse in disciplina diversitatem. Inde elucet magnopere: ea quae antiquam de Eucharistia, totius Ecclesiae doctrinam confirmat orationum rituumque similitudo, inter Graecas, Orientales Occidentalesque Liturgias, quae ex linguarum diversitate, regionumque longinquitate, imo ex ipsis haeresibus, detrimentum nullum accepit.

Graecae Syriacarum primaevum exemplar sunt.

XXX. Agnoscitur quoque ex comparatione Syrarum Liturgiarum cum Graecis, istas fontem esse et primaevum exemplar, ad quod alterae expressae sunt: cum non modo sententiae, sed ipsa verba, praeter totam rituum ordinationem, Graecam originem perspicue demonstrent. Inde vero duo certissima colliguntur, quae ad rem maxime faciunt. Primum ad Orientales pertinet: qui omni Criticos quae tamen ad Origines Ecclesiasticas cognoscendas summe necessaria est, praesidio destituti, Syriacam suam Jacobi ab eo Syriace scriptam volunt, nec sunt audiendi, cum ex Graeca manifeste

expressa sit. Secundum est insigne adversus Protestantes nostri saeculi argumentum, qui fidem de reali elementorum transmutatione, et omnia quae illam significant, Orientales a Latinis accepisse temere affirmant. Illae enim Liturgiae, si praecipuas partes excipimus, in quibus mira semper fuit Ecclesiarum omnium consensio, nihil habent circa reliquas, quod ab Occidentalibus acceptum dici, cum aliqua verisimilitudine queat. Omnium porro quas in Codicibus manu scriptis reperimus forma, eadem est. Quamvis praecipuas repraesentemus, esse quasdam nondum repertas, verisimile est: ut aliquas, quarum meminerunt Echellensis, et alii Maronitae, licet ex sola fama, aut indicibus, eas novisse videantur.

De Liturgia Basilii a Masio Latine versa.

XXXI. De ea quam Basilii nomine edidit Latine interpretatam vir doctissimus Andreas Masius, pauca dicenda sunt. Genuinam illam esse, et sinceram, non est cur dubitetur, cum in orationum rituumque dispositione cum reliquis conveniat. Multa etiam et plusquam omnes reliquae habet ex Graeca Basilii, adeo ut nomen inde traxerit non immerito. Eam tamen Melchitis potius quam Jacobitis fuisse propriam non temere potest judicari. Illi enim cum Graecae Ecclesiae subjicerentur, in qua Basilii et Chrysostomi Liturgiae solae a multis saeculis usurpantur ad altaria, primam vulgari sua lingua interpretari facile potuerunt, ut quae Officia Antiochiae Graece celebrabantur, eadem in vicanis Ecclesiis Syriace possent celebrari. Ita enim apud Aegyptios, quae Alexandriae Graece celebrabatur Liturgia, quia omnes illic Graece noverant, in pagis et in Thebaide, ubi Graeca lingua ignorabatur, legi vulgari Aegyptiaca lingua solebat. At citius Graeci sermonis usum amiserunt Antiocheni Jacobitae, quia Antiochia saepius in Graecorum Imperatorum potestate fuit: et Jacobitarum Patriarcha vix unquam, etiam sub Arabibus, Antiochiae manendi libertatem habuit. Joannem qui anno J. C. DCCCCLXVII. scripsit ad Minam, seu Mennam Alexandrinum Patriarcham Jacobitarum, longam epistolam de Collatione Constantinopoli cum Orthodoxis habita, cum ipse Imperatoris jussu eam in urbem ductus esset, inter alia, imperitum se linguae Graecae esse dixit. Itaque facile fuit, ut Liturgiae illius Basilii Syriacae aliquando usus obtinuerit apud Orthodoxos, mox in desuetudinem abierit, quia Antiocheni Patriarchae Graeci, Constantinopoli, ut plurimum missi, sacra Graece faciebant, quod etiam nunc observatur. Sed suam quoque Jacobitas habuisse, tandem agnovimus ex satis vetusto et bonae notae Codice Colber-

Hist. Patr. Alex. p. 358.

tino, in quo solo reperta est, ita tamen ut non soli Basilio, sed Gregorio simul Nazianzeno tribuatur, et aliqua inter istum et eum quem Masius interpretatus est, non tamen magni momenti, diversitas animadvertatur.

De Officio quod edidit Boderianus.

XXXII. De fragmento quod Officio Baptismali Severi Antiocheni subjecit Guido Fabricius Boderianus, superest ut nonnulla observentur. Pars est prior Officii communis, quo preces προπαρασκευαστικαὶ continentur, cum adjunctis ritibus, qui cum aliis quos reperimus in variis codicibus, non omnino conveniunt, sed levis est admodum discrepantia, cujus ratio reddetur in Commentario ad Jacobi Syriacam Liturgiam. Esse autem illud Officium Jacobitis proprium certissime demonstratur ex oratione quadam, seu Responsorio Severi, quem cum sancti honorabili titulo, alii Christiani non appellassent. Neque tamen Severo opus adscribitur, etiam in ipso codice quem Boderianus secutus est, unde lectoribus fraudi fuit, non in inscriptione modo, sed multo magis in versione, quae ut altera Officii Baptismalis, parum accurata est, praesertim in vocibus ritualibus, quas raro interpres intellexit, vir alioqui in Syriaca lingua doctissimus. In eo Officio continentur illa, quae Anaphoram proprie dictam antecedunt: nempe usque ad osculum pacis et Praefationem: reliqua ex aliis Liturgiis petenda erant.

P. 119. Ed. Syr. Lat.

Masii de Liturgia Basilii judicium refellitur.

XXXIII. Illius fortasse occasione, adducentur nonnulli in eam sententiam quam paulo confidentius proposuit, circa editam a se Latine Basilii Syriacam Liturgiam, Andreas Masius: videri scilicet antiquiorem Graeca ejusdem nominis, quod et brevior, nec tanto caeremoniarum apparatu exornata foret. Hanc Masii opinionem amplexus est famosus nostri temporis hypercriticus, qui de Liturgiis, quidquid scriberet, semper aliquid injiciebat. Sed magnopere uterque aberravit: nam Syriaca illa Masii, ut omnes reliquae, cum ab Oratione osculi pacis incipiant, non integram, sed dimidiatam Liturgiam continent: quae si communi Officio adjungitur, quod semper fieri debuit, tunc Syriaca Liturgia Basilii Graecam prolixitate exaequabit, et fortasse superabit.

Syriaca lingua ex quo vulgaris esse desiit in sacris Officiis retenta.

XXXIV. Tandem de lingua qua Syri Officia sua celebrant pauca dicenda sunt. Syriace antiquitus sacra celebrata fuere dum lingua vernacula apud Syros erat: et eadem Psalmi canebantur, scripturaeque sacrae lectiones fiebant. Ubi vulgaris esse desiit, quod factum est, cum Arabes totum ferme Orientem armis occupaverunt, non idcirco mutata disciplina est, sed primaeva lingua conservata: ut apud Aegyptios Coptica: Graeca passim apud Orthodoxos. Scripturarum versio Arabica post Syriacam legebatur, in gratiam plebis illiteratae: sed sacra actio, quae sacerdotum orationibus constabat, veteri lingua celebrabatur, et eumdem morem huc usque Orientales

Ecclesiae retinent. Unde mirari subit tot eruditos Protestantes, inani illo argumento, quod Syri, Aegyptii, Armeni, Aethiopes, Moschi, Graeci, sua quisque lingua sacra celebrent, oppugnare hodiernam Ecclesiae Catholicae disciplinam, cum omnes illas linguas plebi a multis saeculis ignotas esse exploratum sit. Si quis ex nostris hominibus responderet, Latinam quoque Ecclesiam Latine celebrare, illum exsibilarent; et tamen eadem est omnino Latinae et Orientalium Ecclesiarum ratio. Latina enim lingua toto prope Occidente vernacula erat, cum Canon quem sequitur scriptus est: ut Syra apud Syros: utque isti cum lingua vulgaris esse desiit, illam tamen retinuerunt, neque unquam Arabice, multo minus Persice, aut Turcice Liturgia celebrata est, ita et apud Latinos factum.

Par est Judaeorum et Muhamedanorum consuetudo.

XXXV. Adeo vero haec disciplina ab omni novitatis suspicione remota est, ut non modo totius Orientis Christiani consensu et exemplo confirmetur, sed infidelium ipsorum consuetudine, usuque quotidiano. Judaei si quidem Hebraicae linguae tantum sciunt, quantum sacros libros legendo didicerunt: ubique tamen non aliter quam Hebraice preces solennes suas in synagogis recitant, imo in privatis Officiis. Versiones quippe Hispanicae quas typis ediderunt, ad mulierum et idiotarum imperitiam sublevandam, usum in publicis conventibus nullum habent, nec in illis quae domi fiunt, caeremoniis. Ita Muhamedani praeter eos apud quos Arabica lingua vulgaris est, Arabice nesciunt; ut Turcae, Persae, Tartari, et alii. Omnes tamen Alcoranum Arabice legunt, et preces suas publicas et privatas recitant, sed de ea disciplina diximus alibi.

Perp. T. 4. l. 4. c. 8.

De Liturgia Joannis Barsusan.

P. 154. et. s.

XXXVI. Omnes Liturgias quas Missale Chaldaicum repraesentat, haec Collectio complectitur, praeter unam quae Joanni Patriarchae cognomento *Barscouchan*, aut, ut alii scribunt, *Barsusan*, tribuitur. Illam omittere visum fuit, quod in multis optimaeque notae Codicibus non reperitur: ex editione vero Romana, in qua interpolata est, ejus versionem dare, inutile prorsus erat. Illius tamen quasi inter Jacobitas notae meminerunt Gabriel Sionita, Abraham Echellensis, et Faustus Naironus. Verum non tanti sunt hoc in genere illorum testimonia, ut cum alia deficiunt, standum illis quisquam existimet. Jacobitam illum fuisse Naironus probat ex Catechesi quadam Jacobitarum, quem librum nulla praeter quam Maronitarum Bibliotheca repraesentat, et cujus fides valde suspecta est. In ea legitur Joannem illum fuisse Antiochenum suae sectae Patriarcham, cujus tempore, concordia quae huc usque inter Syros et Coptitas magna fuerat, turbata est, eo quod pani Eucharistico sal et oleum Joannes misceri instituerit, eamque consuetudinem scripto apologetico stabilire conatus fuerit. Verba autoris ex versione Naironi haec sunt. *Et facta est amoris accessio inter Coptitas et Syros, nempe*

Ep. ad Nikusium Not. ad Hebed Jesu Exopl. p. 35.

Jacobitas, usque ad tempus patris nostri Joannis Barsusan Patriarchae Antiochiae. Deinde orta est inter Coptitas et Syros dissensio, quia Syri ponunt in sua oblatione salem et oleum. Et scripsit pater noster Joannes Barsusan libellum, in quo demonstravit verificationem positionis salis et olei in Eucharistia. Melius magisque perspicue. *Scripsit Epistolam publice, in qua explicavit argumenta quibus salem et oleum pani Eucharistico recte admisceri probavit.* Tractatum ejusmodi Syriace scriptum reperimus in Codice Colbertino, sub hoc titulo. *Explicatio mysticae significationis, salis, fermenti et olei quod pani Eucharistico admiscemus, autore Joanne Patriarcha.* Is ne sit quem *Barsusan* appellant, nescimus: sed Coptitas admistionem illam non probasse certum est, ex historia Patriarcharum Alexandrinorum in vita Christoduli, deque ea dicetur in notis ad Syriacas Liturgias. P. 425.

In illis diximus Dionysium Barsalibi mistionis illius non meminisse, ut sane verbum de ea non fecit in Tractatu de praecipuis Eucharistiae ritibus. At in Commentario ad Jacobi Liturgiam, cum duplici Codice usi fuissemus, in uno nihil simile a nobis repertum fuerat: in altero tamen reperimus post editum Commentarium nostrum, de ea salis et olei admistione paria illum cum reliquis Syris sensisse. Itaque errorem hac in parte nostrum, ne lectoribus fraudi esse possit, agnoscimus: simulque novitatem illam a Jacobitis introductam fuisse, antequam Barsalibius scriberet, quod dubium nobis videbatur, libenter fatemur.

De Procli Liturgia. XXXVII. Gabriel Sionita inter alias quas recenset Liturgias unam numerat Proclo Joannis Chrysostomi discipulo attributam, quae a nobis in nullo Codice reperta est, etsi permultos tractaverimus, veteres et bonae notae, et aliquot recentiores. Verendum porro ne Gabrielem memoria sua, aut falsus titulus deceperit. Fieri etiam potuit ut Codex quo usus est Sionita ex illorum genere foret, quos advenae Syri circumferunt, et quorum titulos mutare solent, ne de Orthodoxa fide, quam se amplecti testantur, suspicionem injiciant. Ita Sacerdos Bagdadensis Elias titulum tertiae suae Liturgiae mutaverat, et ex Nestorii nomine Joannis nomen formaverat, quod fecerat similiter alter ex Mesopotamia, Isa nomine. Dioscori quoque nomen ita transformatum in aliquot Codicibus animadvertimus.

Atque haec sunt quae de Liturgiis praesertim Jacobitarum praefari oportebat, reliqua in notis ad singulas explicabuntur.

ORDO

COMMUNIS LITURGIAE

SECUNDUM RITUM

SYRORUM JACOBITARUM.

PRIMO *Sacerdos quotidiana veste deposita, postquam abluerit manus, dicit:*

Aufer a me Domine vestimenta sordida quibus induit me satanas, et indue me vestibus electis, dignis ministerio tuo, gloria tua, et honore tuo praeclaro: Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

Et postquam aliquamdiu oraverit, inclinans se coram altari dicit:

Praesta Domine Deus, ut aspersis cordibus nostris et mundatis ab omni conscientia mala, impurisque cogitationibus, mereamur ingredi in sanctum sanctorum tuum excelsum et sublime: praeclare et pure stemus coram altari tuo sancto, et offeramus tibi sacerdotio fungentes, sacrificia pura et excellentia: in vera fide, Pater, Fili, etc.

Et dicit. Deus obsecro te ut dignum me efficias accedendi ad altare tuum sanctum absque vitio, et absque macula. Ego enim sum servus peccator qui peccavi et commisi peccata et crimina coram te, neque dignus sum accedendi ad altare tuum purum, aut ad mysteria tua sancta. Verum rogo te et deprecor bonitatem et clementiam tuam, miserator, misericors, et hominum amator: aspice me oculis misericordiae et benignitatis, efficeque ut acceptus coram te, consistam hac hora, et omni tempore. Emitte super me gratiam Spiritus

tui sancti: munda me a peccatis meis: hanc oblationem sanctifica, et per eam praesta remissionem peccatorum et criminum abstersionem, illis pro quibus offertur, mihi et patri meo, et quibuscumque communio mecum intercedit, tam vivis quam defunctis fidelibus. Praesta illis memoriam bonam in regno tuo coelesti, cum justis et sanctis tuis, qui per bona opera sua tibi placuerunt, et per intercessionem Dominae matris luminis, sancti Joannis Baptistae et omnium sanctorum, Amen.

Tum dicit. Miserere mei Deus.

Et conversus ad populum veniam petit et dicit.

Orate pro me propter Dominum.

Ingressus autem ad altare dicit.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Et prostratus coram altari dicit.

In domum tuam ingressus sum, procidique coram throno tuo, Rex coelestis: remitte mihi omnia quae in te peccavi.

Et inclinat se: et osculando altare, benedictionem captat a dextra, a sinistra et in medio dicens:

Alliga Domine festivitates catenis, usque ad cornua altaris.

Imponens incensum dicit.

Ad gloriam et honorem sanctae et laudandae Trinitatis, haec thura manibus meis peccatricibus imponuntur. Oremus omnes, misericordiamque et gratiam a Domino postulemus.

Diaconus caput discooperit, et accendit cereum in latere dextro altaris, dicens:

Alleluia. In lumine tuo videmus lumen.

Accendit alterum in latere sinistro, dicens:

Alme et sancte, qui habitas in habitaculis lucis, remove a nobis passiones malas, et cogitationes odibiles, et praesta ut cum puritate cordis operemur opera justitiae. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto. Alleluia, etc.

Sacerdos tollit velum quo mysteria operiuntur, ponitque mantile abstersorium, et cochlear in latere dextro, et velum majus in latere sinistro, coram disco. Tum sumit Diaconus panem Eucharisticum, et offert Sacerdoti: qui panem cruce signat, et dicit hanc Orationem:

Deus magne et mirabilis usque in aeternum, qui suscepisti sacrificia, vota, primitias et decimas servorum tuorum fidelium:

suspice Domine oblationes servorum tuorum, quas separaverunt et intulerunt, propter amorem tuum, et nomen tuum sanctum: conserva et benedic eos omnibus benedictionibus spiritualibus; laetifica eos bonis indeficientibus, et spe promissorum eorum, quae sanctis tuis facta sunt. Effundo benedictiones tuas in omnia quae ad eos pertinent: concedo sanitatem et continentiam corporibus eorum, puritatem et sanctitatem animabus eorum, et da requiem animabus defunctorum ex ipsis, in habitaculis tuis beatis, in aeternum: atque pro rebus istis temporalibus, da illis vitam et regnum. Amen.

Panem quantum opus est multiplicat, incensat, reponitque in altari, dicens:

Tanquam agnus ad occisionem ductus est, et velut ovis coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum affligenti se.

Et postquam panem Eucharisticum intulerit ad altare, accipiens eum utraque manu dicit:

Deus qui sacrificium Abel in campo suscepisti, Noe in arca, Abrahae in montis cacumine, Davidis in area Doran Jebusaei, Eliae in monte Carmelo, et minuta viduae in Gazophylacio: tu Domine suscipe has oblationes quae tibi offeruntur manibus meis, infirmi et peccatoris: et per illas praesta memoriam bonam vivis et mortuis, pro quibus offeruntur, benedicque habitationem eorum qui illas offerunt. Amen.

Deponit oblatam in disco et dicit:

Paratum sedi tuae fecisti sanctuarium tuum Domine: confirma illud Domine manibus tuis. Dominus regnabit in saecula saeculorum.

Incensat velum minus, tegit illo discum, et dicit:

Dominus regnavit, decorem induit: Pater, Filius et Spiritus sanctus, Amen.

Accipit calicem et dicit: Calicem salutis accipiam, nomen Domini invocabo, et vota mea Domino reddam.

Fundit vinum in calicem et dicit:

Etiam hoc vinum quod est typus sanguinis, qui fluxit nobis ex latere filii tui dilecti Jesu Christi Domini nostri, fundo in calicem hunc, calicem salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Admiscet vino paululum aquae et dicit:

Hanc etiam aquam, quae typus est aquae illius, quae fluxit nobis e latere filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi, misceo in ca-

lice hoc, calice salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Incensat velum minus, tegit illo calicem, tum dicit:

Induit Dominus fortitudinem et roboratus est: et firmavit orbem terrae, ut non commoveatur: Pater, Filius et Spiritus sanctus, Amen.

Incensat velum majus, et tegit eo discum et calicem, tum dicit:

Operti sunt coeli fulgore gloriosi illius, et laude ejus repleta est omnis terra.

Conversus ad populum veniam petit, dicens. Orate pro me.

Vertitur: incensum adolet circa altare et circumstantes. Dum adolet incensum.

Venite laudemus Dominum, canamus Deo salvatori nostro, praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in canticis glorificemus eum. Quoniam Deus est magnus Dominus, et rex magnus super omnes Deos: in manibus ejus sunt fundamenta terrae, et altitudo montium ipsius est; mare, ipse fecit illud et aridam firmaverunt manus ejus. Venite procidamus et adoremus eum, et benedicamus eum, qui fecit nos, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Postea omnes dicunt Sacerdote praeeunte.

Incensa pura, quae tibi obtulerunt filii Ecclesiae fidelis, per manus Sacerdotum, ad placandam divinitatem tuam, suscipe per gratiam benignitatis tuae. Miserere poenitentium, et sicut suscepta fuit oblatio Abrahae in montis vertice, et suavis tibi fuit odor thuris Aaron Sacerdotis, ita gratus tibi sit odor incensorum nostrorum, et illo placatus esto, Deus multae misericordiae.

Sacerdos dicit, Populo subsequente. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Sanctus es Deus, Sanctus es fortis, Sanctus es o immortalis, miserere nobis. Pater noster qui es in coelis, etc.

Sacerdos. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto: super nos autem infirmos et peccatores, misericordia et gratia effundantur in utroque saeculo nunc, etc.

Diaconus. Pro tranquillitate et pace totius mundi in Christum credentium, a finibus usque ad fines orbis, pro infirmis et afflictis, et animabus in angustia dejectis: pro patribus, fratribus et Doctoribus nostris: pro peccatis, insipientiis et defectibus omnium nostrum, et pro fidelibus defunctis qui a nobis abierunt, cum odoribus impositis, oramus Domine.

Sacèrdos. Dignare Domine ut semper ingrediamur domum tuam, et pulsemus confidenter ostium tuum, adoremusque sincere in templo tuo. Exaudi quoque nos benigne et concede nobis petitiones nostras, praeclare et misericorditer ex thesauro tuo, et referemus tibi gloriam cum gaudio, Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

Et dicunt omnes simul: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, et spes bona hominibus, etc. Gloria Patri et Filio.

Domine labia mea aperi et os meum annunciet laudem tuam. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor meum ad verbum malum, nec operer opera iniquitatis. Memento Domine misericordiarum tuarum quae a saeculo sunt, gratiarumque tuarum: et quae insipienter egi, ne reputes mihi, sed secundum multitudinem misericordiarum tuarum, memento mei. Domine dilexi ministerium domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae: domum tuam decet sanctitudo, in longitudinem dierum. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et vere Dominus ipse est in saeculum. Gloria Patri, et super terram pax, et spes bona hominibus.

Prooemium ad Deiparam vel aliud secundum varias solemnitates.

Laudem et confessionem, gloriam, laudationem, exaltationem, et magnificentiam, referre debemus illi fructui amabili, qui e sinu virginis prodiit, et memoriam genitricis suae praeclaram et illustrem reddidit: illi Domino adorando, qui festivitates sanctorum suorum, et laetitiam felicitatis eorum inter creaturas glorificavit, illi vivo et vivifico, qui voce suavi etiam mortuos excitat, et populum suum glorificatione gratissima laetificat, quem decet gloria, etc.

Sedra. Adoramus te et gratias agimus tibi, creator saeculorum, et conditor creaturarum, germen benedictum quod e Maria, terra sitiente, prodiit, repletaque est terra omnis odore suavitatis ejus eximiae, factoremque tetrum impietatis expulit per doctrinam suam praeclaram. Offerimus tibi incensum istud instar Aaron Sacerdotis, qui obtulit tibi thus purum, et prohibuit exitium a populo Israel. Petimus ecce a te Domine, ut suscipias hunc odorem thuris, quod offert tibi tenuitas nostra, pro peccatis et insipientiis nostris: pro divitibus et egenis; pro pupillis et viduis; pro afflictis et qui perse-

cutionem patiuntur: pro infirmis et oppressis; pro iis omnibus qui dixerunt et praeceperunt nobis, ut in nostris ad te Christum Deum nostrum precibus, eorum meminissemus; pro vivis et mortuis: pro animarum ipsorum quiete in coelesti Jerusalem: per intercessiones Patris nostri Adami, et Evae matris nostrae; per deprecationes sanctae genitricis Dei Mariae: per orationes Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Patrum nostrorum, Doctorum Orthodoxae fidei: per preces virginum utriusque sexus, et omnium sanctorum atque justorum, et referemus tibi Domine, gloriam, laudem et adorationem, et Patri tuo et Spiritui tuo vivo et sancto nunc et semper.

His pro tempore vel Sacerdotis arbitrio adjunguntur variae ejusdem generis Orationes, ad Deiparam, Prooemia, Sedrae, carmina Ephraemitica vel Jacobitica, Orationes pro variis necessitatibus, commendationes vivorum et mortuorum. Sacerdos inclinat se osculans altare dextrorsum et sinistrorsum, mox Presbyterio in circuitu ejus, et populo qui pone illum est.

Orate pro me propter Dominum. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, tam initio nostro, quam in fine. Super nos autem peccatores, misericordiae et miseratio effundantur in utroque saeculo nunc, etc.

Diaconus. Pro pace et tranquillitate: *ut supra.*

Sacerdos. Praesta Domine Deus misericors et amator hominum, ut cum scientia, timore, et disciplina spirituali, pure, coram te consistamus, sancte tibi ministremus: teque laudemus, ut Dominum et omnium opificem: cui adoratio et honor debentur ab omnibus; Domine Deus noster tibi gloria in saecula, Amen.

Et ter incensat mysteria in crucis formam, et in orbem. Mox dicitur ab omnibus.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *usque ad finem Psalmi.*

Sacerdos. Miserere mei Domine secundum misericordiam tuam, et remitte peccata nostra per clementiam tuam. Lava iniquitates et nequitias nostras, multitudine miserationis tuae. Cor mundum crea in nobis, spiritumque rectitudinis et humilitatis, et sanctificet cogitationes nostras. Purius est enim magis, quam holocausta pacifica et legalia sacrificia. Doce iniquos viam tuam et errantes ad te converte, ut linguae eorum justitiam tuam celebrent, et miserationibus tuis aeternis digni efficiantur, Pater, Fili, etc.

Diaconus. Stemus decenter in oratione et precibus coram Deo Deorum, et Domino Dominorum, coram Rege Regum, coram altari propitiatorio, et coram mysteriis praeclaris, et vivis Salvatoris nostri, cum aromatibus impositis misericordiam tuam imploramus Domine.

Sacerdos ponit incensum, et dicit. Ad laudem et gloriam. *ut supra. Hoc loco inseruntur aliquot orationes metro Ephremitico aut Jacobitico, quae dicuntur in variis solemnitatibus juxta cujusque Ecclesiae consuetudinem. Ter oblata incensat in modum circuli, dicens:*

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.

Diaconus. Miserere nobis.

Sacerdos. Sancte et laudabilis, potens et immortalis, Deus qui in sanctis habitas, et in sanctis requiescis, voluntate divinitatis tuae, sanctifica Domine cogitationes nostras, et mentes nostras munda ab omnibus sordibus criminum, ut hymnum inculpatum referamus tibi, in Ecclesia tua sancta nunc et semper, etc.

Diaconus dicit Psalmum Davidicum illi diei assignatum. Mox dicit.

Quem vidit Moses in rubo, et Ezechiel super currum, ipse ponitur super altare sanctum: accipiuntque illum populi, et vivunt. Ille cui Cherubim et Seraphim magno cum timore serviunt, ecce offertur super altare, accipiuntque illum populi et vivunt. Deus qui per misericordiam tuam suscepisti sacrificium justorum antiquorum, suscipe per misericordiam tuam sacrificium nostrum, et acceptas habe preces nostras.

Canticum aliud. Populus tuus Christe. Benedictus Christus qui aedificavit Ecclesiam suam super Simonem, et elegit Sacerdotes ad dividendum in ea corpus et sanguinem suum. In timore magno stant Sacerdotes, cum Diaconis et distribuunt corpus et sanguinem Filii Dei. Oves tuae Christe, stant ad ostium tuum: comedunt corpus et bibunt sanguinem tuum, canuntque gloriam divinitati tuae.

Diaconus legit Epistolam Pauli. Benedic Domine. Ex Paulo Apostolo Domini nostri Jesu Christi, etc.

Lectio juxta festa et tempora.

Sacerdos. Gloria Domino Pauli, Prophetarum, et Apostolorum. Misericordiae Domini sint super lectores et auditores, et super hanc urbem, omnesque habitantes in ea, in saecula, Amen.

Diaconus. Psalmus Davidis dicitur coram Patre nostro.

Sacerdos. Deus laudem tuam suscipiat, et laetificet cor audientium te, in regno coelorum in saecula.

Diaconus. Alleluia, alleluia.

Sacerdos. Immolate illi sacrificia, offerte oblationes, ascendite in atria Domini, et adorate eum in templo sancto ejus, confitemini et benedicite nomini ejus, a quo vita tribuitur. Alleluia.

Diaconus. Ante Evangelium Salvatoris nostri, qui annunciavit vitam animabus nostris, cum odoribus impositis, misericordiam tuam Domino deprecamur.

Sacerdos mittit thus in thuribulum et dicit.

Benedic Domine. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. Adoremus, laudemus et celebremus, exaltemus, extollamus et benedicamus nomen adorandum et laudandum Patris, Filii, et Spiritus sancti vivi, cujus una est potestas, una majestas, una voluntas: unus Deus, verus, benedictus, excelsus, indivisus: ipsi sit gloria, et super nos misericordiae ejus, nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen. Domine Deus omnipotens qui secundum divinam voluntatem omnia regis; omnia enim tibi subdita sunt: concede nobis Domine Deus propitiationem delictorum et remissionem peccatorum: aufer a nobis dolum et invidiam, et Spiritu tuo sancto nos sanctifica, ut digni auditores et factores simus Evangelii Christi tui: per quem et cum quo te decet laus et gloria, simul cum suffitu hoc thuris, ante lectionem Evangelii tui salutaris. Domine et Deus noster tibi gloria in saecula.

Diaconus. Accedite ad me fratres, tacete et auscultate annunciationem Salvatoris nostri, ex Evangelio sancto quod vobis legitur.

Sacerdos. Pax vobiscum.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Ex Evangelio sancto, Domini nostri Jesu Christi, Dei nostri veri, praedicatione facta, a N. Apostolo et praecone vitae aeternae, annunciationem vitae et salutis audimus pro animabus nostris.

Diaconus. Estote in silentio, Auditores, hoc est enim Evangelium sanctum quod legitur. Fratres mei festinate, audite, et confitemini verbum Dei vivi.

Sacerdos. Igitur in tempore conversationis in terra Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, dixit Discipulis suis, etc.

Populus. Benedic Pater.

Sacerdos signat cruce populum, dicens:

Dextera Domini nostri Jesu Christi, et brachium potestatis ejus, et occulta virtus majestatis ejus, quae confert omnes benedictiones, et omnia dona vitae: ipsa quae requievit super Apostolos sanctos, in coenaculo sancto Sionis, eosque sanctificavit, et in monte olivarum illis benedixit, ipsa veniat, habitet et requiescat super fratres meos lectores et auditores (Evangelii) custodiatque regionem hanc, et omnes fideles in ea commorantes, civitatem hanc; et fideles ejus cives; beatam etiam requiem praestet fidelibus defunctis qui ex ea profecti sunt, fidelesque viventes qui habitant in ea semper custodiat, usque in saecula.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tempore igitur conversationis in terra Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, etc.

Populus. Domine miserere nostri.

Hoc loco leguntur Evangelia juxta diem et solemnitatem. Diaconus canit versum simplicem Ephraemiticum.

Stemus omnes in oratione coram Deo misericordi, et vocibus quae ipsi gratae sint, ad Deum simul clamemus. Rogemus Patrem absconditum, filium laudandum et sanctum Spiritumque sanctum Paraclitum, ut per misericordiam suam suscipiat oblationem nostram. Annunciatio tua quae praedicata est Domine, in medio Ecclesiae tuae ad gregem tuum, fermentum sit animabus nostris: et per eam comparemus cibum suavem. Sacerdotes qui legerunt, veniam consequantur: Diaconi puri efficiantur: Subdiaconi et Lectores suscipiant a te remissionem. Revela gratiam tuam mentibus nostris per lectionem annunciationis tuae, et da nobis observatores esse mandatorum tuorum, quae in ea sunt consignata. Matthaeus, Marcus cum Luca, nec non cum illis electus Joannes, deprecentur te: et praesta misericordiam tuam erga nos omnes. Aures auditorum doctrinae tuae, et lectionis annunciationis tuae, non audiant Domine vocem illam, quae pellet et ejiciet impios. Propitius esto Domine populo tuo et miserere gregis tui, et triplices voces gloriae offeremus Trinitati.

Sacerdos. Ipsi Jesu Christo laudes, gratiarum actiones, et benedictiones propter ejus viva ad nos verba: Patri ejus, qui misit eum ad salutem nostram: et Spiritui ejus vivo et sancto nunc et semper.

Diaconus. Abite in pace auditores, abite auditores in pace: accedite Baptisati ad pacem; fores claudite.

Sacerdos. Dominus regnavit decorem induit: Alleluia. Ego sum panis vitae, dicit Dominus noster, qui ex alto in infima descendi, ut per me mundus vivat: misit me Pater Verbum carnis expers, et sicut agricola seminavit me Gabriel, suscepitque me uterus Mariae, velut terra bona, et ecce ferunt me manibus suis Sacerdotes super altaria. Alleluia. Suscipe oblationem nostram.

Diaconus. Induit Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute, et firmavit orbem terrae ut non commoveatur. Alleluia. Filium qui facit Ministros ignis et Spiritus, qui alimento non indigent et mortem non gustant, qui edunt ignem, et carbones bibunt, Dominoque suo in timore serviunt, et offerunt trinas sanctificationes trino, benedicamus et adoremus, quia nos illis pares effecit. Alleluia. Suscipo oblationem nostram.

Sacerdos. Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.

Diaconus. Dominus regnavit.

Sacerdos. Memento Domine defunctorum, et requiem illis praesta, qui te in Baptismate induerunt, et te ex altari acceperunt.

Diaconus. Illi qui comederunt corpus tuum sanctum, et biberunt sanguinem tuum, calicem salutis, cum Abraham recumbant ad mensam tuam: et cum piis qui dilexerunt te, clamemus tibi gloriam, Domine. Alleluia. Da nobis et illis veniam.

Tum recitant Symbolum fidei trecentorum decem et octo Patrum Nicaenorum.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, natum ex Patre ante omnia saecula. Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non * factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis: et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex Maria virgine, et homo factus est, sicut nos. Crucifixus est etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, mortuus et sepultus est: tertia die resurrexit a mortuis, sicut scriptum est, et ascendit in coelum, sedetque ad dexteram Patris sui. Et iterum venturus est in gloria sua, judicare vivos et mortuos, cujus regni non est finis, et in unum Spiritum sanctum Do-

* *Al. Codd. Creatum.*

minum et vivificantem omnia. Qui procedit ex Patre. Qui cum Patre et Filio adoratur et glorificatur: qui locutus est per Prophetas et Apostolos. Et in unam Ecclesiam sanctam, Catholicam et Apostolicam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expectamus resurrectionem a mortuis, et vitam novam venturi saeculi. Amen.

Sacerdos lavat extremos digitos et dicit:

Lavi manus meas pure: et circumdedi altare tuum Domine: ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua: laetabor et exultabo in te, et psallam nomini tuo altissime.

Et deinde. Ingressus sum in domum tuam et coram throno tuo sancto procidi, Rex coelestis: dimitte mihi omnia quae peccavi tibi.

Inclinatur coram altari, et mox ad Sacerdotes et populum conversus veniam petit et se precibus commendat, dicens:

Orate pro me propter Dominum.

Et incipit Anaphoram sive Canonem.

ALIUS ORDO GENERALIS

LITURGIAE.

Per virtutem Trinitatis sanctae scribimus Ordinem qui observandus est ante Oblationem.

***Primo** Sacerdos dicit hunc hymnum.*

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto: et super nos imbelles et peccatores, miserationes et benignitas effundantur in utroque saeculo: nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Perfice nobis Domine Deus miserator et amator hominum, ut cum cognitione, timore et disciplina spirituali, stemus coram te pure et sancte, et ministremus tibi tanquam Domino et factori, cui debetur adoratio ab omnibus, Pater, Fili, et Spiritus sancte nunc, etc.

Psalmus. Pesita. Miserere mei Deus.

Sacerdos petit remissionem et dicit.

Benedic Domine remissioni, seu absolutioni.

Ascendit ad altare et dicit.

Ad thronum tuum ascendi Domine, et coram solio tuo adoravi, Rex coelestis: parce mihi omnia quae peccavi tibi.

Et dum ascendit dicit. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Osculatur cornu altaris et dicit. Liga Domine festivitates nostras in catenis, usque ad cornua altaris tui.

Et cum accendit cereum, ad latus dextrum dicit.

In lumine tuo videmus lumen.

Ad latus sinistrum dicit. Pius et sanctus, qui habitat in habitaculis lucis.

Cum miscet vinum et aquam in calice, dicit. Uni Domine aquam istam cum hoc vino, sicut unita est divinitas tua humanitati.

Si discus magnus est, ad quatuor ejus angulos disponit (particulas panis consecrandi) *in formam crucis: si minor est, super tres particulas unam super aliam collocat, aut duas ad minus, pari numero, aut impari, si opus est. Spongiam et cochlear in latere australi, supra tabulam consecratam deponit: Oblatae majorem particulam, et velum,* seu Anaphoram *in latere Occidentali, donec frangat corpus prima vice. Accipit Oblatam, et postquam extersit manus, eam osculatur, ponitque in latere australi cum cochleari. Tum accipit sigillum sive majorem et mediam oblatae partem ambabus manibus, et collocat in disco, dicens:*

Tanquam ovis ad occisionem ductus est: et tanquam agnus coram tondente siluit, et non aperuit os suum in humiliatione sua. Firmam fecisti sedem tuam Domine, sanctuarium tuum: confirma illud manibus tuis: Dominus regnabit in saecula saeculorum.

Deponit Oblatam in disco, et dicit.

Primogenite Patris coelestis, suscipe hunc primogenitum ex manibus servi tui imbellis.

Elevat calicem vino et aqua mistum, et dicit.

Dominus noster Jesus Christus inter latrones crucifixus est, super lignum in Jerusalem: transfixusque est lancea in latere suo, fluxeruntque ex eo sanguis et aqua, ad propitiationem universae creaturae: et qui vidit testimonium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium ejus. Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo; votaque mea Domino reddam.

Incipit Sedram Poenitentiae. Prooemium.

Laus uni Patri misericordi, qui exaudit peccatores invocantes eum: unico filio clementi, qui suscipit poenitentes pulsantes ejus ostium: uni Spiritui sancto qui propitiatur reis deprecantibus illum; quoniam decet illum, etc.

Sedra. Deus mitis, benigne, mansuete, et amator hominum, qui misericordiam vis, et non sacrificia: qui cor contritum plus amas quam holocausta: spiritumque humiliatum acceptum habes, magis quam sanguinem et adipem taurorum, et agnorum pinguium: suscipe nunc sacrificium nostrum spirituale, super altare tuum rationale, et praesta ut exhibeamus tibi animas nostras, hostiam vivam et acceptabilem, quae placeat voluntati tuae, in ministerio spirituali et offeramus tibi sacrificia spiritualia, cum corde contrito et spiritu humiliato, super

altare quod sursum est: simusque tibi oves praeclarae absque macula: ut per transmutationem novam transmutemur; et novi facti, ad saeculum novum mittamur, cum animabus rationalibus et sapientibus, simulque cum praeclaris lampadibus fidei, digni efficiamur omnes in templo tuo dicere: Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, nunc, etc.

Versus. Ad ostium tuum Domine pulso: ad ostium quod pulsare debet, quicumque ad illud adit, Pater, Fili, et Spiritus sancte.

Incensum adoletur.

Sit Domine vox ministerii nostri incensum (coram te). Suavis tibi sit Domine odor orationum nostrarum, omni tempore: et fumus incensi nostri, sit ad placationem tuam: et placare creaturae tuae propter misericordiam tuam. Sit, etc.

Finis. Christe qui suscepisti sacrificium Melchisedech Sacerdotis puri: suscipe Domine orationem servi tui, et propitius esto delictis gregis tui.

Perficit officium (primum) *et dicit orationem ultimam.*

Sacrificia laudis in sacerdotali ministerio offerre tibi digni efficiamur Domine, in odorem suavitatis. Cogitationes nostrae, verba et opera, sint holocausta absque macula: ut placentes divinitati tuae appareamus coram te, omnibus diebus vitae nostrae, Pater, Fili et Spiritus sancte, Domine noster.

Incipit Officium secundum oblationis.

Primum. Oratio.

Praesta nobis, Domine Deus, ut cordibus nostris aspersis et mundis ab omni conscientia mala, digni efficiamur ascendere ad sanctum sanctorum tuum sublime et excelsum, casteque et sancte stemus coram altari tuo sancto, et sacerdotio fungentes, offeramus tibi sacrificia rationabilia, et spiritualia, cum fide vera, Pater, Fili et Spiritus sancte.

Deponens vestes ordinarias suas dicit.

Eruc me, Domine Deus noster, vestimentis sordidis quibus induit me Satan, per dissolutionem operum malorum, et indue me vestimentis electis, quae conveniant ministerio honoris tui, et gloriae nominis tui sancti, Domine.

Calceos accipit, et primo sinistrum dicens:

Calcea me, Domine, ad praeparationem Evangelii pacis, ut conteram serpentes et scorpios, omnemque virtutem inimici, in saecula. Amen.

Tum accipit dextrum, et dicit.

Deprime, Domine Deus, sub scabellum pedum meorum omnem sublimitatem extollentem se adversus scientiam tuam, ita ut per auxilium tuum, conteram passiones carnales in saecula.

Accipit Χιτώνιον, factoque super illud triplici signo crucis, induit illud, et dicit.

Indue me Domine veste incorruptionis per virtutem Spiritus tui sancti: et praesta mihi ut placeam tibi moribus bonis et rectis, omnibus diebus vitae meae Domine.

Signat ter Orarium crucis signo, illudque imponit collo suo, demittitque super pectus transversim, in formam crucis, dicens:

Praecinges me virtute in bello, et deprimes insurgentes adversum me, subtus me.

Signat ter zonam crucis signo, et cingit eam circa renes suos dicens:

Accingere gladio super renes tuos, o potens: specie tua et gloria tua, etc.

Accipit manipulum et signat illum bis signo crucis, alligatque brachio sinistro, et dicit.

Arma justitiae fac membra mea, Domine, ad omnia opera bona et recta: faciens nos templa pura et vasa electa, quae conveniant ministerio gloriae tuae semper: Pater, etc.

Et dum illum induit. Doce manus meas ad praelium, et robora sicut arcum aereum brachia mea.

Accipit manipulum alterum, signatque eum semel signo crucis, et dextero brachio circumponit, dicens:

Arma justitiae, etc. Interea. Dextera tua adjuvet me, et disciplina tua me doceat.

Signat Fainam, sive Casulam, *ter signo crucis, dicens:*

Sacerdotes tui induantur justitiam, etc.

Sacerdos inclinatur, et ascendit in medium veli: tum inclinatur coram mensa vitae, dicitque hanc orationem pro se ipso secreto.

Domine Deus omnipotens qui remittis iniquitates humanas, qui non vis mortem peccatoris: ad te extendo manus cordis mei, et a te

peto remissionem omnium iniquitatum mearum, licet indignus: sed obsecro te, ut praeserves mentem meam ab omnibus operationibus adversarii: oculos meos, ne aspiciant intemperanter: aures, ne audiant res futiles: manus meas a perpetratione rerum odibilium: et renes meos ut per te moveantur, totusque ad te sim, et a te mihi concedatur donum mysteriorum tuorum divinorum, nunc, etc.

Osculatur gradum altaris, et ascendit: et revolvit velum sive tegumentum mysteriorum: velum disci collocat ad latus australe: velum calicis ad Occidentale, et dicit.

Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et fortitudine accinctus est.

Oratio.

Agne pure, et absque macula qui te obtulisti Patri tuo sacrificium acceptabile, pro salute et propitiatione totius mundi: praesta nobis ut offeramus tibi nos ipsos sacrificium vivum, quod placeat tibi et simile sit sacrificio tuo pro nobis, Christe Deus noster in saecula.

Sacerdos stans dicet orationem quae incipit, Memoria Domini et Dei nostri. *Discum inveniens positum in parte sinistra, calicem in sinistra, extendit manus suas in formam crucis, dextra sinistrae superposita: tum dextra discum sustinet, sinistra calicem, supra partem altaris in qua tabula defixa est, neque eos deponit, donec absolverit orationem hanc generalem, quae sequitur.*

Memoriam Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi totiusque ejus dispensationis salutiferae pro nobis agimus. Ecce enim annuntiationis ejus per Archangelum Virgilem: nativitatis ejus in carne: baptismi ejus in Jordane: passionis ejus salutaris: elevationis ejus in cruce: mortis ejus vivificae: sepulturae ejus gloriosae: resurrectionis praeclarae: ascensionis in coelum, sessionisque ejus ad dexteram Dei Patris, juxta divinum ejus ad nos praeceptum, commemorationem nunc celebramus, super Eucharistiam istam quae coram nobis proposita est. Praecipue autem memoriam agimus patris nostri Adami, et matris nostrae Evae: sanctae genitricis Dei Mariae: Prophetarum, Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Justorum, Sacerdotum et Patrum sanctorum: Pastorum verorum, Doctorum Orthodoxorum: Solitariorum et Monachorum: eorum etiam

qui nobiscum adstant et orant, cum omnibus qui a saeculo tibi placuerunt, ab Adamo ad hanc usque diem. Memoriam quoque agimus patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui docuerunt nos verbum veritatis: defunctorum quoque nostrorum, et omnium defunctorum fidelium; praecipue vero et nominatim consanguineorum nostrorum, tum eorum qui partem habent, aut habuerunt in erectione loci istius, et unius cujusque, cui nobiscum intercedit communio, sive verbo, sive opere, in pauco vel in multo: illius praesertim, propter quem offertur hoc sacrificium, N.

Hoc loco commemorat eum pro quo Liturgia celebratur, et quemcumque alium commemorari oportet. Si Genitricis Dei aut alicujus sancti Missa celebratur, dicet:

Sancti N. cujus hodie memoriam celebramus: et praecipue sanctae genitricis Dei Mariae, ad cujus honorem et propter quam offertur hoc sacrificium, specialiter et singulariter, ut ipsa sit apud te Domine deprecatrix pro quocumque qui ad ejus orationis auxilium confugit. Deus bone et misericors per ejus orationes acceptabiles, apud te et exaudiendas, concede ea quae petit ille, qui singulari honore celebrat memoriam ejus. Averte ab eo tentationes, castigationes et virgas furoris, et parce delictis et peccatis ejus, per clementiam tuam, per orationes genitricis tuae et omnium sanctorum tuorum. Amen.

Iterum. Deus tu factus es sacrificium, et tibi sacrificium offertur: suscipe hoc sacrificium ex manibus meis peccatricibus, pro anima N. *et nomen ejus ter pronuncial. Iterum.* Deus praesta per clementiam tuam, requiem et memoriam bonam patri meo et matri meae. *Nomina illorum ter pronunciat. Si pro infirmo Liturgia celebratur.* Deus misericors, miserere illius, et concede illi sanitatem animae et corporis. *Si pro defuncto.* Deus praesta illi requiem, et plenam felicitatis fruitionem in habitaculis lucis tuis, cum omnibus qui perfecerunt voluntatem tuam. Praesta etiam requiem et memoriam bonam patri meo, et matri meae, et unicuique eorum quibuscum mihi societas intercedit: et quicumque ab infirmitate nostra petiit, ut illius memoriam ageremus in sacrificio hoc, quod a nobis peccatoribus tibi offertur, quorum nomina tibi nota sunt.

Στῶμεν καλῶς. Stemus decenter. Kyrie eleison.

Tunc deponit mysteria, et collocat calicem ad Orientem, discum ad Occidentem: extendit Anaphoram sive velum majus, operitque mysteria, et dicit.

Operti sunt coeli splendore ejus glorioso, et laude ejus repleta est terra.

Incipit Sedram generalem, imponitque thus, et dicit.

Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae et gloriosae, aromata imponuntur per manus meas peccatrices: oremus omnes, et misericordiam, et gratiam a Domino postulemus.

Imponensque aromata, incipit Sedram generalem. Prooemium.

Laus fructui illi desiderabili, qui ex sinu virginali germinavit: et memoriam genitricis suae magnificavit, perennemque fecit: illi Domino adorando, cujus gloriam, festum sanctorum suorum et chori eorum inter creaturas celebrant: illi vivo et vivificanti, qui voce sua benigna mortuos suscitat, et secum in gloria sua jucunda, laetificat; quem decet, etc.

Sedra. Adoramus te, et confitemur tibi creator mundi, et conditor creaturarum, radix benedicta, quae germinavit et ascendit de terra sitienti Maria, et repleta est omnis creatura odore suavitatis ejus praeclarae, qui expulit foetorem tetrum impietatis, ex omni parte, per doctrinam suam praeclaram. Offerimus coram te incensum hoc ad similitudinem Aaron Sacerdotis venerandi, qui obtulit tibi incensum purum in tabernaculo temporali, et prohibuit mortalitatem a populo Israel. Ecce obsecramus te Domine Deus, suscipe incensum istud aromatum quod offert tibi tenuitas nostra, pro sancta genitrice Dei Maria: pro patre nostro Adamo, et matre nostra Eva: pro Prophetis et Apostolis: pro piis et justis: pro Martyribus et Confessoribus: pro Patribus sanctis, Pastoribus veris, et Doctoribus Orthodoxis: pro divitibus et pauperibus: pro orphanis et viduis: pro augustiatis et afflictis: pro infirmis et dolore oppressis, et pro omnibus qui dixerunt et praeceperunt nobis, ut eorum memores essemus in orationibus et sacrificiis ad te, Christe Deus noster. Etiam pro vivis et defunctis, et pro requie animarum illorum in Jerusalem coelesti: gloriamque et honorem et adorationem referemus tibi Domine, et Patri tuo et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Accipit incensum, et ascendit ad gradum altaris, et elevat incensum, super mysteria versus Orientem, dicitque.

Super incensum aromatum, sit memoria Virginis Mariae genitricis Dei. *Ad Occidentem.* Super incensum aromatum, sit memoria Prophetarum, Apostolorum, et Martyrum sanctorum. *Ad Septentrionem.* Super incensum aromatum, sit memoria Doctorum, Sacer-

dotum, Piorum et Justorum. *Ad Austrum.* Super incensum aromatum, sit memoria Ecclesiae sanctae et omnium filiorum ejus.

Adolet incensum circulariter super mysteria tribus vicibus, descenditque ex gradu, et dicit Orationem susceptionis incensi.

Suscipe Domine incensum Sacerdotum tuorum: placare per suffitum servorum tuorum: acceptumque habe ministerium adorantium te. Praesta etiam per illud quietem et memoriam bonam genitrici tuae et sanctis tuis, Fili Christe: qui adoraris et glorificaris cum Patre tuo et Spiritu tuo sancto, nunc, etc.

Facta genuflexione incensat ter partem mediam mensae vitae quae est typus Patris: tum cornu Septentrionale ejusdem mensae totidem vicibus, quod est typus Filii: ter etiam cornu Australe quod est typus Spiritus sancti. Et dicit Orationem. Maria quae te genuit: *aut deprecationem generalem.* Kyrie eleison *ter.* Domine miserere nobis. Pater noster. *Statim incensat Diaconum, et incipit responsorium oblationis, sancti Severi Patriarchae.*

Exaltabo te Domine meus Rex, Sanctus Deus *ter.* Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Lectio Epistolae Apostoli. Tum dicet Sacerdos hanc Orationem, ante Lectionem Actuum Apostolorum.

Praesta nobis Domine ut per intercessiones Apostolorum tuorum sanctorum, non simus errantes aut vacillantes in fide, sed ut in confessione eorum perseveremus, moribusque honestis et virtutum ornamentis quae placeant divinitati tuae, fulgeamus omnibus diebus vitae nostrae, ad ultimum usque spiritum, Christe Deus noster, spes vitae nostrae, et salvator animarum nostrarum in saecula. Amen.

Et post lectionem Actuum Apostolorum, dicet hanc Orationem ante Apostoli lectionem.

Suscipe Domine Deus orationes et deprecationes nostras apud te, hoc tempore, et praesta nobis ut cum puritate et sanctitate observemus mandata tua, et Apostolorum tuorum divinorum, et Pauli architecti et aedificatoris Ecclesiae tuae sanctae Domine, Deus in saecula.

Evangelium sanctum Domini nostri Jesu Christi, praedicatum per Mathaeum Apostolum, aut per Joannem, vitam et salutem annuncians mundo. *Sive.* Annunciatio vivifica per Marcum, aut Lucam Evangelistas, quae annunciat vitam et salutem mundo.

Et prosequitur. In tempore igitur dispensationis Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Verbi Dei quod annunciatum fuerat. Haec porro ita gesta sunt, *vel* Ita dixit.

Ita toto anno dicitur, excepto die Annunciationis factae Zachariae Sacerdoti. Et post Evangelium, dicit.

Domino nostro Jesu Christo, hymni, laudes et benedictiones, propter verba ejus viva ad nos: et Patri ejus, qui misit illum ad salutem nostram: et Spiritui vivo et sancto, qui vivificat nos, in saecula saeculorum. Amen.

Sedra illationis oblationis. Imponit incensum, quod ter cruce signat, et dicit.

Sanctus Pater sanctus. Sanctus Filius sanctus. Sanctus Spiritus vivus et sanctus, qui sanctificat incensum peccatoris servi sui, propitiatus, et miseratus animarum nostrarum, et animarum patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum: defunctorumque nostrorum, et omnium defunctorum fidelium, filiorum Ecclesiae sanctae in utroque saeculo: in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Σοφία et Πρόσχωμεν.

Populus. Credo in unum Deum.

Sacerdos lavat aqua summos digitos suos, et dicit.

Absterge Domine sordes et maculas animae meae, et munda me per aspersionem tuam vitae, ut pure et sancte merear accedere ad sanctum sanctorum tuum, sanctum et sanctificans: utque sine macula tractem Sacramenta tua adoranda et divina, et cum conscientia pura, offeram tibi sacrificium vivum, quod placeat divinitati tuae, et simile sit sacrificio tuo glorioso, Domine et Deus noster, in saecula saeculorum.

Petit remissionem, et dicit.

Benedic Domine remissioni, sive absolutioni.

Inclinatur coram mensa vitae, et dicit hanc Orationem secreto.

Trinitas sancta et laudanda miserere mei. Trinitas sancta et laudanda, parce mihi peccatori. Trinitas sancta et laudanda, suscipe sacrificium hoc ex manibus meis infirmis et peccatricibus. Deus per clementiam tuam praesta requiem et memoriam bonam genitricis tuae, et sanctis tuis, omnibusque defunctis fidelibus. Super altare tuum sanctum et coeleste. Deus parce et dimitte hoc tempore peccata mei peccatoris servi tui, et adjuva infirmitatem meam, qui te semper invoco: per orationes genitricis tuae et omnium sanctorum tuo-

rum. Deus per misericordiam tuam parce et dimitte peccata consanguineorum nostrorum, patrum et fratrum nostrorum, et magistrorum nostrorum, ut etiam illius pro quo offertur hoc sacrificium.

Hoc loco memoriam facit cujuscumque vult. Osculatur gradum altaris, et ad illud ascendit, incipitque oblationem, cantu gravi et tranquillo. Postquam dictum est. Stemus decenter: *signat ter populum signo crucis: tum imponit dextram super tabulam altaris, accipitque virtutem a mysteriis. Mox signat se ipsum, deinde eos qui sunt a parte Septentrionali, tum eos qui sunt ab Australi, facto ter signo crucis super populum. Si nullus sit ad dexteram ejus vel sinistram, ter signum crucis facit super se ipsum, ter super populum, et dicit.*

Caritas Dei Patris: et gratia unigeniti Filii, et communicatio illapsusque Spiritus vivi et sancti, sit cum omnibus vobis, fratres mei in saecula.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum ubi Christus sedet ad dexteram Dei Patris, sint mentes, intellectus et corda omnium nostrum.

Populus. Sunt ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino, cum timore.

Populus. Dignum et justum est. Miserere nostri Deus.

Sacerdos. Et nos quoque Domine, infirmi et peccatores servi tui, gratias agimus tibi, et laudamus benignitatem tuam, pro omnibus et de omnibus.

Populus. Sicut erat et est.

Sacerdos imponit manum super discum, signatque se ipsum ter signo crucis, hinc et inde quoque populum, dicens:

Misericordiae Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi sint cum vobis omnibus, Fratres mei, in saecula.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos frangit et signat, dicitque hanc Orationem dum corpus est super manus ejus.

Tu es Christus Deus noster: qui in vertice Golgotha in Jerusalem transfixus es in latere tuo, propter nos. Tu es Agnus Dei, qui tollis peccatum mundi: tu parce delictis nostris, et dimitte peccata nostra, nosque constitue ad dexteram tuam.

Tunc frangit et signat, dicitque hanc Orationem Fractionis D. Jacobi Barsalibi.

Ita vere passus est Deus Verbum in carne, et immolatus est et fractus in crucifixione, separataque est anima ejus a corpore ejus, quamvis divinitas ejus nullatenus separata fuerit ab anima aut corpore ejus. Transfixus est lancea in latere suo, ex quo fluxerunt sanguis et aqua, propitiatio totius mundi, quibus corpus ejus respersum est: venit anima et unita est ejus corpori: et pro peccato orbis universi, mortuus est filius in cruce, et convertit nos a parte sinistra ad dextram, et pacificavit per sanguinem crucis suae, univitque et conjunxit coelestia cum terrenis, populum cum populis, et animam cum corpore; die autem tertia surrexit de sepulcro: unus ipse Emmanuel, et non divisus post unionem inseparabilem, in duas naturas. Ita credimus, ita confitemur, et ita praedicamus, hoc esse corpus istius sanguinis, et hunc esse sanguinem hujus corporis.

Tum margaritam, sive particulam, *quam fregit, mittit in calicem.*

Alia Oratio D. Jacobi Doctoris.

Pater veritatis, ecce Filius tuus, hostia tibi placita: illum suscipe qui pro me mortuus est, et per eum esto propitius. Suscipe hoc sacrificium ex manibus meis, ut mihi placatus sis, neque reputes mihi peccata, quae commisi coram majestate tua. Ecce sanguis effusus super Golgotham ab iniquis, qui interpellat pro me: suscipe deprecationem meam propter eum. Quanta sunt delicta mea, tantae sunt miserationes tuae: si perpendas clementiam tuam, praeponderat etiam montibus quos appendis, in statera. Aspice delicta, sed aspice simul sacrificium quod pro ipsis offertur; quia multo majus est sacrificium et victima, quam reatus. Propter peccata quae commisi, clavos et lanceam sustinuit dilectus tuus: sufficiunt passiones ejus ad te placandum, et ut per eas vivam. Gloria Patri qui Filium suum tradidit pro salute nostra: et Filio qui mortuus est in cruce, et nobis omnibus vitam praestitit: et Spiritui qui incoepit et consummavit mysterium salutis nostrae: Trinitas superexcelsa, parce nobis omnibus.

Perficit tres orationes (Pesitas) *imponitque manum super calicem, signat se ipsum, et ter hinc et inde signum crucis facit super populum, et dicit.*

Gratia autem Trinitatis sanctae, laudandae, increatae subsistentis in essentia sua, aeternae, adorandae et consubstantialis sit cum omnibus vobis in saecula.

Diaconus. Cum timore Deo attendamus.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos elevat mysteria, et dicit. Parce Domine et miserere nobis. Sancta sanctis.

Unus Pater sanctus nobiscum: qui salvavit mundum per clementiam suam. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Unus Filius sanctus nobiscum, qui salvavit eum per passiones pretiosas personae suae. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Unus Spiritus sanctus nobiscum, qui est perfector et consummator omnium quae sunt aut fuerunt. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Populus. Amen.

Diaconus. In sacrificiis, etc.

Sacerdos operit mysteria velis suis: accipitque cochlear, et imponit illud calici, et particulam super discum collocat, descenditque ab altari, et prostratione facta coram mensa vitae, dicit has orationes secreto, cum corde affecto, lacrymisque et suspiriis.

Praesta mihi Domine, ut comedam te sancte, et per comestionem illam tui pellantur omnia prava mea desideria: et per potionem calicis tui vivi extinguantur passiones carnis meae: dignusque efficiar propitiatione delictorum, et remissione peccatorum, Domine Deus noster, in saecula saeculorum.

Alia. Praesta nobis, Domine Deus, ut sanctificentur corpora nostra corpore tuo sancto, et illuminentur animae nostrae sanguine tuo propitiatorio: sit ad propitiationem delictorum nostrorum, et ad remissionem peccatorum nostrorum, Domine Deus noster in saecula.

Alia. Praesta nobis Domine Deus, ut comedamus corpus tuum sanctum, et bibamus sanguinem tuum propitiatorium, simusque haeredes in regno tuo coelesti, cum omnibus qui placuerunt voluntati tuae bonae, Domine Deus noster in saecula.

Et ascendit super gradum, et dum accipit particulam ex cochleari calicis, dicit.

Teneo ego te qui contines fines orbis: te in manibus habeo qui regis profunda: te Deus pono in os meum: per te liberer ab

igne inextinguibili, dignusque efficiar remissione peccatorum et delictorum, sicut peccatrix et latro: Domine Deus noster in saecula.

Et cum communicat dicit: Particula propitiatoria corporis et sanguinis Christi Dei, datur servo infirmo et peccatori ad veniam delictorum et remissionem peccatorum in utroque saeculo, in saecula saeculorum. Amen.

Et cum bibit ex calice, dicit. Particula propitiatoria corporis et sanguinis Christi Dei nostri, datur Sacerdoti venerando, oeconomo domus Dei, qui fundit preces quae exaudiuntur, offertque sacrificia acceptabilia, custoditurque a principe Pastorum Christo. Orationes illius sint nobiscum. Amen.

Ad Diaconum. Modesto. *Aut.* Monacho Antoniano et Oeconomo domus Dei, ad propitiationem delictorum ejus, et remissionem peccatorum ejus. Orationes ejus sint nobiscum. Amen.

Sacerdos portat discum in dextera sua: calicem in sinistra, venitque a latere Septentrionali ad Australe: cum vero convertitur, elevat dextram suam. Cumque egrediuntur mysteria, dicit.

Ex altari tuo propitiatorio descendat venia ad servos tuos, Fili Dei, qui venisti ad salutem nostram, venturusque es ad resurrectionem nostram, et ad renovationem generis nostri in saecula saeculorum.

Et cum descendit, dicit. Miserationes Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, sint super eos qui portant sancta et super eos qui illa distribuunt, aut qui illa suscipiunt: aut quicumque operam dat ut illis communicet, in utroque saeculo, in saecula saeculorum. Amen. *Et prosequitur.* Extende Domine dexteram tuam invisibilem, et benedic congregationi adorantium te, qui suscipiunt corpus tuum et sanguinem tuum propitiatorium, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et confidentiam coram te, Domine Deus noster, in saecula. Amen.

Et dum impertit communionem populo, dicit.

Ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum in utroque saeculo, in saecula saeculorum. Amen.

Qui communionem accipit, dicit. Amen.

Sacerdos cum reversus est, dicit. Gloria tibi Domine Deus noster in saecula. Domine Jesu Christe, corpus tuum sanctum, quod comedimus, et sanguis tuus propitiatorius quem bibimus, non in judicium, aut in vindictam fiat nobis, sed in vitam et in salutem.

Obsignatio.

Deus qui nobis praestitit, ut communicaremus Sacramentis ejus divinis et ineffabilibus, ipse dignos faciat nos regno suo, quod non transit, et loco quietis, ubi est gaudium indesinens: concedatque misericordiam, et tribuat veniam delictorum et remissionem peccatorum commissorum verbo et opere, unicuique, qui particeps factus est Eucharistiae istius: propitieturque Deus, et dimittat ei, pro quo et cujus causa oblatum est hodie sacrificium istud, per orationes et intercessionem matris amictae justitia, coeli secundi, Virginis immaculatae, sanctae genitricis Dei Mariae. Et per virtutem magnam crucis victricis et vivificae custodiamur, et salvemur: et per orationes, Domine, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Justorum, Sacerdotum, Patrum sanctorum, Pastorum verorum, Doctorumque Orthodoxorum, et per orationes totius coetus et congregationis sanctorum qui Christum amaverunt, et praecepta ejus custodierunt: et per orationem sancti D. N. ad cujus mensam Sacrificium ordinavimus; ut etiam sancti cujus Liturgiam celebravimus; et beati Patris nostri qui hodie nobis praecst, ut etiam per vestras, fratres mei et domini mei, in saecula.

Sacerdos imponit dextram altari, et dicit Orationem commendationis hanc, ter signans populum signo crucis, et dicit.

Abite in pace fratres et dilecti nostri: commendamus vos gratiae et misericordiae Trinitatis sanctae, cum viatico et benedictionibus, quas suscepistis ab altari propitiatorio Domini: longo positos et proximos, vivos et mortuos, liberatos per crucem victricem Domini, consignatos signo baptismi sancti. Illa expiabit delicta vestra, et dimittet crimina vestra, mortuorumque vestrorum: et ego servus infirmus et peccator misericordiam et auxilium consequar per orationes vestras. Abite in pace gaudentes et exultantes, et pro me orate.

Sacerdos inclinatus coram mensa vitae, dicit intra se hanc Orationem, pro se ipso, secreto.

Per sacrificium quod obtulimus hodie, placetur Dominus et Angeli ejus electi et sancti, et per illud praestet quietem et memoriam bonam genitrici suae et sanctis suis, omnibusque defunctis fidelibus, praecipue illi pro quo et cujus causa oblatum est hoc sacrificium.

Alia Oratio.

Os tuum Domine purum et sanctum pronunciavit, et ita dixit: quicumque manducaverit corpus meum, et biberit sanguinem meum, credens in me, ipse in me manet et ego in eo, et ego resuscitabo eum in novissimo die: nobis igitur Domine, qui comedimus corpus tuum sanctum et bibimus sanguinem tuum propitiatorium, non sit ad judicium, aut condemnationem et accusationem, ut neque populo tuo fideli: sed ad veniam delictorum: ad remissionem peccatorum, ad resurrectionem a mortuis, et fiduciam coram solio tuo tremendo, Domine Deus noster, in saecula.

Postquam omnia perfecerit quae ad administrandum corpus Christi pertinent, dicit. Dominus pascit me et nihil mihi deerit, *et reliquum Psalmum.*

Abstergitque discum Eucharisticum, et dicit.

Si membrum aliquod, (sive particula) superest, remaneat (commendatum) scientiae tuae quae mundum creavit. Si membrum aliquod superest, sit illi Dominus custos et nobis propitius.

Et postquam perfecerit abstersionem calicis, dicit.

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutis accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, etc.

Tum dicit hanc Orationem D. Jacobi.

Fili Deus, qui per immolationem tui, salvasti reos, per sacrificium tuum vivum: dissipa passiones meas, sana infirmitates meas et miserere mei.

Postquam abstersit calicem spongia, dicit hanc Orationem D. Ephrem.

Absterge Domine spongia misericordiae tuae, omnia delicta et peccata quae commisi coram te. Ignosce per clementiam tuam Rex, Christe vivificator noster, mihi qui administravi mysteria tua sancta. Praesta mihi ut cum piis et justis qui amaverunt te, ministrem tibi Domine in regno tuo coelesti, in saecula perpetuo, Domine. Amen, in saecula saeculorum.

Et cum abluit manus, dicit.

Ignis vivus corporis tui et sanguinis tui pretiosi, Christe Deus noster, extinguat carbones ignis, cruciatusque terribiles et vehementes a membris meis, et ab animabus corporibusque defunctorum fidelium, qui inducrunt te ex aqua et spiritu. Voca et constitue eos in ultimo die ad partem dexteram tuam, sicut pollicitus es.

Laralque digitos suos ter, incipiens a dextera manu, et dicit.

Modulentur digiti mei laudes tuas, et os meum confessionem tuam. Per clavos manibus tuis et pedibus infixos, per lanceam quae latus tuum transverberavit, parce mihi delicta et peccata mea. *Ad manum sinistram, dicit.* Custodi me Domine ab omnibus fraudibus, et dextera tua adjuvet me, et ab operibus sinistris praeservet me, in saecula saeculorum.

Et cum bibit vinum quod miscuit ex oblatione, dicit.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente tuo delicioso potabis, etc.

Lavat manus suas aqua, et dicit hunc Psalmum.

Judica me Domine quoniam in justitia mea ambulavi, etc.

Abstergit manus, et dicit. Afferte Domino filios arietum.

Dicit Sedram pro defunctis, et primo Prooemium.

Illi qui per mortem suam destruxit mortem nostram, et per immolationem suam pro nobis, expiavit omnes filios Adam: bono illi, debetur, etc. *Alia.* Mortuorum suscitator, quique resurrectionem praestas sepultis; tu Domine suscipe animas servorum tuorum, quorum hodie commemorationem celebramus, et colloca eos Domine in habitaculis benedictis domus patris tui, cum Abraham, Isaac et Jacob dilectis tuis, et cum omnibus fidelibus et sanctis, qui decubuerunt cum spe tua. Suscita illos et constitue illos ad dexteram tuam, et super nos omnes effundantur miserationes tuae, referemusque tibi laudem, reddemusque gratiarum actionem Trinitati sanctae, nunc, etc.

Versus. Non in judicium, aut in vindictam corpus tuum Domine (acceperimus). Manus quae palmas suas extenderunt, susceperuntque ex te Domine arrhabonem filium Dei, non abripiantur ad tribunal judicii in die novissimo, per ardorem flammae, quando quidem corpus tuum gestaverunt. Tibi offeruntur sacrificia, Rex Christe, ex manibus Sacerdotum servorum tuorum, suscipe illa per clementiam tuam Domine, qui amas poenitentes: placabilis esto ad ea.

Incensum. In odorem suavitatis sit servis tuis et ancillabus tuis sacrificium quod obtulimus pro illis hodie: adquiescat in eo Domine voluntas tua, et quietem illis praesta per misericordiam tuam, nunc, etc.

Sacerdos induit vestes ordinarias suas, et dicit Orationem finis.

Si Moyses vitam dedit Israelitae, qui peccaverat, per sanguinem animalium: quanto magis veniam consequentur defuncti fideles, per sacrificium vivum quod pro illis oblatum est. Kyrie eleison. Domine miserere nostri. Pater noster.

Obsignatio seu *benedictio.* A vivis quos conservas, a mortuis quos resuscitas, et ab omni creatura, quam creavit aut creat majestas tua, laus referatur supremae potestati tuae: Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc, etc.

Prosternit se coram altari ter, et dicit.

In domum tuam, Deus, introivi, et coram solio tuo adoravi Rex coelestis: parce mihi quae peccavi tibi.

Osculatur mensam vitae, dicitque suspirabundus et cum affectu.

Mane in pace altare sanctum, et divinum Domini: nescio utrum revertar ad te, necne. Praestet Dominus mihi, ut te videam in Ecclesia primogenitorum coelesti, et super hoc testamentum fiduciam habeo. Mane in pace altare sanctum et propitiatorium, corpusque sanctum et sanguis propitiatorius quae ex te suscepi, sint mihi ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum, et ad fiduciam coram throno terribili Domini et Dei nostri in saecula. Mane in pace altare sanctum et mensa vitae, et deprecare pro me misericordiam a Domino nostro Jesu Christo, ut nunquam cessem memoriam tui servare, ex hoc nunc et usque in saecula saeculorum. Amen.

LITURGIA

S. JACOBI APOSTOLI FRATRIS DOMINI.

Primum dicitur Oratio ante osculum pacis.

Domine Deus noster, nos quamvis indignos, salute hac dignos effice, amator hominum: ut ab omni dolo, omnique acceptatione personarum mundati, salutemus invicem in osculo sancto et divino, constricti vinculo caritatis et pacis. Per Dominum Deum et salvatorem nostrum Jesum Christum filium tuum unigenitum, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas, cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter et oremus, gratias agamus, adoremus et laudemus agnum vivum Dei qui offertur super altare. Divinitas sese demisit ad peccatores filios Adam, salvavitque illos ab errore et a servitute peccati. Spiritu sancto succensi sunt Prophetae, et de primogenito locuti sunt: unusquisque illorum descripsit Ecclesiae mysteria adventus ejus. Aperte scripsit Moses quod ipse creaturas condidit, et ipse statuit ad ministerium suum ordines ignis et spiritus. Signa Domine cruce ejus Ecclesiam, quam desponsavit in persona sua, et eleva atque constitue eam in coelo, ad dexteram ejus qui misit illum. Beata es Ecclesiae fidelis, donis quae dedit tibi Dominus tuus, corpore et sanguine suo sancto, et cruce ejus quae te custodit. Virginis purae Mariae memoriam agamus apud nos in oblatione nostra, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Piorum et Justorum. Vasa sancta offeruntur Patri nostro, ut osculetur ea et Pater noster in Liturgia sua recordabitur omnium qui in Christum credunt.

Sacerdos. Qui solus Dominus misericors es, in eos qui coram altari tuo colla inclinant mitte benedictiones tuas, tu qui in altis habitas, et humilia respicis, benedicque eos per gratiam, misericordiam et amorem erga homines Christi unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus Pater qui propter amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, misisti filium tuum in mundum, ut ovem

errantem reduceret, ne avertas faciem tuam a nobis, dum sacrificium hoc spirituale * et incruentum celebramus: non enim justitiae nostrae confidimus, sed misericordiae tuae. Deprecamur ergo et obsecramus clementiam tuam, ne in judicium sit populo tuo, Mysterium hoc, quod institutum nobis est ad salutem: sed ad veniam peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratias tibi referendas: per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti filii tui per quem et cum quo te decet gloria.

* *Λογικόν. In alio Codice.* Terribile et incruentum.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem unusquisque proximo suo, in caritate et fide, quae Deo acceptae sint. Vade in pace Sacerdos praeclare. Stemus decenter orantes, stemus cum timore et tremore, stemus cum modestia et sanctitate: quia ecce oblatio infertur, et majestas exoritur. Januae coeli aperiuntur, et Spiritus sanctus descendit super haec mysteria sancta, et illabitur. In loco timoris et tremoris consistimus, et cum Cherubim et Seraphim circumstamus. Fratres et Socii Vigilum et Angelorum facti sumus, et ministerium ignis et spiritus cum illis operamur. Nullus porro ligatus sit, qui audeat accedere ad mysteria haec, quia velum tollitur, et gratia demittitur, misericordiaeque effunduntur super unumquemque, qui orat in corde puro et conscientia bona.

Sacerdos elevat velum et ter populum cruce signat, dicens:

Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti, sint cum omnibus nobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut te laudemus, te benedicamus, te celebremus, te adoremus, tibi gratias agamus, tibi opifici omnis creaturae, visibilis aut invisibilis. *Et elevans vocem.* Quem laudant coelum et coeli coelorum, omnisque exercitus eorum sol et luna et omne stellarum agmen, terra et maria et omnia quae in eis sunt: Jerusalem coelestis, Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis: Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, virtutes coelestes, et mundo superiores exercitus coeli, Cherubim quibus oculi multi, et

Seraphim quibus alae sex, qui duabus alis tegunt facies suas et duabus pedes, duabusque alter ad alterum volitantes vocibus indeficientibus, et Theologia non cònticescente, hymnum triumphalem magnificentissimae gloriae, voce canora concinunt, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine Deus Sbaaoth, pleni enim sunt coeli et terra, gloria, honore et majestate tua Domine, Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit et qui venturus est in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Sacerdos inclinatus. Vere sanctus es, rex saeculorum et omnis sanctitatis largitor; sanctus etiam unigenitus Filius tuus, Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus: sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur omnia, etiam profunda tua, Deus Pater. Sanctus enim es qui omnia contines, omnipotens, terribilis, bonus, cum unigenito Filio tuo, qui passionum particeps fuit, et maxime propter hominem figmentum tuum, quem e terra formasti, et concessisti illi delicias paradisi. Cum vero transgressus esset mandatum tuum, et cecidit, non neglexisti aut dereliquisti illum, o bone, sed reduxisti illum, sicut pater summae misericordiae. Vocasti eum per legem, direxisti eum per Prophetas: denique filium tuum unigenitum in mundum misisti, ut imaginem tuam renovaret; qui descendit, et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex sancta Genitrice Dei semperque virgine Maria, conversatusque est cum hominibus et omnia ad generis nostri salutem instituit.

Et elevans vocem accipit Oblatam, et dicit.

Cum ergo susceplurus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse immunis a peccato, in ea nocte qua tradendus erat pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, imaculátas, et incontaminatas, et levatis oculis in coelum, aspexit ad te Deus Pater, et gratias agens, benedixit, † sanctificavit, † fregit, † et dedit discipulis suis sanctis et Apostolis dicens: accipite, manducate ex eo vos omnes, Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem postquam coenaverunt, miscens vino et aqua, et gratias agens † benedixit † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis et Apostolis sanctis dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro

vobis, et pro multis fidelibus effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in memoriam mei: quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur, et adventum tuum secundum expectamus; misericordiam et gratiam a te postulamus: remissionem peccatorum precamur: misericordiae tuae sint super nos omnes.

Sacerdos. Memoriam igitur agimus, Domine, mortis et resurrectionis tuae e sepulchro post triduum, et ascensionis tuae in coelum, et sessionis tuae ad dexteram Dei Patris: rursumque adventus tui secundi, terribilis et gloriosi, quo judicaturus es orbem in justitia, cum unumquemque remuneraturus es secundum opera sua. Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum Domine, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: sed secundum mansuetudinem tuam et amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, dele peccata nostra, servorum nempe tuorum tibi supplicantium. Populus enim tuus et haereditas tua deprecatur te et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere Deus Pater omnipotens, miserere nobis.

Sacerdos. Nos etiam infirmi et peccatores servi tui, Domine, gratias agimus tibi, laudamus te, pro omnibus et propter omnia.

Populus. Laudamus te, benedicimus te, et adoramus te, gratias agimus tibi et precamur a te veniam, Domine Deus, miserere nobis et exaudi nos.

Sacerdos. Praecipue vero sanctae et gloriosae semper Virginis beatae genitricis Dei Mariae memoriam agimus.

Diaconus. Memento illius, Domine Deus, et per ejus orationes puras et sanctas, parce et miserere nobis et exaudi nos.

Diaconus. Quam terribilis est haec hora: quam timendum tempus istud, dilecti mei, quo Spiritus vivus et sanctus ex excelsis sublimibus coeli advenit, descendit et illabitur super Eucharistiam hanc in sanctuario positam, eamque sanctificat: cum timore et tremore estote, stantes et orantes. Pax nobiscum sit, et securitas Dei Patris omnium nostrum, clamemus et dicamus ter. Kyrie eleison.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, qui tibi throno aequalis est, et filio aequalis regno, consubstantialis et coaeternus; qui loculus est in Lege et Prophetis et Novo Testamento tuo; qui descendit in similitudine columbae super Dominum nostrum Jesum Christum, in Jordane flumine: qui descendit super Apostolos sanctos in similitudine linguarum ignis.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Ut adveniens efficiat panem istum, corpus vivificum, corpus salutare, corpus coeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam accipientibus illud. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem Testamenti Novi, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, sanguinem coelestem, sanguinem animabus et corporibus salutem praestantem, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: in remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis et omnibus qui ex illis accipient, iisque communicabunt, ad sanctitatem animarum et corporum, ad fructificationem operum bonorum: ad confirmationem Ecclesiae tuae sanctae, quam super verae fidei petram fundasti, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, cum liberaturus sis illam ab omnibus haeresibus et scandalis operantium iniquitates, usque ad consummationem saeculi: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quapropter offerimus tibi, Domine, sacrificium hoc tremendum et incruentum pro locis tuis sanctis quae per manifestationem Christi Filii tui illustrasti; praecipue vero pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta toto orbe diffusa.

Diaconus. Benedic Domine. Oremus et deprecemur Dominum Deum nostrum, hoc temporis momento, magno, timendo et sancto, pro patribus et rectoribus nostris, qui hodie nobis praesunt, et in praesenti vita Ecclesias sanctas Dei pascunt et gubernant: venerandis et beatis

Domino N. Patriarcha nostro et D. N. Metropolita, reliquisque Metropolitis et Episcopis venerandis Dominum deprecemur.

Sacerdos. Dona ditissima Spiritus tui sancti concede ipsis, Domine. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum nostrorum, qui nobis recte verbum veritatis dispensant, praecipue vero Patris Patrum et Patriarchae nostri Domini N. et Domini N. Episcopi nostri, cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis. Canitiem ipsis venerandam concede Domine: multis annis ipsos conserva, pascentes populum tuum cum omni pietate et sanctitate. Memento, Domine, Presbyterii hujusce, et cujuscumque alterius loci: Diaconatus in Christo, omnisque ministerii et omnis Ordinis Ecclesiastici. Memento etiam, Domine, paupertatis meae, qui me licet indignum, vocare tamen dignatus es. Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, sed secundum multitudinem miserationum tuarum, memento mei tu: si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis poterit coram te sustinere? Quia apud te propitiatio est: visita me et purifica me, ut ubi abundavit peccatum, ibi superabundet gratia tua. Memento etiam, Domine, eorum qui in vinculis jacent aut carceribus detinentur: fratrum etiam nostrorum qui in exilio sunt: infirmorum, aut qui male affecti sunt: eorum qui a spiritibus immundis infestantur, aut agitantur. Memento etiam, Domine, aëris, imbrium, roris, fructuum terrae et coronae anni, oculi enim omnium in te sperant, et tu das illis escam eorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam omnibus sufficientem, et imples omne animal bona tua voluntate. *Elevans vocem.* Eripe me, Domine Deus, ab omni angustia, ira et adversitate, ab omni machinatione et infestationibus perversorum hominum, ab omni impetu et violentia daemonum, ab omni plaga a te immissa Domine, quae peccatorum nostrorum causa nobis accidit, et conserva nos in fide orthodoxa et observatione mandatorum tuorum, quae sancta sunt, et vivifica, nos nempe et omnes qui digni fuerunt coram te consistere, et uberes a te misericordias expectant; quia tu Deus es, qui vis misericordiam: et tibi gloriam referemus, etc.

Populus. Amen.

Pro fratribus fidelibus Diaconus. Iterum atque iterum commemoramus fratres nostros fideles, Christianos veros, qui prius monuerunt et injunxerunt nobis infirmis et imbellibus, ut memores eorum essemus in hoc temporis articulo. Et pro illis qui omni genere tentationum et afflictionum vexati sunt.

Sacerdos inclinatus. Rursus meminisse dignare eorum qui nobiscum in oratione consistunt, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et eorum qui absunt. Memento etiam, Domine, eorum qui praeceperunt nobis ut eorum memoriam ageremus in orationibus ad te Deum nostrum. Unicuique illorum concede, Domine, petitiones suas, quae quidem ad salutem spectant. Memento, Domine, et illorum qui intulerunt oblationes ad altare tuum sanctum, et eorum pro quibus singuli obtulerunt, et eorum qui offerre voluerunt, sed non potuerunt: eorum quos unusquisque habet in mente, et eorum qui nunc nominantur. *Et elevans vocem.* Memento, Domine, omnium quorum meminimus, et eorum quorum non meminimus, et secundum multitudinem mansuetudinis tuae, retribue illis gaudium salutis tuae, suscipiens sacrificia illorum in immenso coelo tuo, dignosque efficiens visitatione et auxilio tuo: confirma illos virtute tua, et fortitudine tua illos instrue, quia tu es misericors et misericordiam cupis, teque decet gloria, honor et potentia, simul cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo. *Populus.* Amen.

Diaconus. Pro Regibus. Iterum et iterum commemoramus omnes Reges fideles, Christianos veros: qui Ecclesias et Monasteria Dei in quatuor mundi partibus aedificaverunt et fundaverunt: totamque rempublicam Christianam, Clerum et populum fidelem, ut in virtutibus proficiant, Dominum deprecemur.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, piorum Regum nostrorum et Reginarum: apprehende arma et scutum, et exsurge in auxilium eorum. Subjice illis hostes omnes et adversarios, ut placidam tranquillamque vitam agamus, in omni timore Dei et humilitate: quia tu salutis refugium es, et potestas auxiliatrix: victoriaeque dispensator, erga eos omnes qui te invocant, et sperant in te, Domine. Et tibi gloriam et laudem referemus. *Populus.* Amen.

Diaconus. Memoria sanctorum. Iterum atque iterum commemoramus vere beatam, laudatamque ab omnibus generationibus terrae sanctam, benedictam, semper Virginem genitricem Dei Mariam, simulque memoriam agimus Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Praedicatorum, Martyrum, et Confessorum; et B. Joannis Baptistae praecursoris: gloriosi S. Stephani primi martyris, ac primi Diaconi: et unumquemque eorum commemorantes, Dominum deprecemur.

Sacerdos inclinatus. Quoniam igitur est tibi potestas vitae et mortis, Domine, Deusque misericordiarum et amoris erga hominem

tu es, dignos effice ut omnium illorum qui á saeculo tibi placuerunt, memoriam agamus: Patrum sanctorum et Patriarcharum, Prophetarum et Apostolorum, Joannis praecursoris et Baptistae, S. Stephani primi Diaconorum, et primi Martyrum, et sanctae genitricis Dei semperque Virginis beatae Mariae et omnium sanctorum. *Elevans vocem.* Rogamus te, Domine, multae misericordiae, qui impossibilia veluti possibilia creas, constitue nos in hac beata congregatione: accense nos huic Ecclesiae, statue nos per gratiam tuam inter electos illos, qui scripti sunt in coelis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut dum ipsi stabunt coram throno tuo, nostrae quoque tenuitatis et infirmitatis meminerint, tibique nobiscum offerant sacrificium hoc tremendum et incruentum, ad custodiam quidem eorum qui vivunt, ad consolationem infirmorum et indignorum, quales nos sumus: ad quietem, memoriamque bonam eorum, qui in fide vera dudum obierunt patrum, fratrum, et magistrorum nostrorum, per gratiam et misericordiam, etc. *Populus.* Amen.

Diaconus. Commemoratio Doctorum. Iterum commemorantes coram te, Domine, Doctores divinos, qui fidei irreprehensibilis explanatores, qui moribus praeclaris ornati, obierunt et quieverunt, nobisque fidem Orthodoxam ordinaverunt et tradiderunt: Dominum deprecemur, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum qui pridem obdormierunt, qui verbum veritatis nobis dispensaverunt: qui a Jacobo principe Episcoporum Apostolo et Martyre, usque ad hanc diem, verbum fidei Orthodoxae in Ecclesia tua sancta praedicaverunt. *Elevans vocem.* Luminum et Doctorum Ecclesiae tuae sanctae, qui praeclarum fidei certamen ediderunt, qui nomen tuum sanctum tulerunt coram populis, regibus et filiis Israel, eorumque precibus et supplicationibus, pacem tuam Ecclesiae tuae tribue: doctrinas eorum et confessionem eorum in animis nostris confirma: haereses nobis noxias cito comprime, et consistentiam absque confusione, coram tribunali tuo nobis concede: quia sanctus es, Domine, et in sanctis requiescis: qui sanctorum es consummator atque perfector: et tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Commemoratio fidelium defunctorum. Iterum etiam commemoramus omnes defunctos fideles, qui in fide vera defuncti sunt, ex altari hoc sancto, et ex hoc pago, et ex quacumque re-

gione, qui in fide vera pridem obdormientes quieverunt, et ad te Deum Dominum spirituum et omnis carnis pervenerunt. Rogamus, imploramus, et deprecamur Christum Deum nostrum, qui suscepit ad se animas et spiritus eorum, ut per miserationes suas multas praestet illos dignos venia delictorum et remissione peccatorum: nosque et illos pervenire faciat ad regnum suum in coelis. Ea propter clamemus et dicamus Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Sacerdotum Orthodoxorum, pridem defunctorum, Diaconorum et Subdiaconorum, Psaltarum, Lectorum, Interpretum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, Religiosorum, Auditorum, Virginum perpetuarum, et saecularium, qui in fide vera defuncti sunt, et eorum quos unusquisque designat animo. *Elevans vocem.* Domine Deus spirituum et omnis carnis, omnium memento quorum meminimus, qui in fide Orthodoxa ex hac vita migrarunt, da animabus, corporibus et spiritibus illorum requiem, liberans eos a damnatione infinita ventura, et dignos efficiens gaudio quod est in sinu Abraham, Isaac et Jacob: ubi splendet lumen vultus tui, unde procul sunt dolores, angustiae et gemitus, non reputans illis omnia delicta illorum. Non autem intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, nec ullus est a peccati culpa immunis, aut a sordibus purus, ex hominibus qui super terram sunt, nisi unus Dominus noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos etiam misericordiam et remissionem peccatorum consequi speramus, quae propter eum est, et nobis et illis.

Populus. Quietem praesta illis, et propitius esto, et dimitte, Deus, insipientias et defectus omnium nostrum, sive scienter, sive ignoranter, etc.

Sacerdos inclinatus. Remitte, dimitte, ignosce, o Deus, peccata omnium nostrum voluntaria et involuntaria, scienter et ignoranter commissa, verbo, opere, aut cogitatione, occulta et nota, publica, antiqua, per errorem admissa et omnia quae novit nomen tuum sanctum. *Elevans vocem.* Finem igitur nobis Christianum conserva, et sine peccato; congregans nos subter pedes electorum tuorum, quando, ubi, et sicut volueris: tantummodo absconde nos a confusione iniquitatum nostrarum; ut etiam in hoc, velut in omnibus, laudetur et celebretur nomen tuum honoratissimum et benedictum et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut est, et fuit, in generationes generationum, et futurorum saeculorum in saecula. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint super nos omnes. *Tum dicet:* Credimus, accedimus, obsignamus, et frangimus Eucharistiam hanc: panem coelestem, corpus Verbi Dei vivi, in calice salutis et gratiarum actionis, in crucis modum signamus, cum particula propitiatoria, mysteriisque supernis plena, in nomine Patris vivi, ad vitam: et unigeniti Filii, et Spiritus sancti, principii, perfectionis, et sigilli omnium quae sunt et fuerunt in coelo et in terra: unius virtutis, unius potestatis, unius voluntatis, unius Dei veri, benedicti, excelsi et indivisi, a quo est vita in saecula saeculorum. *Populus.* Amen.

Diaconus voce magna dicet Catholicam. Benedic, Domine. Iterum atque iterum per oblationem hanc sanctam et sacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, sanctificatum, completum et perfectum est per illapsum Spiritus sancti vivi, pro Patre nostro Sacerdote praeclaro, qui illud obtulit et consecravit, et pro altari Dei, super quod illatum est, et pro populis benedictis qui accedunt, et accipiunt illud in fide vera, et his pro quibus oblatum et consecratum est, iterum impensius oramus. Ecce tempus timoris, ecce hora terrore plena: superi in timore consistunt, et illi cum tremore ministrant; terror filiis lucis immittitur, et terreni illum non sentiunt, hora qua venia affertur, peccata ab illa fugiunt. Ministri Ecclesiae tremite, quia ignem vivum administratis. Potestas quae vobis data est excellentior est illa quam habent Seraphim. Beata anima quae nunc in Ecclesia adest cum puritate, quia Spiritus sanctus scribit nomen ejus, illudque elevat in coelum. Diaconi estote cum tremore, hoc tempore sancto, quo descendit Spiritus sanctus, ad sanctificanda corpora eorum, qui illud suscipiunt. Aspice, Domine, oculo misericordi servum tuum, qui stat et sacrum celebrat. Suscipe, Domine, oblationem istam, ut illam Prophetarum et Apostolorum. Memento, Domine, patrum et fratrum nostrorum, ut etiam magistrorum nostrorum, nosque et illos dignos praesta per misericordiam tuam regno coelesti. Memento, Domine, per gratiam et miserationes tuas divinas, Domini N. Patriarchae nostri et D. N. quorum orationes nobis adsint. Memento, Domine, absentium, et miserere praesentium. Quietem quoque praesta spiritibus defunctorum, et parce peccatoribus in die judicii. Defunctorum, qui a nobis separati ab hoc

saeculo migraverunt spiritibus, Christe quietem praesta, cum piis et justis. Crux tua pons sit illis, et baptismus tuus tegumentum. Corpus tuum et sanguis tuus sanctus, via sint quae deducat ad regnum tuum. Gloriam perpetuam, cum adoratione acceptabili decet nos referre ex medio sanctuarii, Patri, Filio et Spiritui sancto vivo, ut ipse Deus verus adimpleat nobiscum gratiam, benedictionem, miserationem et clementiam suam, ex hoc nunc usque ad finem: nosque omnes cum oratione Dominum deprecemur.

Sacerdos ante orationem Dominicam dicit.

Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sedes super Cherubim, et a Seraphim laudaris: coram quo consistunt mille Angelorum myriades, excelsa et coelestia agmina: qui oblationes ex donis et proventibus fructuum tibi oblatis in odorem suavitatis, dignatus es sanctificare et perficere per gratiam unigeniti Filii tui, et per illapsum Spiritus tui sancti. Sanctifica etiam Domine animas nostras, corpora nostra, spiritusque nostros, ut corde puro, anima lucida, et facie inconfusa, audeamus invocare te Deum coelestem, Patrem omnipotentem, oremusque et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Domine Deus noster, ne inducas nos in tentationem, quam virtute destituti sustinere non possimus, sed fac etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, et libera nos a malo. Per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri, in quo vita posita est suscipientibus illa, et suscipite benedictionem a Domino.

Sacerdos. Tibi inclinant servi tui capita sua, expectantes misericordias uberes a te. Benedictiones copiosas quae a te sunt, mitte, Domine, et sanctifica animas, corpora, spiritusque nostros, ut digni simus communicandi corpori et sanguini Christi Salvatoris nostri: per gratiam et misericordiam et amorem ejusdem Jesu Christi Domini

nostri, cum quo laudatus et benedictus es, in coelis et in terra cum spiritu tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos Pax. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Misericordiae Dei.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Unusquisque cum timore et tremore ad Deum aspiciat, et misericordiam et gratiam a Domino postulet.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus potens Sabaoth, pleni sunt coeli et terra laudibus tuis. Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloria tua: ad te levavi oculos meos qui habitas in coelis, etc.

Et post pauca Eucharistiam accipiens in manibus dicit illa voce. Sancta sanctis in perfectione, puritate et sanctitate traduntur.

Tum dicunt omnes simul. Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Sit nomen Domini benedictum, qui unus est in coelo et in terra: ipsi gloria in saecula. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, omnia sanctificanti, et omnia expianti.

Sacerdos. Domine vere et certo credimus, et in te credimus, quemadmodum credit in te Ecclesia sancta et Catholica: quod sis unus Pater sanctus, cui sit gloria, Amen. Unus Filius sanctus, ipsi laus, Amen. Unus Spiritus sanctus, ipsi gloria et gratiarum actio in saecula, Amen.

Diaconus. In resurrectione Christi Regis accipiamus veniam animabus nostris in fide, et dicamus omnes aequaliter, Filio qui salvavit nos per crucem suam. Benedictus Salvator noster Sanctus, Sanctus, Sanctus es omnibus modis, magnificans memoriam genitricis suae, sanctorum et defunctorum fidelium, Alleluia. Virtutes coelorum stant nobiscum in medio sanctuarii, et ministerium exhibent corpori Filii Dei, qui immolatus est coram nobis. Accedite, accipite ex eo remissionem peccatorum et delictorum, Alleluia. Super altare tuum sanctum Domine, memoria fiat patrum, fratrum, doctorumque nostrorum, resurgantque ad dexteram tuam in die ortus majestatis tuae, Rex Christe. Alleluia. Benedictus Dominus qui dedit nobis corpus et sanguinem suum vivum, ut per illa veniam consequamur, etc. Cum statis in sanctuario Sacerdotes aperite ostia cordium vestrorum, dicite psalmum et benedicite super Eucharistiam hanc in sanctuario positam. *Psalmus 150.*

Sacerdos interjectis aliquot orationibus quae pro Ecclesiarum consuetudine variae sunt, frangit ex majori Eucharistici panis parte minorem aliam, qua in calice intincta, reliquas in modum crucis signat, dicens:

Inspergitur sanguis Domini nostri, corpori ejus, in nomine Patris † et Filii, † et Spiritus sancti. †

Eamdem particulam immittit in calicem dicendo:

Miscuisti Domine divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua; vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem nostram cum vita tua; accepisti quae nostra erant, et dedisti nobis tua, ad vitam, et salutem animarum nostrarum, tibi gloria in saecula.

Sacerdos accipit corpus Christi, dicens:

Praesta Domine ut sanctificentur corpora nostra per corpus tuum sanctum, et purificentur animae nostrae per sanguinem tuum propitiatorium, sintque ad veniam delictorum et remissionem peccatorum nostrorum; Domine Deus tibi gloria in saecula.

Mox Eucharistiam distribuit Sacerdotibus, Diaconis, deinde Laicis, dicens: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi datur tibi in veniam delictorum, et remissionem peccatorum in utroque saeculo.

Interea dum communio administratur cum cochleari, Diaconus reliquis succinentibus clamat:

Fratres mei accipite corpus filii, clamat Ecclesia: bibite sanguinem ejus cum fide, et canite gloriam, hic est calix quem miscuit Dominus noster super lignum crucis: accedite mortales, bibite ex eo, in remissionem delictorum. Alleluia, et ipsi laus, de quo bibit grex ejus, et puritatem consequitur.

Qui versus ut et multi alii, juxta communicantium numerum minuuntur vel producuntur: mox Sacerdos abstergit vasa, Diaconorum ministerio, et deinde dicitur Oratio gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Deus et praecipue laudamus te ob immensum et ineffabilem erga homines amorem tuum. O Domine, quos admittere dignatus es ad participationem mensae tuae coelestis, ne damnes ob susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum. Verum o bone, custodi nos in justitia et sanctitate, ut digni effecti communicatione Spiritus tui sancti, partem, sortem et

haereditatem consequamur cum sanctis illis omnibus, qui ex hoc mundo tibi placuerunt: per gratiam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum pro consummatione mysteriorum horum sanctorum, Deum precemur.

Sacerdos. Deus magne et mirabilis, qui inclinasti coelos et descendisti pro nostra hominum salute, aspice nos per misericordiam et gratiam tuam: benedic populo tuo, et haereditatem tuam conserva: ut semper et omni tempore laudemus te, quia solus es Deus noster verus: et Deum Patrem genitorem tuum et Spiritum tuum sanctum nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, conserva omnes, etc.

Vel aliam benedictionem pro Ecclesiarum consuetudine et festorum varietate diversam: qua recitata Diaconus incipit psalmum Benedicam Dominum in omni tempore. *Quo dicto abeunt et finitur Liturgia.*

Aliae orationes ad communionem et postea dicendae, quae in quibusdam Codicibus Liturgiae Jacobi: in aliis Xysti: in aliis Petri, subjunguntur.

Cum distribuitur communio, Sacerdos dicit.

Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine, clamat Ecclesia. Benedictus qui dedit mihi corpus et sanguinem suum, ut per eum expiationem consequerer. Sanctum tuum deprecetur pro nobis in judicio, coram throno illo pleno timoris et terroris. Ego sum panis vitae, dicit Dominus: et qui manducat me cum fide, vitam haereditabit. Qui vident corpus ipsum filii cum fide: qui inter eos purus est, accedat, illudque suscipiat, et per illud veniam consequetur. Benedicta Maria, et benedictus fructus qui ex illa ortus est: quoniam

corpus ejus accipimus et sanguinem ejus bibimus, ad expiationem delictorum. Suscipe Domine ab adoratoribus tuis oblationes eorum, et propitius esto per miserationes tuas animabus defunctorum illorum.

Oratio pro mortuis.

Ecce oblatio illata est: et ecce animae purificatae sunt: praestetur per eam requies mortuis, pro quibus oblata est. Oblatio ista quae a viventibus, pro defunctis infertur, expiat iniquitatem animae, et per eam remittuntur illis delicta. Ipse qui vocavit Lazarum, et filium viduae, spargat rorem miserationum suarum, super ossa defunctorum. Cum Abraham, Isaac et Israel vero, praesta, Domine, memoriam illi, pro quo oblata est.

Rex coelestis suscipe oblationem servorum tuorum, et fac memoriam eorum in Jerusalem illa coelesti: in Jerusalem superna, et quae supra terram: et super altare quod est in excelso, sit memoria eorum bona. Agne Dei, et pastor qui mortuus es pro ovibus tuis, praesta Domine per gratiam tuam requiem defunctis fidelibus.

Corpus tuum sitit anima mea, et accedere ad illud vereor; peccata mea tremorem mihi incutiunt: expientur Domine, per clementiam tuam. Corpus tuum et sanguis tuus quae accepimus, sint nobis via, et transitus, ut absque timore a tenebris transeamus ad lucem. Gaudium in superioribus, et spes bona in inferioribus, per oblationes quas faciunt viventes pro defunctis suis.

Diaconus. Monitum. Oremus postquam digni facti sumus suscipere corpus et sanguinem Salvatoris nostri: quod est mysterium pignusque quod descendit de coelo, quodque non praeterit, neque destruitur. Oremus, ut apud nos permaneat, et ut nos illud cum puritate servemus. Gloria Domino illi bono, qui nos dignos fecit dono illo spirituali.

Iterum atque iterum in consummatione mysteriorum istorum sanctorum confitemur te, Domine Jesu Christe, propter corpus tuum quo cibasti nos, et sanguinem tuum quo potasti nos. Miserere nostri et exaudi nos.

Alia Oratio gratiarum actionis.

Ora assueta alimento ex frugibus, confitentur gratiam tuam, per quam meruerunt donum hoc coeleste, quod est corpus et san-

guis unigenili filii tui, per quem et cum quo te decet, gloria et honor cum Spiritu tuo sancto.

Panis coelestis Christe, qui humiliatus adeo es, ut esses nobis cibus qui non perit: ne facias ut in adventu tuo secundo devoremur ab igne inextinguibili: et referemus tibi laudem, etc. Benedic omnibus nobis, conserva omnes nos: succurre nobis omnibus: viam vitae et salutis demonstra nobis: miserationesque tuae et clementia tua sint super nos omnes. Fratres quoque nostros, qui longe sunt, custodi: eos qui in proximo sunt, instrue doctrina sufficienti, omnesque fideles utriusque sexus, qui participes fuerunt hujus Eucharistiae, quae illata, oblata, et proposita est, super altare hoc sanctum. Deus qui suscepit oblationes piorum antiquorum Abraham, Isaac et Jacob, ipse suscipiat oblationes vestras, vota vestra, primitias et decimas vestras: praestet quoque requiem et memoriam bonam defunctis vestris, spemque benedictam et custodiam viventibus vobis: per precationes matris vitae genitricis Dei Mariae, et omnium sanctorum in saecula. Amen.

IN COMMUNE OFFICIUM

LITURGIARUM SYRIACARUM

RITUS JACOBITICI

OBSERVATIONES.

Veterum Codicum Liturgicorum raritas.

In maxima, quam periti rerum Orientalium Ecclesiasticarum satis sciunt, Codicum vetustorum raritate, mirum esse non debet si ad Eucharisticos ritus explicandos, multa nobis deesse ingenue fateamur. Vastatae bellis continuis provinciae, antequam in Arabum potestatem venirent: spoliatae multoties ab illis Ecclesiae, Christianis qui a mille et amplius annis durissimam sub infidelibus dominis servitutem serviunt, vix quidquam relictum est, unde decor domus Dei sustentari posset. Itaque cum Episcopi et Ordo omnis Ecclesiasticus facultatibus suis spoliati non aliunde, quam ex plebis eleemosynis, vitam tolerare et quae ad sacerdotales functiones necessaria erant habere possent, in extremis angustiis ferme semper constituti, ornamenta, et praesertim sacros libros, comparare dudum aegre possunt. Itaque nullae sunt a multis saeculis Ecclesiarum Bibliothecae: vetusti Codices, qui olim fuerant, usu quotidiano detriti et consumti sunt, pluresque fortasse tales in Occidente, qui ex communi naufragio evaserunt, quam in Oriente, reperirentur. Aucta est majorem in modum illa calamitas per Ecclesiasticorum Orientalium ignorantiam, qui veteres Codices neglexerunt, optimum rati, si novos potius, quam antiquos haberent, quorum saepe fragmenta semilacera, noviter scriptis amiciendis destinata, perierunt. Accessit zelus, non quidem secundum scientiam Missionariorum quorumdam, qui praesertim ubi plurimum poterant, ut in Libano apud Maronitas, et in Malabaricis Ecclesiis, veteres sacramentales libros flammis abolendos potius judicaverunt, quam in Europam transmittendos. Unde in Romanis Collegiis Maronitarum, Sapientiae, et de Propaganda fide, imo et in ipsa Vaticana Bibliotheca, paucissimi reperiuntur tales Orientalium libri, cum ingens illorum copia comparari facile potuisset, et Romae maxime debuisset, ubi toties de Orientalium fide et ritibus judicatum est.

Maxime eorum qui Officium generale continent.

Cum vero haec veterum codicum raritas ad omnia sacramentalia officia pertineat, habemus tamen satis antiquos, qui Anaphoras proprie dictas accurate repraesentent praecipue Jacobiticas. Sunt autem Anaphorae, praecipua illa pars Officii Eucharistici, quae ab oratione osculi pacis incipit, et usque

ad gratiarum actionem extenditur. Illarum quae Syriace extant, multos Codices tractavimus, atque adeo de illis dubitatio prope nulla est, neque majoris momenti discrimen ullum animadvertitur. At partem alteram in qua caeremoniae precesque continentur, quibus Sacerdotes Syri uti solent ad altaris ingressum, ad primam donorum praeparationem, et illationem, publicam pro variis rebus et personis supplicationem, scripturarum lectionem et alia omnia προπαρασκευαστικά, pauci libri accurate repraesentant. Neque mirum id cuiquam videri debet, cum Graeci Latinique sacramentales libri alicujus vetustatis, ea quoque caeremoniali parte careant: scilicet quia ritus illos, Sacerdotes, et alii altarium ministri, usu quotidiano potius et assiduo ministerio, quam scripto docebantur, et quando scribi coeperunt, non in libris sacramentalibus, sed in aliis scribebantur, quod apud Graecos et Coptitas factum fuisse observavimus.

Illi plerumque sunt recentiores.

Paucissimi igitur antiqui Codices praeparatoriam illam disciplinam, et adjunctas eidem preces repraesentant, suntque illi ut plurimum recentiores, cum non tam ad antiquitatis notitiam, cujus expertes omnino sunt, quam ad rite celebrandam Liturgiam referantur. Neque tamen ita caremus necessaria veteris disciplinae cognitione, quam Autores varii subministrant, ut divinationes nostras, quasi certas proponamus, cum conjecturis, non nisi ubi necessitas postulat, uti soleamus, easque subjiciamus peritiorum judicio. Longa enim ejusmodi studiorum experientia didicimus, quam periculosum sit, in re obscurissima judiciis suis nimium tribuere, cum ea quae verisimillima videntur, nec contemnendis argumentis confirmata, unius aliquando libri autoritas evertat.

In quem dedimus ad quos pertineat.

In hac igitur prima προπαρασκευαστικῇ, sacri Officii parte interpretanda, priorem locum dedimus illi Officio, quod in antiquis Codicibus Seguierianis et Colbertinis a nobis repertum est, quod etiam paucis exceptis, Romana Missalis Chaldaici editio satis accurate repraesentat, neque enim, ut alibi observatum est, Liturgiae et illud Officium, ad Maronitas pertinent, quidquid viri ex ea gente docti in contrarium scripserint. Nam etsi semper in ore et in scriptis habeant, nusquam interruptam fuisse Orthodoxae fidei apud majores suos conservationem: illos sub Aimerico tertio Latinorum Antiocheno Patriarcha, a Monothelitica haeresi ad Ecclesiam revocatos fuisse, testis est omni exceptione major Willelmus Tyrius, cujus testimonium scriptores omnes Arabes et Syri, Orthodoxi, Nestoriani et Jacobitae confirmant. Quos Amira, Echellensis et tandem Naironus illis opponunt, illorum praeterquam inter Maronitas ne nomen quidem notum est: scripta multo minus, quae et novitatis indicia permulta praeferunt, neque ab illis laudata, aut in amplissimis Bibliothecis conservata reperiuntur. Omnes igitur Liturgiae Syriacae, Maroniticarum titulo editae, aut quae in recentissimis aliquot Codicibus reperiuntur, Jacobitarum sunt, ut complures aliae quas recenset Abrahamus Echellensis. Nam in Codicibus Jacobitarum qui servantur in Bibliotheca Seguieriana et Colbertina, ut in Florentina, omnes illae reperiuntur, cum certis indiciis, quae illas Jacobitis proprias esse demonstrant. Imo, quod satis mirari non possumus, in Romana ipsa editione, tituli servati sunt Joannis

Ep. ad Nihusium.

Barsusan, Mathaei Pastoris, Dionysii, et aliorum, quos Jacobitas fuisse aliunde scitur, ut ipsi Maronitae non unis locis monuerunt. Unde in aliquot exemplaribus, atrum transverso calamo signum, Joannis Barsusan nomini illitum est. Verum ignoravere Editores, eam quae Julii Papae dicitur, non nisi inter Monophysitas notam fuisse, quod falsa sancti Pontificis Epistola, ad erroris sui patrocinium passim abuterentur: eam quae Dionysio Atheniensi contra librorum veterum fidem tribuitur, esse Dionysii Barsalibi: nullam esse denique, quam Jacobitae sibi non vindicarent.

De Ordine generali qui in Missali Chaldaico editus est.

In eadem editione, quae paucas Liturgias complectitur, Ordo communis Liturgiae, quo τὰ προταρασκευαστικὰ continentur praemissus est, cum rubricis Arabicis, et is ipse est quem nostra versio repraesentat, quemque reperimus in Codice Ms. Seguieriano, et aliis. Factum id a nobis est, quia officium illud continet ritus omnes, qui osculum pacis, ubi Anaphora incipit, antecedunt, et cum aliis Codicibus satis convenit. Damus tamen seorsim alterius Officii versionem, quod ab altero in nonnullis discrepat, et quod descripsimus ex Codice Colbertino bonae notae, in multis conveniens cum Ordine illo quem Severi nomine ejus Rituali Baptismi, Syriace et Latine subjecit Guido Fabricius Boderianus. Illud autem quod Missali Maronitico adjunctum est, levissimas aut ferme nullas interpolationes sustinuit, quas in notis observabimus: eamdemque rituum et orationum formam exhibet, quae aliunde nota ex diversis autoribus, suspecta esse non potest. Cum vero pars illa prima Liturgiis reliquis inserviat, in nonnullis Codicibus praemittitur illi, quae Jacobo Fratri Domini tribuitur; nam et omnium vetustissima est, et cum schismatis Jacobitici memoriam omnem antecedat, communis est Orthodoxis et Jacobitis. Verum Codices prope omnes qui Ordinem generalem repraesentant illum conjunxerunt cum ea quae Xysto Romano Pontifici tribuitur, cujus tamen usus infrequentior est: ut antiquitas alteram non attingit. Illos Codices secuti sunt, qui Missalis Chaldaici editionem Romae procurarunt, rati fortassis probationem inde nasci conjunctionis Maronitarum suorum cum Romana Ecclesia, si Liturgia Romani Pontificis nomine appellata primum locum obtineret. Ista tamen ita Jacobitis propria est, ut alia Julii. Nos vero primum illum Ordinem Jacobi Liturgiae, ut celebriori praemisimus.

Multae orationes primis solum vocibus designantur, in Codicibus editis et Mss.

In illo Ordine multae preces, praesertim quae a Diacono et populo dici debent, primis tantum vocibus indicantur, neque aliter vulgo describi libri Orientales solent, quia Ecclesiasticis preces illae notissimae sunt, et quia prolixiores peti debent ex alio Codice. Vocatur is, *liber Ministerii*, sive *Ministri*, cujus extant varia in Bibliothecis exemplaria, idemque Romae editus est Syriace, cum versione Arabica, sed literis Syriacis anno MDXCVI. absque ulla interpolatione, praeterquam in Symbolo Nicaeno, ubi particula *Filioque* adjuncta est, quam Orientales libri non agnoscunt. Ut igitur lectores decurtatis istis orationibus non turbentur, illas ex aliis Codicibus et eodem libro Ministerii in versionem nostram transtulimus. Nam in paucis quae Latine versae sunt Liturgiis, aliquando interpretes cespitaverunt, praesertim Guido Fabricius

Boderianus, his tamen Orientalibus literis instructissimus, ut alii qui ex similibus vocibus continuam orationem efficere tentaverunt.

In Missali Chaldaico Romae edito plura interpolata.

Quaecumque porro translata sunt ex Ministerii libro Romae edito, consentiunt cum Mss. exemplaribus: imo nonnulla in Missali mutata sunt, quae in altero integra reperiuntur, quamvis iste biennio et amplius postea editus fuerit. Neque enim liber ille, necessarius licet, Maronitisque saepe promissus, statim atque editio absoluta est, publicatus fuit, cum essent homines meticulosi, quibus periculosum judicaretur, Officia Missae celebrandae publicari sub oculis et autoritate Pontificis, quae et lingua, ut putabant, vernacula, et forma quae Romanae non plane responderet, celebrarentur. Ita factum ut cum absoluta fuisset editio anno MDXCII. suppressa biennio circiter fuerit, ut ex primis foliis manifestum est. Nam Latinum, quo titulus libri continetur annum MDXCIV. praefert: Syriacum annum MDXCII. Memini etiam audivisse a majoribus natu, et a viro Clarissimo, Linguarumque Orientalium peritissimo Claudio Hardy, eo rem devenisse, ut totam editionem supprimere statutum fuerit; Cardinalem vero Perronium Romae cum esset, suasisse ut liber publice exponeretur, quod non nisi post aliquot annos ab editione effectum est. Sunt enim exemplaria quae annum quem diximus in fronte non praeferant: ut sunt nonnulla in quibus Praefatio Maronitarum nomine praemittitur, in qua majores suos laudant magnopere, quasi Orthodoxae fidei perpetuos in Oriente vindices. At illa Praefatio in plerisque exemplaribus non reperitur. Consulto sane fecerunt, qui inanes illas laudes, quibus historia Ecclesiastica conturbatur, et gravissimis autoribus fides abrogatur, improbandas censuerunt. Sed multo magis curare debuerant, ne in Diptychis inter sanctos, Barsomas, et aliquot alii haeretici nominarentur, quod vitium oculos censorum effugit, cum in aliis nimium oculati fuisse videantur, dum mutanda judicaverunt plurima, quae communi omnium Ecclesiarum traditione confirmantur, ut forma verborum sacramentalium, et quaedam alia. Ex illo solo exemplo satis intelligitur, quanto periculo neglecta fuerint Orientalium linguarum studia, Romae praesertim, ubi Christianis Orientalibus qui ad unitatem Catholicam redeunt jus dictum est, secundum illorum hominum sententiam, qui neque linguarum, neque disciplinae Ecclesiasticae satis periti, culicem colantes, et camelum glutientes, quae damnanda sunt probavere, innoxia condemnavere, non sine veteris Ecclesiae contumelia, et Christianorum Orientalium scandalo. Jam ad explicanda quae Officio generali continentur, veniendum est.

P. 1. ***Sacerdos quotidiana veste deposita, etc.***

Diversitas caeremoniarum, in eodem ritu.

Quamvis non exigua sit inter ritus Orientales diversitas, illa tamen, accurate loquendo, non tanta est quam quae observatur inter Romanum Officium, Gregorianum et Ambrosianum, Gothicum, Gallicanum, Mosarabicum, et singulares quosdam alios, qui in Ecclesiis multis insignibus, et in Religiosis familiis huc usque servantur. Omnia quippe in Romano Officio fundata sunt,

cujus formam in praecipuis retinent, maxime in Canone, quo Actio sacra continetur. Sunt tamen Orationes diversae: caeremoniarumque ratio non una est. Ambrosianus et Mosarabicus ritus, verba Christi sacramentalia non iisdem syllabis referunt, quibus in Gregoriano recitantur. Attamen considerata totius Actionis sacrae forma, discrimen in iis quae ad recte fungendum Sacerdotium pertinent nullum animadvertitur; cum orationum omnium et caeremoniarum sententia eadem sit, mystica quoque significatio eadem: fides quam exprimunt eadem, adeo ut secundum eximiam Innocentii I. regulam, *Legem fidei lex statuat supplicandi.*

Graecus ritus quantum ad praecipua, formam omnium Liturgiarum Orientalium repraesentat.

Graecus quoque ritus eodem modo se habet erga Orientales omnes, Syrorum, Aegyptiorum, Armenorum, Aethiopum, et si qui sunt alii in Oriente Christiani. Forma ejus, quantum ad Liturgiae partes praecipuas, una est, qualis extat in Basilii Chrysostomique Liturgiis, quae solae dudum in Graecis Ecclesiis usurpantur: ut etiam in illis quae Jacobi et Marci nomen praeferunt. Inter illas aliquod fuisse discrimen orationum et caeremoniarum, quae tamen in eamdem sententiam, eumdemque finem conspirant, animadvertitur, ut inter Latinas, de quibus diximus: aliud quoque inter illas et Syras veteres, tum Aegyptiacas, et reliquas. Verumtamen statim collatione illarum instituta, omnes ex eodem fonte prodiisse manifestum est, ita ut Liturgiae Orientales nulla excepta, Graecis suam debeant originem. Orthodoxi qui in Oriente supersunt, Melchitae vulgo appellati, Graecam Ecclesiam ut matrem agnoscunt: et Antiocheni, ut Hierosolymitani et Alexandrini, cum Graece sacra faciunt, non aliis sacramentalibus libris utuntur, quam qui in Patriarchatu Constantinopolitano recepti sunt. Qui Syriacam linguam in sacris retinuere, Jacobi Liturgia uti solent, nec tam multiplices agnoscunt, quam Jacobitae, qui novas multas scripserunt, quas Latine ex optimis codicibus interpretatas haec Collectio repraesentat. Ut vero orationum significatio, et ipsa prope omnium verba ex Graecis Liturgiis sumta sunt, ita maxima est disciplinae similitudo; praeterquam in nonnullis quae Orientales ignorant, quia posterius introducta fuerunt.

Praeparatio ad Liturgiam celebrandam.

Ut igitur a praeparatione incipiatur, ea pluribus caeremoniis quam in Occidente perficitur. Cum enim secundum Orientalium disciplinam, quae apud eos perpetua traditione commendatur, Sacerdotes non quotidie Liturgiam celebrent: unica semel in die singulis in Ecclesiis celebretur, neque Sacerdos sacris operetur absque Diacono, thure et cantu, quo fit ut nostris Missis multo sit prolixior: illum qui Liturgiam celebraturus est plura observare oportet, quae tum Canonibus, tum Ritualibus praescribuntur.

Quid pridie Sacerdotes observare soleant.

Sacerdos Syrus eam noctem quae Liturgiam praecedit, vigilando in Ecclesia, aut in secretario ducit insomnem, orationibus et sacrae lectioni vacans, ne per somnium ludibrio aliquo contaminetur. Si uxorem habet, abstinere ab illa debet per dies aliquot: jejunasse etiam vespera praecedente, aut saltem vino et omni liquore quo caput tentari potest, abstinuisse. Similem consuetudinem in Ecclesia pernoctandi antequam Liturgia celebretur, vi-

gere apud Nestorianos Mesopotamenos testati sunt, qui Bagdado saepe huc venerunt Sacerdotes.

Vestes ordinarias deponit.

Cum hora Liturgiae celebrandae instat, quae tertia circiter diei est, vel octava matutina more nostro, Sacerdos vestes ordinarias deponit, pallium scilicet, sive exteriorem amictum, et aliquamdiu prostratus orat coram altari: tum manus abluit, tandemque accipit vestes Ordini suo convenientes.

De Confessione facienda.

In isto Ordine generali, ut etiam in altero, aut in aliis Codicibus, Confessionis a sacerdote faciendae mentio nulla est. Eam tamen saepe praemitti solere, qua ratione Graeci illam observant, extra dubium est: nam par omnino est Graecorum et Jacobitarum Syrorum Poenitentialis disciplina. Illam quae apud suos communis erat, non modo designavit accurate, sed regulas illius partim collegit, partim ex Episcoporum suae sectae consilio constituit Dionysius Barsalibi Metropolita Amidenus, qui vivebat cum Franci Regno Hierosolymitano adhuc potirentur. In ejus Tractatu de suscipiendis Poenitentibus quem, si Deus vitam concesserit, Latine interpretatum Dissertationibus de Poenitentia subjungemus, nihil quidem praecipitur sacerdotibus de facienda confessione peccatorum, quoties Liturgiam celebraturi sunt: sed omnibus Ecclesiasticis et saecularibus praeceptum esse dicit, ut ter ad minimum, quotannis ad confessionem accedant. Illa autem intelligi debet de peccatis levibus et quotidianis, non de gravioribus contra Decalogum, quorum Sacerdos, si conscius sibi sit, a Confessore non sineretur ad Liturgiam celebrandam accedere: ut neque Laïcus ad communionem Sacramentorum. Habent enim in variis Canonibus constitutas poenas canonicas, quae sunt *Metanoeae* seu totius corporis repetitae prostrationes, Psalmorum recitatio, jejunia, pro peccatorum ratione graviora vel leviora, et eleemosynae. Verum interea abstinentur a Sacramentorum perceptione Laïci: Ecclesiastici ab altaris ministerio, donec ultimam absolutionem acceperint. Istis vero ex nova disciplina, ut testatur Barsilibi, cum secundum Canonum veterum dispositionem, gradum amittere debuissent, concessum illo tempore fuit, ex communi Episcoporum sententia, ut Ordinem suum retinerent, sed duplicarentur illis poenae canonicae, atque interea excluderentur a sacro ministerio. Itaque de levibus et venialibus peccatis Confessio illa accipi debet. Si quosdam Jacobitas confessionem peccatorum insuper habere a multis scriptum est, pertinet potius ad Aegyptios quam ad Syros haec accusatio: nam apud illos, praesertim sub duobus Patriarchis duodecimo saeculo, maximum Poenitentialis disciplina detrimentum accepit: quamvis suos semper defensores habuerit, etiam in Aegypto, adversus illam novitatem, praecipue Marcum filium Elconbari, qui Marco filio Zaraae restitit, et postea Ebnassalos fratres duos, et alios non paucos. Verum eo ipso tempore, Antiochenus Jacobitarum Patriarcha Michael, necessitatem Confessionis sacramentalis et *Canonis,* seu Poenitentiae Canonicae, multis argumentis stabilivit in Tractatu *de praeparatione ad communionem*, docto sane et Theologico, cujus alibi excerpta dedimus, et plura dabimus in Dissertatione de Poenitentia. Illum vero disciplinam in Ecclesia sua receptam propugnasse, non est dubitandum. Quod

Hist. Patr. Alex. p. 550.

si aliqui Jacobitae Syri, Aegyptiorum contagione afflati ab illa recesserunt, quod de nonnullis negari non potest, malo magno suo id fecerunt, nullo verae doctrinae praejudicio.

Illa vero quae praeparationem Sacerdotis spectant, aeque a Graecis observantur, neque tamen extant in omnibus Euchologiis, quia sumuntur aliunde monita similia. Illa habet Goarii editio, et Venetae nonnullae, tum Romana Demetrii Ducae anni MDXXVI. omnium antiquissima. Unde mirum esse nemini debet, carere rubricis illis Orientales multos codices, cum in Graecis etiam recentioribus diverso modo se habeant. Qui ea, quae ad Sacerdotis praeparationem spectant negaret ideirco a Graecis observari, frustra foret: ita qui simile de Syriacis ritibus judicium ferret, quia desunt in multis codicibus.

Plerique Codices antiqui rubricis carent.

Sententia porro orationum, quae hoc loco dicuntur a Syris Sacerdotibus, et illarum quae a Graecis et Latinis, eadem est, ut eadem prope verba. In illis frequens sacrificii et altaris mentio, non minus quam in sanctorum Patrum scriptis, in quo nimii fuisse Calvino visi sunt, et rhetorice potius locuti, quam Theologice. At bona posteritas pastores illos suos proprie locutos fuisse semper intellexit, et suis quaeque linguis fideliter expressit, et ex illis sacrificii incruenti, Sacerdotiique aeterni secundum ordinem Melchisedech, doctrinam accepit, et in Officiis Ecclesiasticis consignavit.

Conversus ad populum veniam petit, etc.

P. 2. l. 10.

Antiquissima disciplina est, omnibusque Ecclesiis observata, ut Sacerdos, per secretam orationem, qua peccatorum veniam postulat, aut per confessionem factam, Deo conciliatus, etiam proximo concilietur, quod Graeci dicunt *μετὰ πάντων κατηλλαγμένος*. Id quippe significat conversio ad circumstantes et ad populum, versus quos inclinatus, petit remissionem, hoc est, ut si quis adversus illum quidquam in animo habeat, illi condonet. Ita intelligenda sunt verba Syriaca; ut Arabicum quod usurpatur hoc loco in rubricis Missalis Chaldaici אסתנפר. Consentiunt cum nostro exemplari alii antiquiores Codices Seguieriani et Colbertini, in quorum aliquibus Arabice exponuntur rubricae: in aliis Syriace.

Veniae et orationum petitio.

Sacerdos simul et eodem momento preces circumstantium petit dicendo, *Orate pro me fratres, propter Dominum:* ut in Latina Ecclesia dicitur *Orate fratres*, quamvis paulo serius, et exiguo temporis intervallo, antequam sacra Actio incipiatur.

Reliqua ad praeparationem corporis et animae spectantia, eadem omnino sunt apud Syros Jacobitas et Orientales alios, ac illa quae exposuimus in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, Graecorum antiquae disciplinae, cujus etiam magna pars superest, plane similia, ut etiam illi quae in Ecclesia Latina pridem servabatur, antequam privata Missarum celebratio introducta fuisset. Habent quidem Syri privatas Missas, sed non eodem modo,

quo apud nos in usu sunt. Scilicet diebus profestis, aliquando illas cum minori apparatu celebrant, quam Dominicis et festis, ut cum Baptismus administratur, dum sponsalia celebrantur, aut Officium *Lampadis* sive Extremae Unctionis; nam Ordinationes statis et solemnibus diebus fiunt: privatim vix aliquando factae reperiuntur. In Ecclesiis quoque omnia sacramentalia Officia perfici, constans Orientalium disciplina est: privata enim altaria sive, ut vulgo dicimus, *Capellas domesticas* ignorant, neque si id per illorum leges Ecclesiasticas licuisset, jam pateretur afflictissima Christianorum sub infidelibus principibus conditio: cum vetustas Ecclesias tueri vix possint. Syrorum ab annis ut minimum sexcentis consuetudo est, cujus meminit Barsalibi, ut singulares pro poenitentiam agentibus Liturgiae celebrentur, et simul imponantur illis manus, variaeque pro peccatorum qualitate orationes super illos recitentur. Verum illae celebrantur in Ecclesiis et ministrante Diacono, nec sine thure et cantu.

Observatur in variis Codicibus levis in quibusdam illis orationibus praeparatoriis diversitas aliqua, sed in sententiis nulla; unde illas aliis conjungere inutile plane foret.

lb. l. 12.

Ingressus ad altare, etc.

De Altaribus.

In Oriente, ut in Ecclesiis insignibus vetustis, praesertim quae in Occidente supersunt, altaria ita constituta sunt, ut circumiri possint, neque parietibus adhaereant. Locus Ecclesiae superior, in quo altare est, *Sanctuarium* proprie dicitur, Arabice ut plurimum inter Christianos *Heikel* היכל quae vox ex Hebraico fonte derivata, *templum* primario significat: ex usu Ecclesiastico, partem illam augustiorem templi, in qua altare est, et in qua dum Liturgia celebratur, soli consistunt Episcopi, Sacerdotes et Diaconi: quae cancellis et velo, a nave, in qua Laïci sunt, separatur. Vocant etiam *Bῆμα*, nomine a Graecis accepto, ut etiam *Aradion*, hoc est Ἱερατεῖον, quibus vocibus Syri Arabice scribentes non minus utuntur, quam Aegyptii. At Syriace vulgo מדבחא usurpant, quae vox proprie *altare* significat, qua significatione in Arabica lingua saepe accipitur quoque pro sanctuario.

Quomodo ab Orientalibus vocari solcant.

In Officio quod edidit Boderianus, occurrit vox Graeca Θρόνος, quam interpres non explicans, lectoribus offendiculum reliquit. Ita enim vocatur etiam sedes Episcopalis, quae intra sanctuarium seu *Bῆμα* collocatur, quam Coptitae in Pontificali Ordinationis Patriarchae Alexandrini, Σύνθρονος etiam, ut Graeci, vocant. Hic vero de Altari agitur, quod aliquando *Thronum* appellant, quia in eo est *thronus Dei*, cum in illo corpus Christi τεθεωμένον, ut cum Cyrillo Alexandrino dicunt, consecretur, et ad finem usque sacrificii immolatum permaneat. Accuratius tamen loquendo *Thronum*, et Arabice quod idem est כרסי *Karsi* appellant Arabes Christiani, altaris medium, in quo discus sacer et calix collocantur, ante et post consecrationem.

Orationes quae desumtae sunt ex Psalmis, *Introibo ad altare Dei*, et quaedam aliae, quas habent alii Codices, dicuntur in omnibus Ecclesiis, cujuscumque ritus aut linguae, Graecis, Latinis et Orientalibus, adeo non abhorrebant Apostolici viri Ecclesiarum illarum fundatores, ab altaris et sacrificii commemoratione, quam Romanae inventum Protestantes esse volunt, et quam tantopere aversantur, ut quidquid ad eam pertinebat, ex Officiis Coenae suae sustulerint.

Versus qui eodem loco dicitur ex Psalmo CXVII. v. 27. is est qui in vulgata sic habetur secundum versionem Septuaginta Interpretum. *Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris.* Syri quorum versio exemplar Hebraeum sequitur, ita reddunt, ut vertit Gabriel Sionita, *Liga solennitates nostras catenis, usque ad cornua altaris,* propius ad primaevam lectionem. Pessime Boderianus. *Diebus festis vinciar catenis usque ad cornu altaris.*

Cum, ut superius dictum est, Jacobiticae Ecclesiae propria sint illa primae partis Liturgiae Officia; et exigua differentia sit inter illud quod Romae editum est in Missali Chaldaico, et alterum Codicis Colbertini, cui valde simile est id quod Boderianus edidit, observationes ne idem repetere necesse sit in eadem conjunctim dabimus.

Igitur post primas illas breves orationes accenduntur cerei, a dextra parte primum, mox a sinistra: cujus caeremoniae non meminit exemplar Boderiani, sed habetur illa cum iisdem precibus in Codicibus Seguierianis et Colbertinis, ut in Missali Chaldaico. Postea discrimen occurrit inter tres illos Codices, quod observari necesse est. In Missali Chaldaico notatur, Sacerdotem ubi cerei accensi sunt, vasa sacra collocare in altari, et mox oblatam et calicem disco imponere. In aliis, illum miscere vinum et aquam in calice, tum oblatam cum eo in disco collocare. In tertio Boderiani, statim praescribitur oratio dicenda, cum vestes ordinarias deponit, tum aliae quae dici debent, cum ornamentis Sacerdotalibus induitur. Verisimile videtur, orationes non eo ordine collocatas fuisse, quo dicuntur in Liturgia: et in prima Officii Colbertini parte, eas quae non nisi postea dicendae sunt descriptas fuisse, quia Sacerdotes memoriter illas dicunt, eo tempore, quod disciplina, quam omnes sciunt, praescribit: neque enim in illo, aut aliis diversarum Ecclesiarum codicibus, omnia agenda tam minutatim describuntur, ut nihil eorum desit, quae usu stabilita sunt. Cerei.

Igitur in hac obscuritate recurrendum est ad aliarum Ecclesiarum communem disciplinam, quae talis est, ut ex Graeca intelligitur. Sacerdos cum accedit ad sanctuarium, procumbens coram altari, orationes illas dicit, quae in Syriacis Officiis descriptae sunt, aut valde similes. Lotis manibus, deponit vestes ordinarias, et sacras induit, recitando ad singula ornamenta propriam orationem: tum vasa sacra in altari rite disponit, simulque oblatam, cum calice vini, aqua temperati. Haec Graeco ritu in Prothesi fiunt, aut in secretario, sive sacristia: et istum morem apud Jacobitas Syros vigere, significare videtur Barsalibi, cum de processione loquitur, quae respondet Graecorum Caeremoniae aliae praeparatoriae.

μεγάλη Εἴσόδῳ: de qua inferius. Ad hunc igitur ordinem sive *Ἀκολουθίαν*, referri debent orationes et caeremoniae, quae cum eaedem sint, ex varia dispositione, quam habent in Mss. exemplaribus, varietatis plus quam re vera sit, videntur praeferre: cum accuratissime loquendo, nulla sit. Nam Sacerdotem primam illationem donorum sacrorum facere, antequam vestimenta Ordini suo convenientia induerit, verum non est: cum ne id fiat variis Canonibus, et Constitutionibus Patriarcharum Alexandrinorum, et Antiochenorum prohibeatur. In altari ipso collocari panem et calicem, antequam fiat illorum *Εἴσοδος* sive *illatio,* fieri potuit in pauperrimis Ecclesiis: sed contra morem, cum in *prothesi* sive *credentia* fieri soleret. Et sane mensa illa *Προθέσεως* sive *propositionis,* constituta semper fuit in sanctuario, cujus ambitus, ut mox dicebamus, altaris nomine aliquando significatus fuit, qua ratione difficultas omnis evanescit. Usum autem *Προθέσεως* apud Syros fuisse, certo indicio cognoscimus ex pictura triplici quam Pontificalis liber Mediceus habet. In illis quippe Pontifex pingitur stans coram altari, quod illud ipsum esse in quo sacrificium celebretur, significant discus et calix in eo collocati. E regione aliud pingitur; quod Prothesin esse dubitari non potest, cum duorum altarium proprie dictorum in sanctuario, vestigium nullum in libris Orientalibus deprehendatur.

P. 14.

Sacerdos induit vestimenta sacra.

Vestes sacrae.

Fieri id initio officii diximus: quae autem de vestibus sacris dici possunt, partim jam exposuimus in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, quae repetere frustra foret. Ex illis autem lucem accipiunt, quae de Syrorum sacris ornamentis sunt observanda. Eadem enim prope, et Graecis quam simillima sunt, benedictione, ut alia quae ad ministerium pertinent, consecrantur; nec in profanos usus convertuntur.

Calceos quidem, vel ut in Pontificalibus nostris *Sandalia,* primo loco recenset Codex Colbertinus, quorum alii non meminerunt, ne quidem ad ornatum Episcopalem. Eorum tamen meminisse videtur Severus Episcopus Aschmonin, Opusculo de Agno Paschali: sed fortasse mystice intelligenda sunt ejus verba.

Χιτώνιον. Prima vestis est ביתינא *Koutino* ut Syri vocant, quae est Graecorum *Χιτώνιον.* Arabes voce corrupta תיניה *Tunia* vocant. Talaris est, apud Graecos candida, ut apud Orientales vulgo solet. Tamen picturae rudes in Codice Ms. Florentino, Diaconos et Sacerdotes cum tunicis illis coloratis repraesentant. Contra tamen Ebnassalus, et Canones, quos vocant *Imperiales.* Eadem vestis *Χιτώνιον* quoque appellatur ab Arabibus Christianis, voce Graeca.

Com. ad. Lit. Bas. p. 160.

Orarium.

Sequitur *Orarium*, quam vocem Syri suam fecerunt אוררא, *Ouroro:* respondet stolae Latinorum et Graecorum *Ὠραρίῳ*: Aegyptiorum *Ἐπιτραχη-*

λίφ. Diaconi illud ante pectus in formam crucis non cingunt, ut tradunt Pontificales libri varii, et idem testantur picturae illae Codicis Florentini.

De Zona diximus, quantum opus fuit, in Commentario ad Liturgiam Copticam. Zona. *P. 178.*

Manipulum vertimus, quod Syri vocant ידא *Zendo,* ut recte Boderianus: respondet autem hoc ornamentum duplex apud Syros, ut apud Graecos, *Ἐπιμανίκιος* sive *Manicis,* de quarum forma inter Orientales Christianos nihil certi affirmare possumus. In una picturarum illarum Florentinarum, Sacerdos repraesentatur, cum quibusdam *Ἐπιμανίκιος,* quibus brachia cinguntur supra cubitos, quae cum Graecis commune nihil habent. Manipuli.

Faino tandem, sive *casula,* vel *planeta,* est vestis sacerdotalis ultima, quae *φαινόλιφ,* vel *φελονίφ* Graecorum respondet, de qua diximus loco citato. Ab ea porro deductam esse, autor est insignis apud Syros Lexicographus Isa-Bar-Hali. *Faino,* inquit, *aut Filono, aut Phaino vestis qua Sacerdotes induuntur dum sacra celebrant, loco Kutino, sive χιτωνίου quo induuntur Diaconi.* Explicat illam Arabice per *Albornoz,* qua voce utuntur Coptitae in libris suis Arabicis. Ut repraesentatur in Pontificali Syro Florentino, respondet formae veteri Planetarum Romanarum, quae totum corpus ambiebant. Graecarum iconem inseruit notis suis Gourius, quem vide de Phaenolio, ut et Cangium. Casula. *P. 113. et Not. 20. p. 112.*

De vestimentorum illorum variis appellationibus et forma, accuratius et prolixius inquirere nullius utilitatis est: cum nomina ipsa varias interpretationes tulerint ab Aegyptiis, Syris et aliis qui Arabice scripserunt, etymon illorum plane sit ipsis ignotum: formam vero, quae tot saeculorum decursu mutationem haud dubie passa est, delineare ex conjecturis nihil juvat. Graecorum recentiorum, qui de illarum mysticis significationibus fuse scripserunt, commentarii, nihil ad Orientales faciunt: praesertim Symeonis Thessalonicensis et aliorum argutae nimium allegoriae, de variis figurarum intextarum significationibus, quas alteri ignorant. Neque enim color aut forma sacrarum vestium perfectam inter se similitudinem habent. Stola sacerdotalis Syrorum Jacobitarum, cum cruciculis pingitur in Codice Florentino, aut lineolis intercisa: Episcopalis semper cum variis cruciculis. Casula vero vel Planeta seu *Faino* aliquando unicolor, purpurea scilicet in tribus locis, viridis in alio, et in uno floribus acupictis distincta. Graecorum *ποταμοὶ* sive *undulatae lineae,* et alia quae Graecis uberem rhetoricandi materiam praebuerunt, nullo modo apparent.

Perperam vero vocem *Faino* Boderianus *amictum* est interpretatus, nam illius in Orientali Ecclesia usus nullus est. Apud nos prima pars ornatus sacerdotalis est, at *Faino* sive *Phenolium* ultima, quae reliquis circumponitur, qua ratione diversis Arabicis vocibus ista expressa est, et vulgo *Albornoz* ab Aegyptiis appellatur, qua etiam voce illam exposuit Isa-Bar-Hali comparatione ducta a pallio illo Arabum, notissimo: ut *Mahfouro,* sive *Maphorium,* et *Birouno,* a *Birro.* Sed haec satis superque sunt: sufficit observasse Syros non minus quam Coptitas, et alios cujuscumque sectae vel linguae Christia-

nos Orientales vestium sacrarum usum retinuisse huc usque: tantumque abest ut superstitiosum illum existiment, quin potius sacrilegio proximum judicant, absque simili ornatu ad altaris ministerium accedere, quae temeritas poenis canonicis gravissimis, usque ad depositionem plectitur: deque illa disciplina variae sunt Alexandrinorum et Antiochenorum Patriarcharum Constitutiones.

In nonnullis Codicibus, ut in Seguieriano uno, adjunguntur ornamenta Pontificalia duo: unum quod המניכא *Homnico* vocant, ad quod dicitur: *Gloriam et decorem imposuisti super me, quoniam fecisti eam in benedictionem.* Alterum est האנא Corona sive Mitra Pontificalis, quam dum accipit, dicit Episcopus. *Posuisti super caput ejus coronam gloriosam: Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi.* Tandem accipit baculum pastoralem, et dicitur: *Virgam virtutis mittet tibi Dominus ex Sion; dominaberis super inimicos tuos.* Primum ornamentum quid proprie sit, non satis intelligimus. Mitram vero seu Cidarin esse in usu apud Orientales, constat: quamvis forma ab ea quae apud nos in usu est diversa sit.

P. 12. et 15.

Sacerdos ascendit ad altare.

De altaribus.

De altaribus et Orientalium religione ad ea consecranda, videnda quae diximus in Commentario ad Copticam Basilii Liturgiam, ubi nonnulla retulimus ex propria Syrorum disciplina, quae continetur in ipsorum Nomocanone cap. 1°. §. 5°. secundum quam prohibetur, ne Sacerdos Liturgiam celebret in altari quod ab Episcopo consecratum non fuerit, sive *Tablito* טבליתא, tabula videlicet lignea vel lapidea, cujus benedictio eadem est, ac altaris solidi: nam solida habent Orientales Christiani, ut alibi probatum est. Vulgo etiam, si altare solidum non est, utuntur solis illis tabulis, quae Graecorum *Antimensiis* quodammodo respondent. Ex eodem Nomocanone retulimus, a quibusdam Antiochenis Patriarchis statutum fuisse, ut tabulae defectu, ne Ecclesia sacrificio careret, super folium aliquod libri Evangeliorum posset Liturgia celebrari: ut etiam manibus Diaconorum calicem et discum tenentium, altare in summa necessitate suppleri, quod factum refert in cujusdam Anachoretae gratiam, Theodoretus in Philotheo. De altarium consecratione per signum crucis, unctionem ex chrismate, sanctorum reliquias, et preces, ab Episcopo, agit Dionysius Barsalibi in eodem Nomocanone cap. 1°. nr. 7°. Ritus integer extat in variis codicibus, cujus praecipua capita dabimus ex Codice Florentino: Titulus est. Ἀκολουθία sive *series et ordo consecrationis altaris, sive tabulae, quae mensae imponitur. Illa autem consecratio celebratur Feria V. mysteriorum seu* in Coena Domini, *et omnibus Feriis V. a Resurrectione usque ad Ascensionem.*

Ms. syr.

Eorum consecrationis ritus.

Primo parantur tabulae ex ligno electo et pretioso, aut ex marmore vel lapide alio: et inscribitur ipsis tabulis, quo die et a quo consecratae fuerint, in hunc modum. Consecrata est haec tabula sancta, per manus Episcopi N. in Ecclesia N. anno tali: *quae inscriptio decussim fit, ita ut prima et postrema*

verba formam crucis exprimant. Postea Episcopus tabulam collocat super mensam vitae, hoc est altare: *non in medio,* quod solium vocant, *ubi tabula consecrata prius defixa est, sed ad latus sinistrum. Si plures consecrandae sunt, illas suo quamque ordine superponit, Episcopus postea ornamenta sua accipit: Sacerdotes, Diaconi, et reliqui, vestes quoque Ordine suo convenientes induunt, stantque circa altare. Archipresbyter defert crucem, et consistit prope altare: unus ex senioribus Sacerdotibus defert paropsides, in quibus sunt lenticulae sacri chrismatis: Diaconi flabella gestant, alii cereos. Episcopus* a quo solo haec consecratio perficitur, *recitat orationes aliquot, ex Officio consecrationis Ecclesiae, Sedras; orationem incensi, ex eodem: post quas legitur Epistola et Evangelium et recitatur Symbolum. Sequitur oratio secreto dicenda. Psalmus 23.* Dominus regit me, etc. *Episcopus signum crucis delineat pollice, ductis duabus lineis, et tabulam consecrandam imponit, ei quae fixa est in altari: quam deinde deponit ad latus aliud, et reliquas, si plures sunt, primae superponit: atque interea Clerici psalmos et hymnos canunt. Archidiaconus graece dicit Στῶμεν καλῶς. Prooemium. Sedra. Responsoria. Psalmus.* Judica me Deus, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: *et postea Episcopus signat secundo tabulas signo crucis, sicut prius fecerat: clero interea psalmodiam continuante. Diaconus iterum Στῶμεν καλῶς. Tum Sedra. Prooemium. Diaconus dicit Litaniam,* sive satis longam orationem, quae Litaniis nostris non respondet. *Responsoria ex Officio consecrationis Ecclesiae. Psalmus.* Memento Domine David: *et signat tabulas tertio, ut semel iterumque fecerat. Episcopus pronunciat secreto longam orationem, in cujus fine mutato tono, elevat vocem, et respondetur, Amen.* Omnium porro orationum illarum sententia una est, comparatio scilicet Sacerdotii legalis, cum Christiano: commendatio, dignitatis altaris, prae omnibus aliis in Testamento veteri: praesertim quod verum corpus Christi in eo consecretur, reponatur, et immoletur, non minus quam in cruce et in sepulcro. Commendatur pariter Sacerdotium a Christo institutum, et per Apostolos Ecclesiis traditum, cujus ministerio, sacrificium semel ab eo oblatum quotidie renovatur, et fidelium oculis proponitur. Deprecationes ad Deum, ut Spiritus sancti sui gratiam mittat, tum ad altarium consecrationem, tum super fideles, ut ex illis percipere digne valeant corpus Domini Jesu Christi, quod pro ipsis traditum est, et sanguinem ejus qui pro illis effusus est.

Post orationem, *pro Ecclesia, et populo fideli, incipit Episcopus consignationem tabulae per unctionem ex chrismate quo pollicem tingit, et ducit per easdem lineas, quas in modum crucis descripserat, atque id facit ter, recitando interea versiculos ex Psalmis, Hymnos et Responsoria. His peractis si plures sunt tabulae, singulas ordine suo, unam super aliam collocat in parte altaris sinistra, signatque unam quamque signo crucis, simulque collocat super tabulam ipsius altaris, et dicit,* Signatum est, unctum, sigillatumque, altare hoc coram positum, in nomine Patris, Amen; et Filii, Amen; et Spiritus sancti, ad consummationem Liturgiarum sanctarum in saecula, Amen. Ultimae illae consignationes fiunt ab Episcopo, in ipsa unctione

ex Chrismate, atque id est quod sigillum appellatur. Ita, ut notatur ad marginem, *novies super tabulas, signum crucis formatur. Ter primum absque chrismate: ter cum chrismate: et ter post chrismationem solo pollice. Interea canuntur hymni, et orationes aliquot, tandemque Episcopus tabulas integras chrismate ungit, ex omni parte. Diaconus proclamat* Catholicam, seu Orationem generalem; quae sic incipit. *Iterum atque iterum pro altaribus istis quae consecrata sunt, et repleta gratia divina et virtute, attente deprecemur: ut Dominus in illis complaceat, offerunturque super illa oblationes spirituales et salutares, corpus sanctissimum, et sanguis pretiosus: cum fide orthodoxa Dominum deprecemur: ut veniat et illabatur super ea Spiritus sanctus, ad consecrationem, et consummationem mysteriorum divinorum quae illis imponuntur, Dominum deprecemur, etc.* Episcopus caeremoniam concludit oratione gratiarum actionis.

Ex illis ritibus agnoscitur Orientalium fides.

Ex illa et adjunctis precibus patet, quanta sit Orientalium Christianorum religio circa altaria, quae saepe *Mensam vitae* appellant, quia ex illis accipitur, *panis vitae qui de coelo descendit et dat vitam mundo:* qui in eo consecratur, et reponitur. Ea verba multoties in isto consecrationis officio, et in aliis repetita, certum fidei Syrorum de Eucharistia argumentum, praeter alia multa subministrant, cum ita loqui nemo possit, qui non credat in altari, per summum miraculum, illabente scilicet, ut aiunt, spiritu sancto, panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi: non fide sola recipientium. Quippe secundum hanc Protestantium doctrinam, qui medium quo Christi corpus in Eucharistiae communione accipitur, fidem esse contendunt, quamdiu elementa panis et vini in altari sunt, panis et vinum sunt, nec quidquam aliud: etsi intervenerit pronunciatio verborum Christi, et Invocatio Spiritus sancti. Syri vero et reliqui Orientales Christiani, in ipso altari, consecratione peracta, profitentur existere corpus ipsum Christi Domini, non minus quam olim in praesepio, in cruce et in sepulcro. Ut enim Graeci, praecipue Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria sua Ecclesiastica, dum mysticas altaris significationes explicant, ita quoque Orientales iisdem comparationibus utuntur, ad commendandam altarium dignitatem, quod in illis vere credant Christum immolatum, et sanguinem ejus effusum in calice, licet invisibiliter, existere. Haec omnia confirmantur verbis orationum quae in dedicatione Ecclesiae usurpari solent, quarum plures dicuntur in Officio consecrationis altarium, sive Tabularum. Omnium autem illarum orationum, in diversis ritibus, Graecis, Syriacis, Copticis, et aliis, una eademque sententia est: illarumque non minus quam caeremoniarum conformitas, unitatem fidei de Eucharistiae Sacramento invicte demonstrat, quae Latinae quoque Ecclesiae benedictionibus, altarium, et vasorum sacrorum accurate convenit. Haec igitur omnia cum Reformatores sustulerunt, non magis a Romanae Ecclesiae, quam ab Orientalium omnium disciplina et doctrina recesserunt. Neque oratorie dicta existimanda sunt, quae de hoc argumento leguntur in istis Orationibus, cum eadem verba, similesque sententiae extent pariter in Liturgiis, in formulis gratiarum actionis post Eucharistiae susce-

ptionem; in vasorum sacrorum benedictionibus, in Ordinationibus; ubique tandem.

Sacerdos tollit velum quo mysteria operiuntur, etc.

Hoc loco differunt tria Ordinis generalis exemplaria: illud quod in Missali Chaldaico editum est, ita ritum explicat, ut vasa sacra in altari jam posita sint, et majori velo tecta; quo sublato Sacerdos eadem in altari, quo debetur ordine collocat, tum Oblatam: deinde calicem in quo tunc vinum infunditur cum aqua. De illatione munerum ad altare.

In Officio Boderiani, statim Sacerdos disponit rite Oblatam, hoc est, ut recte interpretatur, hostiam non consecratam, quae illic *Sigillum* appellatur, ut etiam a Barsalibi in Commentario, quia panes Eucharistiae consecrandae destinati, literis aliquot, vel figuris signantur, ut apud Graecos quibus consuetudo est ut crucem imprimant, intra cujus qualuor latera legitur ΙC ΚC. Ν Κ scilicet. *Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾶ Jesus Christus vincit:* et similem formam repraesentat, Goarius in Notis ad Liturgiam Chrysostomi, ut vir clarissimus Jacobus Sirmondus Disquisitione de Azymo. Adjunxit alias formas duas Oblatarum, Syrorum unam, Alexandrinorum alteram, quas licet unde habuerit, non dicat, veras tamen esse dubium non est. Utraque non una cruce, ut Graeco ritu, sed multis cruciculis distinguitur, ita tamen ut in medio Oblatae figura major crucis formam exprimat. Ex antiquissima porro consuetudine crucis figuram Oblatis impressam fuisse, probat ex pictura vetustissimi Codicis sancti Germani, in quo delineatus inter altaria duo, stat Sacerdos: quorum in altero, Judaici ritus, sunt victimae aries et hircus: in altero salutare Christianorum sacrificium denotant, calix et Oblatae crucis titulo insignes: tum desuper pensiles utrimque hostiarum capsulae. Magnae quoque antiquitatis indicium praebet figura quae in Coptico Evangeliorum Codice Bibliothecae Regiae servatur, in qua Christus pingitur coram altari Apostolis Eucharistiam distribuens: Oblatae super altari crucis quoque signo notatae sunt. Panis Eucharisticus. *Goar. Euchol. p. 117. P. 122.*

Partem illam in qua crux signatur, nam Oblatae aliquando majores sunt, Graeci *σφραγῖδα* appellant, ut monet Goarius, et eadem significatione טבעא *sigillum* vocatur in Officio Boderiani, qui minus recte interpretatus est, *circulum*. In primo Ordine Colbertino, priusquam panis Eucharistici mentio fit, notatur misceri calicem vino et aqua, quod videtur transpositum, nisi aliquid omissum est. Nam statim praescribitur quomodo in Disco sacro particulae componi debeant, et id fieri non poterat, nisi post primam fractionem, quae fit longe ante officium consecrationis. In Missali Chaldaico nihil aliud notatur, nisi quod, *Sacerdos velum majus aufert quo teguntur mysteria, et vasa sacra aliaque ad Liturgiam servientia disponit rite in altari: affertur-que panis a Diacono, totque Oblatas in disco ponit quot necessariae sunt: deinde calicem vino et aqua mistum.* Verum non omnino ita se habent rubricae in Codicibus Mss. quia scilicet Missalis editores ad praesentis tempo-

ris morem suam accommodaverunt, quod faciendum ipsis erat, quando ab ultima Maroniticae Ecclesiae Reformatione, utuntur Oblatis azymis minutioribus, ut apud nos fieri solet. Ita non ex uno pane, ut veteri ritu franguntur sigilla, ut vocantur, seu minores particulae. At in Codicibus Mss. praescribitur solummodo ut panes, quantum sufficere possint, ad communionem praesentibus distribuendam, multiplicet. Illud quoque ex nostra quotidiana disciplina accessit, quod Oblatam et calicem statim in altari collocant; quod Orientali ritu non observatur, sed inferuntur a Diacono post preces aliquas, eo ritu qui deinde explicabitur. Ex illis Officiis non satis perspicue explicatur prima illa donorum sacrorum, quae *sancta mysteria* jam vocantur, ex futura consecratione, propositio, cui disciplinae lucem, quantum in nobis erit, afferre conabimur. Prius tamen de vasis et instrumentis dicendum est.

Vasa sacra.

Praecipua sunt *Discus* et *Calix*. Graeci Disci figuram, dedit loco mox citato doctissimus Goarius: ex qua et verbis illius patet, illum patenae Latinorum non omnino respondere: cum latior sit, nec adeo planus. Codex Florentinus figuram Syriaci Disci, sed ruditer delineatam exhibet, ampliorem et profundiorem Disco Graeco, si tamen Discum repraesentare pictor voluit, non calicem ministerialem. Syri vocant פילאסא et aliquando פילא, quod idem est. Consecratur iisdem precibus et caeremoniis, quas exhibet Ritus Copticus, cujus versionem dedimus, extatque hujus consecrationis Officium singulare apud Syros, in Codice Seguieriano. Ita et Calix, de quo, ut de Disco nonnulla observata sunt, in Commentario ad Copticam Basilii Liturgiam: *Cochlear* quoque benedicitur, ut apud Graecos, et eumdem usum habet. In Codice Colbertino, adjicitur *Spongia*, de qua nihil scribitur in aliis: sed ea quoque usurpatur a Syris, ut a Graecis, ad extergendum ca-
Euchol. Goar. p. 152. licem. Lanceola, sive ut Graeci dicunt Ἁγία λόγχη, Orientales, Syri aut Aegyptii non utuntur: ut neque *Astere*, quod duas laminas curvas et decussatas significat, quibus discus tegitur velo superposito.

Panis et calix primum praeparantur in Prothesi.

Igitur, ut ad primam illam Officii partem redeamus, praeparatam fuisse Oblatam, et simul calicem in Prothesi, et ad altare deferri, ex Graeca veteri disciplina est, a qua Syri non videntur recessisse; quamvis caeremonia integra in plerisque Codicibus non exprimatur. At testis est ejusdem apud Syros disciplinae omni exceptione major, Dionysius Barsalibi in Commentario
Cap. 6. suo ad Liturgiam. *Producuntur*, inquit, *mysteria seu Sacramenta, et ab altari in gyrum circa sanctuarium deferuntur, ante illationem sacrificii.* Illo ritu testatur *significari Christi in terras descensum, et suae in terra conversationis*, sive τῆς ἐναρχου οἰκονομίας, *periodum: illatione ad altare, ejus ascensionem in crucem, unde ejusdem sacrificium quo se ipsum immolavit, ad Patrem ascendit.* In his verbis, *Altare*, ex quo producuntur panis et calix, parvum intelligimus, sive *Prothesin*, quandoquidem distinguitur a sanctuario, seu היכלא, in quo constitutum est altare proprie dictum, quod saepe eadem voce significatur. Esse sane apud Syros ejusmodi altaria seu Protheses, probat pictura duplex in Codice Florentino, in quo repraesentatur unum

quod praecipuum et sanctuarium esse demonstrant calices et discus in eo designati: nihil simile in alio, inter quod et alterum pinguntur ordinandi, quasi accedentes ad altare; coram quo stat Episcopus Ordinator. Est porro ritus ille, Graecorum *μεγάλη εἴσοδος*, quem Coptitae, Aethiopes, et alii retinent, ut dictum est in Commentario ad primam Liturgiam.

Igitur quae in ea parte legimus, quam primum Ordinem seu Officium vocant in Codice Colbertino, ut in eo quod edidit Boderianus, ita videntur accipienda, ut ad Prothesin seu Altare minus, pleraque fiant. Id quidem non distincte praescribitur in Officiorum rubricis, sed illae quoque nihil habent, quod adversus hanc hypothesin trahi queat, et illa fundatur in communi disciplina, non ea modo quam Graeci observant, sed ea etiam quae Syris familiaris fuit, ut testis est Dionysius Barsalibi.

Potuit quoque aliquid variationis accipere secundum diversas Ecclesiarum consuetudines haec caeremonia: et alicubi statim ad altare proposita dona fuisse: alibi praeparata in Prothesi. Graeci, ex quorum ritibus Orientales omnes alii profluxerunt, panem consecrandum, et ampullas tectas ad altare deferunt, et in altari fit panis in particulas prima divisio: tum vinum et aqua calici infunduntur: atque ita facile intelligi potest, illationem hanc seu propositionem fieri in altari, postquam caeremoniae praecedentes factae sunt in Prothesi, et *περίοδος* sive processio circum altare.

Vela autem calicis, ut Graeci, ita Orientales plura habent. Anaphora sive Arabica נפיר *Nauphir* unum appellatur: aliud generali nomine שושפא *Velum:* in Rituali Boderiani עימא quae vox cum proprie *nubem* significet, hoc loco velum illud majus significat, quo discus, calix, et reliqua vela teguntur, quod eodem modo Graeci *Νεφέλην* vocant, et *Ἀέρα*: nam utraque vox videtur esse *ἰσοδύναμος*. At ista nomina Graecis non tam accurate respondent, ut qui singularis illorum usus fuerit, facile sit designare. Illud modo sufficiet, primo velo calicem, secundo totum discum, in quo calix cum pane consecrando depositus est, contegi: ultimo secundum illud, totumque sacrum ministerium. Anaphara eadem significatione usurpata legitur in Triodio 2. Feria I. hebdomadis jejuniorum, in Lychnico, et in Typico S. Sabae c. 30. *Αἴρει δὲ ὁ ἱερεὺς τὰ καλύμματα τῶν ἁγίων, καὶ σκεπάζει αὐτὰ μετὰ τῆς ἀναφορᾶς ἤτοι τοῦ ἀέρος. Aufert Sacerdos velamina a sacris mysteriis et illa tegit Anaphora sive Aere.* Additur in Typico *οὕτω γὰρ εἰώθασιν καλεῖν αὐτὰ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμων μέρεσιν. Ita enim ea vocare solent in partibus Hierosolymitanis*: nempe *Anaphoram* appellare, quod Graeci dicunt *Aerem:* nam Liturgiae Syriacae quae ad Hierosolymitanam Jacobi expressae sunt, ea passim voce utuntur, a Graecis accepta: *Aeris* aut alterius quae *νεφέλη* repondeat rarior omnino usus est.

Vela calicis et Oblatae.

Haec porro de prima illa munerum Eucharisticorum oblatione, seu illatione, sufficiunt ad conciliandam Officiorum illorum de quibus agitur, diversitatem, quae major apparet quam re vera sit. Cum enim in illis orationes similes sint, ex illis quo ritu dicerentur, et in qua caeremonia intelligi potest. Quaedam in uno omittuntur, quae leguntur in aliis: verum orationes

Diversitas in ritu illationis panis et calicis exigua est.

ad ornamenta sumenda eaedem sunt: scitur porro aliunde ex ipsis Syrorum libris, et ex comparatione disciplinae reliquarum Ecclesiarum Orientalium; Sacerdotes et Diaconos ad ministerii functionem non accedere, nisi cum vestibus Ordini suo convenientibus. Preces igitur quas Codices illi assignant, ad illas induendas, postquam oblata ad altare illata est, suo loco non esse positas intelligimus, atque ita de reliquis, cum omnes ad unum ritum referri satis intelligatur.

De Pane Eucharistico.

Panis Eucharistici varia nomina.

De eo multa diximus in Commentario ad Copticas Liturgias; quaedam ad Syros maxime pertinentia hic referemus. In Officio Romae edito, cum rubricae Arabicae sint, usurpatur vox ברשאן *Burschan*, quae inter Christianos, panem consecrationi destinatum significat, quamvis rarior vocis illius usus sit, nec illa vulgo in antiquis libris reperiatur. Etymon sat obscurum est, sed cum illam peregrinam esse constet, formata est procul dubio a voce Graeca *ἀπαρχή*, quae in Copticis libris saepe occurrit, primitiasque significat: Oblatas aliquando. Vocum prima syllaba decurtatarum ab Orientalibus, exempla multa sunt, ut illud *Koloki*, quod extat in Scalis Coptico-Arabicis, pro *Εὐχολόγιον*. χ Graecum Arabes frequentissime per suum *schin* exprimere solent, ita *Schartonia* dicunt, pro *χειροτονία*. *Scharoubin* pro *Cherubin*, et alia non pauca. Ex accusativo igitur fecerunt *Barschin* quia literam *H* non habent Arabes.

Syriaca diversa.

Sed nomina Syriaca panis Eucharistici varia sunt: integrum quidem panem קורבנא *Kourbono* vocant, *Oblationem*, ut nostri Latini veteres *Oblatam*, Graeci *Προσφοράν*: aliquando simpliciter לחמא דארוא *Panem Sacramentorum* sive *mysteriorum* פריסתא *Paristo* קצתא *Katzto*, quae voces panem quoque significant, et prima illarum legitur in versione Actuum Apostolorum c. 2. v. 46. ubi Graecus Codex habet *ἄρτον*. et Lucae 12. 42. respondet voci *Σιτομέτριον*.

Haec porro nomina Pani consecrando dantur, antequam ad altare inferatur, nam ubi primam benedictionem accepit, aliter et quidem multis nominibus appellatur. Nestoriani praesertim vocant בוכרא *primogenitum;* allusione facta ad Christum primogenitum omnis creaturae: alii *Agnum*. In Rituali Colbertino, et altero Boderiani vocatur טבעא *sigillum* seu *Σφραγὶς* aut טבעתא quod idem est. Sed de integra Oblata vox illa non est intelligenda. Ut enim Graeci, ita Syri, panem qualis supra descriptus est, in multas partes dividunt, quarum una major est, et media, majoremque quam reliquae partes, crucem impressam habet. Cum enim una tantum crucis figura sit in Oblatis Graeci ritus, in Syriaco sunt multiplices. Major in medio disco collocatur, et quamvis divisionis in particulas mentio nulla fiat, illam tamen observari apud Syros rubrica testatur, cum praecipit, qua ratione sigilla alia minora in disco componantur. Ita enim accipi vox illa

debet, quia ut major et media panis pars cruce majori signata est, ita aliae cruciculis, ut ex figura quam Sirmondus edidit, agnosci potest. Striae enim profundiores quae inter cruciculas observantur, faciunt ut panis in particulas facile frangatur, et omnes crucem, sive sigillum habent, quam ob causam *sigilla* quoque vocantur. Nihil simile occurrit in Missali Chaldaico Romae edito, quia ad Maronitarum usum reformatus est; illi autem Oblatis azymis Latino more utuntur, quae eodem modo, quo Orientales frangi non possunt.

Nomina alia particularum consecratarum.

Observandum tandem est, partibus illis in quas Eucharisticus panis dividitur, alia in sacra Actionis decursu nomina tribui. Nam particula major quando consecrata est saepe *Margarita* appellatur: apud Aegyptios *Isbodicon* seu *Isbadicon:* in Codice Graeco-Arabico Bib. Regiae Στοιδιχὸν voce corrupta ex Δεσποτικὸν nempe σῶμα. *Corpus Dominicum.* Etiam pars desumta ex illa majori, qua calix consignatur ut unio duarum specierum fiat ἁγία ἕνωσις Graecis dicta, et ab Orientalibus non minus observata, *Margarita* quoque sive *Unio* dicitur. Partes reliquae in his officiis nomen aliud non habent quam sigillorum, ob rationem supra dictam, ut nec apud Graecos aliter vocantur quam ἁγίαι μερίδες. In Colbertino Codice, et eo *P. 108.* quo Boderianus usus est, tum in aliis antiquissimis, occurrit vox Syriaca ܓܡܘܪܐ *Gamouro*, quam ille *corporale* interpretatus est, sed quae nihil minus significat, et de qua sane erat divinandum. Neque enim illa explicatur a Lexicographis recentioribus, aut a Syris ipsis, ut neque aliae prope omnes ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes. Tamen cum illa vox *carbonem* vulgo significet, verisimile omnino est, illo significatu accipiendam hic illam esse, sed qui ad mysticum alium referatur, Orientalibus notissimum, et in orationibus frequenter usurpatum. Is est ut particulae panis consecrati vocentur *carbones vivi*, quia Christum ita mystice designatum volunt, qua ratione, ut diximus, Maria Virgo vocatur *thuribulum aureum*, quia *carbonem vitae utero continuit.* Unde in benedictione Cochlearis, quo communio Laïcis distribuitur, comparatur illud λαβίδι sive forcipi, quem in Angeli manu vidit Isaïas, capientis carbonem de altari: atque idcirco ipsum Cochlear λαβὶς appellatur. Itaque particulas illas quae fractae minutatim in disco collocantur ܓܡܘܪܐ *carbones* in Syriacis Ritualibus vocari, eo verisimilius est, quod ita quoque vocentur in Benedictione Disci Eucharistici, in Rituali Gabrielis *Not. p. 324.* Patriarchae Alexandrini, *qui replendus est ignitis carbonibus, ex reliquiis corporis filii tui:* particulis scilicet quae dicuntur Λειψανον, hoc est Λείψανα, sive, ut Arabes vertunt, *membra corporis Christi:* Vocari autem ita possunt ante consecrationem, non minus quam *sacra mysteria, sacrificium, hostia, agnus, primogenitus*, et aliter.

Panis Eucharistici praeparatio.

In his ergo officiis *Gamouro* particulas significat quae in disco collocantur, prope eas quae quod crucibus signentur, *Tabahe* ܛܒܥܐ sive *sigilla* singulariter appellantur. Imo in optimo Codice Seguieriano, eadem vox majorem ex qua aliae consignantur partem Oblatae significat.

Nunc quae ad Eucharistici panis praeparationem pertinent explicanda sunt, ex Syrorum disciplina. Eam fuse explicavit Dionysius Barsalibi Tractatu singulari, in quo proposuit omnia quae ad rite celebrandam Liturgiam necessaria sunt. Illius Epitomen nacti sumus Arabice scriptam, in Codice Colbertino, in cujus fine nonnulla adjuncta sunt ab interprete, ut testimonium Gregorii Abulfaragii, qui diu post Dionysium vixit. Praecipitur autem in hac Epitome, ut panis consecrationi destinatus, conficiatur ex frumento, cujus grana singulatim ab omni sorde mundata fuerint: ut postquam farina facta est, aqua macceretur, tum attente coquatur, adeo ut panis adustus non sit: misceatur fermentum, nec azymus offeratur. Si fissus sit, nec alius reperiatur, poterit offerri, quia in propria natura perseverat, quam fissura non corrumpit.

Fermentatus addito sale et oleo.

Azymum sane panem, ut Graeci, ita Syri et Orientales reliqui, exceptis Armenis, negant legitime offerri posse, atque inter alia quae Paulus Sidoniensis Episcopus, Petrus Melichae, Abulbircat, et Ebnassalus Francis objiciunt, non ultimo loco recensetur, Azymorum usus. Sed in fermentati panis usu ad Eucharistiam consecrandam Syri non consistunt, addunt praeterea salis micam et stillam olei, quod a Nestorianis quoque observari docet *Officium renovationis fermenti*, et ab autoribus aliquot memoriae proditum est. Quamvis porro Jacobitae Syri arctissimam cum Coptitis Alexandrinis communionem coluerint, illam tamen olei et salis ad parandum panem Eucharisticum admistionem non probaverunt. Olei ita admisti usum, in illis damnat Petrus Melichae Episcopus, et ex eo Abulbircat, sed salis non meminerunt. Constat tamen ex Historia Patriarcharum Alexandrinorum in vita Christoduli Patriarchae LXVI. ordinati anno J. C. MXLVII. quod Oblatam ita confectam, cum Cheik quidam Abulbecher Archiater Principis, Syrus, ad altare detulisset, eam rejecerit indignabundus, hominemque male multatum, Ecclesia pelli jusserit. Tum scripsit ad Joannem Patriarcham Antiochenum, adversus illam consuetudinem; quem monita Christoduli insuper habuisse testatur historicus.

Hist. Patr. Alex. p. 426.

Apologia istius consuetudinis scripta a Joanne Antiocheno.

Tamen in Codice Bibliothecae Colbertinae duo Tractatus Syriace scripti reperiuntur, ad vindicandam illam Syrorum disciplinam, quorum prior nomen Joannis Patriarchae praefert: alter Apologiae adversus contradictores. De ea controversia quaedam dicta sunt in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam. Porro cum obscurissima sit etiam in Orientalium Christianorum libris Patriarcharum Antiochenorum Jacobitarum successio, de isto Joanne nihil aliud affirmare possumus, nisi quod aequalis fuerit Christodulo, medioque undecimo saeculo vixerit. *Barsussan,* aut rectius, *Barchouchan,* cognominatum illum fuisse, primus scripsit Abraham Echellensis, in Notis ad Hebed Jesu, et illius judicium secutus est Faustus Naironus, in sua *Ecoplia.* Illum quoque haereticum fuisse testantur, quamvis ejus nomine, cum *sancti* titulo Liturgia, inter Maroniticas, purae illius et incorruptae, ut volunt, Ecclesiae suae, locum invenerit in Romana editione. At istud cognomen non legitur in Historia Patriarcharum Alexandrinorum: neque Joannes ille, tanquam

Ecopl. p. 34.

istius mistionis inventor, a Christodulo reprehensus est, sed ad eum tanquam Syrianorum, hoc est Syrorum Jacobitarum supremum Antistitem querela delata, quam si vivente altero neglexit, postea ut illi satisfaceret operam dedisse, probat ea quam diximus Apologia. In illa autorem se mistionis illius non agnoscit, neque verisimile est tunc illam noviter fuisse institutam, sed displicuisse Christodulo, quod Archiater ille rem novam attentasset, cum Oblatam, more ab Ecclesia Alexandrina diverso praeparatam, obtulisset. Habebant quippe Syri Jacobitae in Aegypto stabiliti Ecclesias suae gentis et sectae proprias, in quibus sacra suo ritu faciebant, sinentibus, aut dissimulantibus Patriarchis Alexandrinis, quod ob Severi Antiocheni memoriam, multum Antiochenis tribuerent, qui frequenter in Aegyptum, ubi sepultus fuerat, religionis causa commeabant. Ignorabant quoque fortassis Alexandrini Patriarchae aliorum Jacobitarum disciplinam, ut ex alio Historiae loco agnoscimus. Nam Gregorius quidam Armenorum Patriarcha, in Aegyptum cum venisset, seque Jacobitarum fidem profiteri testatus fuisset, tanquam ad rem novam, sibique prius incompertam obstupuerunt Aegyptii. Fieri igitur potuit, ut quid in Ecclesiis Syrianorum illorum, circa Oblatarum praeparationem observaretur, Alexandrini Patriarchae ignorarint, cum in illos precarium tantummodo, sicut in Armenos; non plenum et absolutum, ut erga Aethiopes, jus haberent. Quippe Syriani illi et Armeni non tam a Patriarchis, quam a Viziris et Sultanis obtinuerunt, ut suas sibi Ecclesias habere liceret: sufficiebat enim esse in Aulico ministerio scribam aliquem, aut Medicum advenam, qui facultatem a principibus postularet: illa vix unquam negabatur. Armeni Viziros aliquot suae gentis habuerunt, ut Behramum, Beder-Gemalium et alios, a quibus non modo ut Ecclesias proprias haberent, obtinuerunt; sed aliquas ipsis Coptitis eripuerunt. Verum haec alibi fusius tractata sunt: de Apologia Joannis illius Antiocheni jam pauca dicenda sunt.

Hist. Patr. Alex. p. 460. 492.

Hist. Patr. Alex. p. 506. et seq.

De Azymis quid haec Apologia contineat.

De Azymis, et necessitate panis fermentati continet ea quae a Graecis sequioris aevi, non minus prolixe, quam futiliter exposita sunt, in multis adversus Latinos scriptis, editis et manuscriptis. Collectanea sunt scilicet diversorum sacrae Scripturae locorum adversus Judaïcos ritus, et Azyma, dissimulatis illis, quae in illorum commendationem ab Humberto Sylvae Candidae et similibus Graecorum accusatoribus objecta fuerant, aeque imperite. Adjunguntur testimonia Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrysostomi, Dionysiique Atheniensis, quae nihil ad rem faciunt. Extat de eodem argumento prolixior disputatio Arabice scripta in Codice Vaticano, post Quaestiones et Responsiones varias circa Eucharistiam, quae dicuntur factae *secundum doctrinam Ecclesiae Copticae*, quamvis ex Orthodoxo potius aliquo scriptore Graeco translatae videantur. Nam inter testimonia circa Eucharistiae fidem, referuntur ultima capita libri Joannis Damasceni de Fide Orthodoxa. An disputatio de Azymis ad autorem totius operis, aut ad alterum quempiam referenda sit, sciri vix potest. Dicitur autem facta Constantinopoli pro Patriarcha Michaele, anno Alexandri MCCCLXV. Martyrum DCCLX. Hegirae CCCCXLV. qui annus respondet anno J. C. MLIII. ut alter Alexandri, seu Seleucidarum,

qui est Martyrum, non DCCLX sed DCCLXIX. Autor Disputationis dicitur fuisse Muchtar Ebn-El-Hacen, Ebn-El-Abdoun, Ebn-El-Botlan Bagdadensis, Medicus satis celebris, de quo Abulfaragius in Historia Dynastiarum, qui tamen eum obiisse anno praecedente, scribit. Occasio disputandi fuit, quod misisset Papa Romanus Nuncios ad Michaelem Constantinopolitanum, Cerularium scilicet, tempore Constantini Monomachi, cum literis hortatoriis ad Graecos, ut multa disciplinae suae capita reformarent, inter alia usum fermentati panis in Oblationibus suis. In ea igitur Disputatione argumenta varia contra Azyma reperiuntur, quae Autor Apologiae, ut verisimile est, inde sumsit, cum eodem viveret tempore. Illud tandem praetereundum non est: quod Dionysius Barsalibi qui post tempora Christoduli Alexandrini Patriarchae vixit, tunc cum Franci Hierosolymis regnarent, nempe post annum MXCIX. misturae olei et salis non meminit, in Tractatu quem citavimus, nec in Commentario ad Liturgiam.

Hist. Dyn. p. 231.

Cum vero Graecis non minus quam Coptitis mistio salis et olei displiceret, eam Joannes confirmare satagit inanibus ratiunculis, comparatione ducta ex quatuor èlementis: tum scripturae locis, ubi salis et unctionis mentio fit: quae quidem adeo frivola sunt, ut illa fusius referre, opera abuti foret. Sane nullum hujus admistionis occurrit, ante illa undecimi saeculi tempora, in libris Orientalibus vestigium. Consulti olim a nobis Sacerdotes Syri, atque inter alios Elias Bagdadensis qui ante annos quadraginta Lutetiam venit, is quem Ricardus Simon saepiuscule loquentem inducit, de rebus Theologicis, quarum imperitissimus erat, interrogatus de illa suorum consuetudine ita respondebat. Micam salis adjici in massa fermentata, sed quae gustu percipi non posset: oleum cavae manui Sacerdotis allini, ne dum Oblatam format, massa adhaereat: verum non tanti est illorum hominum fides.

P. 3. et 23.

Accipit majorem hostiae partem et collocat in disco, dicens Tamquam ovis, etc.

Syri lanceolam ad dividendam oblatam non habent.

Dicitur apud Graecos eadem sacrae Scripturae particula, cum Sacerdos ferro acuminato, quod *Ἁγίαν λόγχην* appellant, pungit et secat panem Eucharisticum, adjunctis formulis aliis, a Diacono aut ipso sacerdote dicendis, quae in Euchologio leguntur. Verba ad significationem Christi lancea transverberati, et aliis suppliciis lacerati referenda, Germanus Patriarcha et alii Liturgiae expositores testantur, et fuse Symeon Thessalonicensis. At Syri, ut etiam Coptitae, usum *λόγχης* non habent, neque illius indicium occurrit. Mysticam significationem agnoscunt, sed eam satis exprimi judicant per panis fractionem, tum primam quae hoc loco fit, cum panis in particulas fractus, disco imponitur: tum secundam quae fit ante communionem. Ita scilicet intelligunt verba Christi, ut in Liturgiis referuntur, *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, idque ipsum significasse, cum panem fregit. *Cum fregit,* inquit Dionysius Barsalibi, *in mysterio significavit nobis, passio-*

nem suam, crucifixionem, occisionem, transfixionem lancea, denique mortem suam. Coptitae etiam, ut ex Abulbircat discimus, nec non aliis qui de sectarum diversis opinionibus et institutis scripserunt, accusant Melchitas, seu Graecos Orthodoxos, *quod oblatam incidant:* de qua consuetudine Syrianos non accusant, sed de sola olei in Oblatis praeparandis admistione.

Fundit vinum in calicem, etc. *P. 3. L. 31.*

Vini conditio.

De illis quae circa vinum calici immittendum et consecrationi destinatum observari oportet, multa dicta sunt in Commentario ad Basilii Liturgiam, quae non minus ad Syros quam ad Coptitas pertinent. Singulare illud, quod notat Barsalibi, vinum parari debere ex uvis selectis, quae manu, non pedibus premantur. Neque tamen id legis vim habere censendum est, cum nihil simile legatur in Syrorum Nomocanone: ut neque illud quod vini defectu, uvae duracinae adhiberi possint, exigua aqua maceratae, ut ex illis liquor exprimatur: quod ab Aethiopibus factitari, et ab aliquot Canonum et Rituum interpretibus non improbari, loco citato Commentarii observavimus.

Orationes quae hic assignantur in Missali Chaldaico, diversae sunt ab illis quas habent Officia Codicum Colbertinorum, Seguierianorum, et Boderiani, sed ad eamdem significationem mysticam referuntur quam exponit Germanus Patriarcha. *Ὁ δὲ οἶνος πέφηνε τὸ αἷμα τὸ ἐκ πλευρᾶς τοῦ Χριστοῦ ῥεῦσαν. Τὸ δὲ ὕδωρ πέφηνε τὸ ῥεῦσαν ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ. Vinum significat sanguinem qui fluxit ex Christi latere: aqua illam quae ex ipsius quoque latere fluxit.*

Incensum, crucis signum, etc. ab Orientalibus usurpata.

Incensum, crucis signa, et reliquae caeremoniae cum Ecclesiis omnibus communes sint, singulari nulla observatione indigent, si quidem nullum prope discrimen est in disciplina, circa illa quae non tam ad essentiam, ut vulgo dicitur, Sacramenti, quam ad decorem domus Dei, et ad excitandam fidem, attentionemque instituta sunt. Offert Sacerdos panem et calicem, leviter elevando antiquum in veteri Lege oblationis illius morem imitatus, quem הרמה vocabant, quo testatur abolita fuisse vetera sacrificia per illud novum a Christo institutum. Ea verba subjicit, quae sacrificii, quo se ipsum in cruce Christus obtulit, memoriam revocent, ut intelligatur in Liturgia verum esse novae legis sacrificium, quod in omnibus prope orationibus inculcatur.

Orationum varia genera.

Observandum porro est in Ecclesiis Syriacis, inter istas caeremonias cani a Sacerdote celebrante, vel Clero, et ut nostri veteres Rituales loquantur, a *Schola Cantorum*, hymnos diversos, quorum nomina explicari, aliis ad usum nostrum accommodatis vix possunt. Tales sunt *Sedro*, *Pechito*, *Kolo*, *Akebo*, *Khoutmo*, praeter quae alia occurrunt in Nestorianorum Ritibus, huic sectae singularia. Ita in Graecis Officiis Ecclesiasticis, ejus generis nomina multa sunt, notae apud illos qui illis utuntur significationis, quae in alia lingua exprimere perdifficile est. Nam originationem illorum ex communi, quam in sermone vulgari habent, significatione deducere, frustra est. Ita Boderianus

lectoribus linguae Syriacae imperitis miras tenebras offudit, in versione Rituum Severi Antiocheni, cum illas quo vis modo, ex Syriacis originibus interpretari conatus est. Ita *Sedro*, sive *Sedra*, *Ordinem* vertit: et in Officio com-
P. 10. 11. 12. muni Liturgiae. *Et incipit ordinem Poenitentiae, primo Prooemium.* *Sedra* hoc loco assignatur, quae *Poenitentiae* dicitur, quia petitur peccatorum venia. *Prooemium*, brevis oratio est, quae Sedris, et aliis quibusdam praemitti solet. *Akebo* vertit *Disquisitio*, cum oratio sit quae in aliarum fine dicitur, quam ultima clausula sequitur, *Khoutemo* dicta, et ille *complementum* vertit, atque ita ferme in reliquis: unde tam exiguum ex talibus versionibus fructum, ad antiquitatis Ecclesiasticae illustrationem pervenisse, mirari nemo debet.

Omnes ergo voces illas, quia Latine reddi vix possunt, sua lingua reliquimus: quid vero significarent quantum in nobis fuit explicavimus. Itaque ut a *Sedris* incipiamus, illae Prosis quodammodo nostris respondent: nec semper dicuntur, sed secundum festorum varietatem, et ad Sacerdotis arbitrium. Plerumque non soluta, sed stricta oratione scriptae sunt, carmine
Georg. Amira Gram. Chald. l. 6. Ephraemitico vel Jacobitico, quae sunt duae versuum apud Syros species; tales sunt Sedrae aliquot in Missali Romae edito, quarum aliquae in Mss.
Hist. Chald. p. 117. et seq. reperiuntur. Ita quoque appellantur preces non adeo prolixae, quae passim in Officiis occurrunt: et illarum ratio non magis explicari potest, quam tot vocabulorum, quae in nostris Breviariis et Missalibus adhibentur. *Invitatorium, Versus, Antiphonae, Sacerdotalis, Introitus, Graduale, Responsoria, Communio, Secreta: Infra actionem* alia tam multa.

Orationum, ut apud Graecos, aliquae clata voce dicuntur aliae secreto, et cum inclinatione, quae ita notantur תלִיתָא *Talito, Elevatio vocis*, et גהֵנתָא *Gheento. Inclinatio:* et illae formulae respondent Graecae Ἐκφώνως et Μυστικῶς. In prima monendum est, hallucinatum fuisse Bolerianum, qui semper vertit *Trinitas*, et cum sequentibus verbis conjungit ut sententiam efficiat. Reliqua suis locis observabuntur.

P. 7. et 19.

Diaconus legit Epistolam.

Lectio Epistolae a Diaconis.

In Orientali Ecclesia non solent Lectores vel Subdiaconi sacram Scripturam, cujus multae Sectiones leguntur, publice legere: idque vulgo perficitur a Diaconis. In priorum Ordinatione nihil occurrit quod ad Officium illud legendi Epistolam, ut apud Latinos, pertineat. Imo Subdiaconi ad altare vix accedunt: Diaconi omnia sacra ministeria obeunt, et absque Diacono Liturgiam rite celebrari Orientales non existimant. Unde Petrus Melichae Episcopus culpat in Francis sive Latinis, quod sine Diacono Liturgia apud eos celebretur.

Plures lectiones sacrae Scripturae in Liturgia.

Lectiones in Orientalibus Ecclesiis plures fieri solent. Prima ex veteri Testamento: secunda ex Actis Apostolorum: tertia ex Epistolis Pauli: quarta ex Catholicis: quinta tandem ex Evangelio. Ita illas recenset Dionysius Barsalibi. Omnes Syriace leguntur a Diacono: et postea legitur earum inter-

pretatio lingua vulgari Arabica, quae lectio fieri potest ab inferioris Ordinis Clericis, juxta Cyrilli II. Patriarchae Alexandrini Constitutionem. Interpretatio vero Evangelii duplex est: literalis una et simplex, qualis in aliquot codicibus Ordinationum, ut in optimo Florentino reperitur: altera paraphrastica, in Homiliarum modum, quae singularibus libris continentur. Extant hujus generis multi in Bibliothecis, et talem, ad usum Ecclesiae Syriacae Jacobiticae habet Bibliotheca Seguieriana, qui communiorem istarum interpretationum, quae *spirituales* appellantur, formam prae reliquis videtur exhibere: nam brevissimae sunt; cum illae quae ad Ecclesiam Copticam pertinent sint prolixiores.

Evangelium. *P. 9.*

Evangelii lectio a Sacerdote Syriace.

Ut apud Coptitas cum magnis caeremoniis defertur ad Ambonem liber Evangeliorum, ita fieri apud Syros constat, et id a Graecis acceperunt. Quo ritu id a Coptitis observetur, expositum est ex illorum Theologis, in Notis ad primam Liturgiam, ubi illum *μικρᾷ εἰσόδῳ* Graecorum respondere dictum est, de qua erudite Jacobus Goarius. Legitur autem Evangelium a Sacerdote, non a Diacono: quamvis olim in Syriacis Ecclesiis munus Diaconorum, ut apud nos, Evangelii lectio fuerit. Id enim docet Constitutio Rabulae Episcopi Edesseni art. 70. *Sacerdotes legent Evangelium ubi reperientur, nullique erunt Diaconi.* Preces, et formulae ad venerationem codicis Evangelici, similes sunt in omnibus ritibus, ut nempe Christiani qui adsunt, non auditores tantum sint, sed factores verborum, quae ex Evangeliis recitantur. *Euchol. p. 121.*

Lectio secunda fit lingua vulgari.

Post Syriacam lectionem, sicut Epistolae, ita quoque Evangelii vernacula lectio lingua Arabica observatur similiter, et habent Syri Lectionaria propria Arabica, ad hunc usum. In Pontificalibus, et quibusdam aliis libris quorum usus quotidianus non est, lectionibus quae interseruntur, versio Arabica subjici solet, ut in optimo et antiquo Codice Florentino. Extant quoque Codices varii Epistolas et Evangelia secundum Dominicarum et festorum Ordinem, ut sunt apud Graecos *Ἀποστολοευαγγέλια*. In omnibus exemplaribus Syriacis Novi Testamenti notatur quando singulae Sectiones in Officiis Ecclesiasticis legi debeant, illarumque indicem repraesentat editio princeps Viennensis.

Sanctus Deus sanctus fortis, etc. *P. 4. et 20.*

Trisagium.

Hymnus est quem vulgo *Trisagium* appellant, qui in universa Ecclesia celeberrimus est. In Latina tamen non dicitur praeter, quam semel in anno Feria VI. majoris hebdomadae, idque Graece et Latine, quo peregrina illius origo significatur, quia secundum Graecos prope omnes, in Ecclesia Constantinopolitana cani coepit Angelo revelante, sub Proclo Patriarcha. Ita Theophanes, Nicephorus l. 18. c. 51°. Damascenus de Fide Orthodoxa l. 3. c. 19.

et singulari Epistola, et alii multi, quorum testimonia collegerat vir clarissimus Carolus Fraxineus Cangius: plura addidit cum eruditis Observationibus R. P. Michael Lequien in accurata operum Joannis Damasceni editione. Nonnulla quoque ex Orientalibus Syris a nobis allegata sunt, in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, quae hic indicare sufficiet. Graeci et Orientales non modo in publicis Officiis, sed in privatis precibus hymnum illum frequenter recitant, ut patet ex Horologiis, non Graecis modo, sed Arabicis ad usum Melchitarum conversis, ut illo Fani edito anno MDXIV. quod Mss. simile est.

P. 208. et seq.

Jacobitae addunt, *qui crucifixus es pro nobis.*

Melchitae porro seu Orthodoxi Graeci et Latini, illum simpliciter recitant: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.* Jacobitae, tam Coptitae quam Syri addunt, *Qui crucifixus es pro nobis*, Orthodoxis reclamantibus, non minus quam Nestorianis in quorum libris sine additione legitur: ut etiam testatur Amrus Mathaei filius, cujus testimonium loco mox citato retulimus. Is porro ex historia Maris filii Salomonis, non Petrum Gnapheum, sed Episcopum Menbigensem sive Hierapolitanum, scilicet Philoxenum, autorem istius additionis fuisse scribit, ex suorum traditione. Alii additionis autorem Petrum Gnapheum fuisse dicunt, Antiochenae sedis invasorem, eamque edictis suis confirmasse Anastasium Imperatorem Monophysitis addictissimum, ut legitur apud Abulfaragium, sed seditione populi commotum destitisse. Verum quae illorum temporum historiam spectant, a Graecis potius, quam ab Autoribus qui Arabice aut Syriace scripserunt petenda sunt: neque fraudi esse debent inanes quorumdam librorum de Ecclesiastica historia tituli, quasi quidquam Graecis aut Latinis incognitum docere nos possint: cum acta et instrumenta Arabice aut Syriace, praeter paucissima, vix ulla extent. Itaque Jacobitae Aegyptii, non minus quam Syri, Trisagium hymnum, ut apud eos recitatur, additionem illius particulae, *qui crucifixus es pro nobis*, ab initio habuisse existimant.

Hist. Dynast. p. 93. Hist. Patr. Alex. p. 135.

Qua ratione illam additionem explicent.

Accusatus est idcirco ab Orthodoxis Petrus Gnapheus tanquam passionem in divinas Trinitatis personas induceret, et eam accusationem olim a Graecis susceptam, Syri et Coptitae cum ad se pertineret, depellere non unis apologiis conati sunt. Praecipui inter Syros hoc aggressi sunt Isa filius Zuraa, Abu Raïta Takritensis, Yahia filius Adi, et Dionysius Barsalibi, praeter alios qui data occasione de eodem argumento scripserunt. Illorum testimonia retulimus in Commentario ad Copticas Liturgias. Omnium vero Jacobitarum sententia una est: verba Doxologiae illius non ad Trinitatem, sed ad Christum referri, quod perspicue significant ejusdem hymni paraphrases variae, quae in libris Ecclesiasticis reperiuntur, praeter eas, quas referunt Abu Raïta, Yahia et alii Theologi. Illum ea ratione determinatum, posse tolerari, judicavit Ephraemius Orthodoxorum Patriarcha Antiochenus, cujus operis excerpta Photius servavit, nec alia videtur sententia fuisse Eulogii Alexandrini, et aliorum qui de hoc argumento scripserunt, quod alibi tractatum est. Sufficit observasse Jacobitas Syros, ut etiam Coptitas, Doxologiam integram ad Christum referre.

Cod. 228.

Abite auditores in pace, etc. *P. 10. l. 1.*

Formula haec antiqua servata est ex veteri disciplina quae dudum penitus apud Syros obsolevit, non minus quam inter Graecos, qui tamen in recentioribus suis codicibus illam ita exprimunt. Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε· μήτις τῶν κατηχουμένων. *Quotquot Catechumeni procedite: nullus Catechumenorum.* In Jacobi Graeca Liturgia. Μήτις κατηχουμένων· μήτις ἀμυήτων· μήτις καὶ μὴ δυναμένων ἡμῖν συνδεηθῆναι· ἀλλήλους ἐπίγνωτε· θύραι πάντες. *Nullus Catechumenorum: nullus non initiatorum: nullus eorum qui orare nobiscum nequeunt: agnoscite vos invicem: Fores observate. Recti omnes permaneant.* Haec ex antiquis Ecclesiae moribus qui variis Canonibus continentur, notissima sunt: cum non minus in Oriente, quam in Occidente circa illam Officii sacri partem, quae Latinis ideirco *Missa Fidelium* dicta est, excluderentur infideles, catechumeni, poenitentes, energumeni: omnes tandem qui jus oblationis et communionis non habebant, cum baptisati non essent: aut illud per peccatum aliquod amisissent. Perstitit mos antiquus in Ecclesia Graeca, usque ad Imperii Constantinopolitani excidium, circa Catechumenos: non erga poenitentes, ex quo poenitentiae canonicae, praesertim publicae, forma mutata est: multo minus erga infideles, rerum dominos. In Orientalibus Ecclesiis non modo illa disciplina, sed etiam ipsa formula sublata est ex omnibus Liturgicis codicibus, praeter quam ex Syriacis, in quibus servata est, ut olim in Jacobi Graeca, quae illarum primaevum exemplar est. Nam Audientes, sive Infideles, qui ad sacras Scripturas, et sermones ad populum admittebantur, dudum nulli sunt: cum Muhamedani, caeco, et profundae ignorantiae tenebris circumfuso furore, nugas Alcorani, et infinitas alias traditionibus suis cumulatas adeo infixas animis habeant, ut aliud quidpiam ne audire quidem velint. Quod si Ecclesias ingrediuntur, ut saepe Janissarii, praesertim cum vino incaluere, factitant, turbant omnia: tantum abest ut audiendi verbi Dei curam ullam habeant. Verum maximam pietatem existimant Christianis et illorum Sacramentis illudere et insultare quantum possunt: unde factum, praesertim ubi Turcae dominantur, ut ostia Ecclesiae non Acolythis, Ostiariis aut Lectoribus, ut olim, custodienda committantur, sed conduci infideles milites solent, qui foris stantes, commilitones suos ab inferenda Christianis, Synaxes suas celebrantibus, injuria prohibeant. Proselytos sane ex Muhamedanis ad Christianam fidem profitendam accedentes, vix ullos, Orientales historiae referunt; nulli ab annis multis occurrunt a Missionariis memorati: et sane cavent illi summopere, ne de religione verbum illis faciant. Poenitentes nulli jam sunt proprie loquendo, cum a multis saeculis poenitentia omnis secreta fuerit, atque adeo a communione quidem Sacramentorum prohibeantur, qui illi subjacent, non tamen a precum Ecclesiae communione. Unde quamvis multa ex veteri disciplina ergo illos observentur, suscipiantque impositionem manuum et orationes Sacerdotis aut Episcopi, privatim haec fiunt: in Ecclesia quidem, sed

Expulsionis audientium, disciplina in Liturgiis consecrata.

Euchol. Goar. p. 129.

clausis ostiis, ut explicat singulari de suscipiendis poenitentibus Commentario Dionysius Barsalibi. Antiqui porro moris testem habemus Jacobum Edessenum, qui olim poenitentes sub Episcopi manu transivisse, et suscepta benedictione, Ecclesia egredi jussos fuisse testatur: haec tamen jam suo tempore omnino esse sublata significat, et quamvis aetas illius ob historicorum defectum determinari accurate nequeat, est tamen inter Syros Jacobitas antiquissimus. Verba illius relata sunt in Commentario ad Liturgiam Copticam Basilii.

P. 202.

P. 10.

Symbolum fidei.

Symboli recitatio.

P. 198. et seq.
P. 26.

De eo, et consuetudine illud in Liturgia et aliis Officiis recitandi multa dicta sunt in commentario ad Copticam Liturgiam, quae ad Syrorum disciplinam illustrandam aeque pertinent. Eadem enim lex est in omnibus Orientalibus Ecclesiis, tum recitandi Symbolum Nicaenum inter publica Officia: tum etiam omittendi particulam *Filioque*, cujus causa non modo a Theologis Aegyptiis, Severo, Ebnassalis duobus, Autore scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat et multis aliis, sed etiam a Syris, Jsa filio Zaraa, Abulfaragio, Barsalibio, et a Paulo Sidoniensi, Franci accusantur. Nec audiendus Abrahamus Echellensis qui in Notis ad versionem Canonum Arabicorum Nicaeni Concilii, extare illam additionem in quibusdam Collectionibus affirmavit, pugnatque autorum aliquot testimoniis, quo probet doctrinam de processione sancti Spiritus a Patre et Filio, Orientalibus nec incognitam fuisse, nec erroris condemnatam. Sed autores illi ex illorum genere sunt, quos praeter Maronitas nemo novit. Reliqui magno numero, quamvis additio illis non probetur, non tamen Graecorum exemplo adversus Latinos tam acriter invehuntur: nam quaecumque inter utrosque hujus quaestionis occasione transacta sunt, Orientales penitus ignoravere, nec ad se pertinere arbitrati sunt. In Liturgicis, aliisque precibus, ubi de processione Spiritus sancti sermo est, vulgo dicunt, *qui a te Pater procedit, et a Filio tuo accipit,* ut in Scriptura sacra legitur. Aliquando addunt, *accipit ea quae ad illius essentiam pertinent,* quae sententia a Latinorum Theologia non multum abit. Ita Dionysius Barsalibi in sua Liturgia, Mathaeus Pastor in sua: et in ea Xysti idem legitur.

Symbolum porro Nicaenum, ut etiam Apostolicum, Syri non modo Arabica lingua, quae vernacula est, sed Syriaca quam pauci sciunt in privatis precibus recitare solent. In Ecclesia vero, praesertim inter Missarum solennia, non aliter quam Syriace dici solet: ut apud Jacobitas Aegyptios, Coptice. Ita enim praeceptum reperitur in Constitutionibus Patriarchalibus, ut Orationem Dominicam et Symbolum pueri Coptice docerentur. In Libro Ministerii Diaconici Romae edito, Symbolum Nicaenum Syriace et Arabice refertur, verum ut tota orationum series adjunctam similem versionem habet, nec tamen quidquam Arabice canitur aut alta voce pronunciatur, non alium usum habet illa symboli, nisi ut linguae Syriacae parum peritis, subsidio esse possit. Antiquissima

forte omnium quae extant, versio illius Syriaca occurrit in optimo Codice membranaceo Mediceo, a qua reliqua exemplaria vix discrepant.

Quae vero sequuntur in Officio Generali Codicis Colbertini, cum ad finem Liturgiae pertineant, ne eadem repetere necesse sit, ad Liturgiam Jacobi et Xysti explicabimus quibus in variis Codicibus adjungi solent.

Liturgia sive Anaphora sancti Jacobi. P. 29.

Anaphora proprie loquendo quid sit.

Hoc loco secundum Orientales omnes incipit *Anaphora* sive Liturgia proprie dicta, ut de Latina Missa ab antiquis ejus expositoribus scriptum est, illam a Praefatione incipere: qua de re dictum est in primo Commentario. Sed cum Liturgiae Orientales Osculum pacis ante Praefationem praescribant, incipiunt vulgo ab Oratione quae eidem praemittitur, sequiturque Sacerdotis benedictio super populum, tandem Praefatio. Igitur in Mss. Codicibus Copticis, Syriacis, et cujuscumque linguae, novus titulus apponitur, hoc ipso loco, qui Anaphoram incipere significat: cumque omnes Officium quod praecedit commune habeant, illud quod sequitur, et *Anaphora* proprie vocatur, secundum diversas Liturgias varium est et multiplex, quamvis in ordine et sententiis nulla sit diversitas. *P.* 208.

Jacobi Anaphora inter Syriacas praecipua.

Ista quae Jacobi nomen praefert, communis est Syris Melchitis, seu Orthodoxis, et Jacobitis; unde antiquitas ejus ultra schismatum initia promovetur: habetque multa cum Graeca ejusdem nominis communia: qua de re dictum est in Dissertatione praevia. Jacobum Fratrem Domini autorem illius esse, Syri existimant, ex antiqua sua Traditione, cujus fundamentum, ut videtur, aliud non fuit, quam usus illius Liturgiae in Ecclesia Hierosolymitana ab Apostolo fundata. Nam apud alios, ex libro VIII. Constitutionum Apostolicarum, si non nasci, firmari saltem potuit haec vulgaris opinio. At Syri quamvis illas habeant, non eodem tamen ordine, ac in Graecis Codicibus apud illos extant, estque maxima istorum et Orientalium diversitas. Praecipua est, quod liber octavus, in quo continentur prope omnia, quae ad Eucharistiae disciplinam spectant, et quae tanquam Liturgia S. Clementis a nonnullis Theologis habita sunt, desunt in antiquis versionibus Orientalibus. Omnium vetustissima censeri debet Syriaca, facta ex Graecis exemplaribus, cum vulgaris adhuc foret linguae Graecae usus, a viris illius peritissimis, ut pluribus exemplis demonstratur: et in ea totus ille liber deficit. Quod si Liturgiam Syri servant inter alias multiplices suas, quae Apostolorum nomine appellantur, talis enim reperitur in Missali Chaldaico et in Mss. exemplaribus, cum Clementina illa commune nihil habet, praeter formam generalem offerendi sacrificii Eucharistici, quae in reliquis pariter observatur. Idem statuendum de una Syriaca, quae Clementi tribuitur.

Usus illius frequens et eam Commentario explicavit Barsalibi.

Illam igitur quae Jacobo adscribi solet, in quotidiano ministerio Syri frequentant, ex vetusta suarum Ecclesiarum traditione, schisma Jacobitarum multis annis antecedente: cum aliter eam ab Orthodoxis aeque ac haereticis usurpatam fuisse difficile foret. Ad eamdem Commentarium suum accommodavit Dionysius Barsalibi, qui duodecimo vivebat saeculo, cum adhuc Franci in Palaestina regnarent: et si Maronitis credimus, multo antea, sexto videlicet saeculo, simile opus scripserat Joannes Maro, quem tamen praeter eos, Orientalium Autorum, qui Syriace vel Arabice scripserunt, nemo novit. Unde non inanis suspicio est alterius opus illi a Maronitis attributum fuisse. Inde porro manifestum est, communem et celebratissimam Liturgiam, eam esse quae Jacobi dicitur, ad quam reliquae Syriacae, tanquam ad praecipuam referendae sunt: ut generale illud Officium, quo praeparatoria omnia, et ad Gratiarum actionem post communionem pertinentia, non ad eam Xysti cui illa conjungitur in multis exemplaribus Mss. quae reliquis praetulerunt, qui editionem Missalis Chaldaici curaverunt. Ista tamen quamvis censeatur inter reliquas, extetque in antiquis Codicibus, rarioris tamen omnino usus est, et prope nullius; nec a Jacobitis alio, ut videtur, fine composita, ut altera Julii Papae nomine, quam ut in Romanorum veterum Pontificum fide se persistere falso gloriarentur. Illorum quippe, Julii praesertim, falsas Epistolas habent in suis Collectionibus, sententiis aliquot opinioni de una natura suae satis commodis, interspersas, quas inter alia SS. Patrum testimonia allegant Autor *Fidei Patrum*, et multi alii anonymi, praeter insignes Theologos Isa-Ebn-Zaraa, Severum Aschmoninensem, omnesque tandem qui Jacobiticae fidei vindicandae serio incubuerunt.

Syri credunt Jacobum primo Liturgiam scripsisse.

Quod autem praecipua habeatur inter Syros haec Jacobi Liturgia praeter ea quae diximus probat Dionysii Barsalibi testimonium qui initio Commentarii in illam ita loquitur: *Traditur, quod feria III. post descensum Spiritus sancti Jacobus Apostolus Liturgiam celebravit eamdem omnino, quam hic habemus. Cumque rogatus esset, unde accepisset eam, ita respondit. Vivit Dominus, nihil adjeci, aut detraxi ab eo quod audivi a Domino nostro. Ea propter haec Liturgia praecipue eximia est et omnium prima.*

Ut etiam Graeci.

Graecorum quoque communis traditio est Jacobum Liturgiam primum scripsisse, quod probant autoritate Procli, cujus opusculum editum est cum Graecis Liturgiis a Morellio: tum Synodi Trullanae, cujus canon, quamvis a sede Romana probata non fuerit, in Gratiani Decretum relatus est: et in eamdem sententiam posteriores omnes Graeci concesserunt, ut patet ex primo Responso Hieremiae Patriarchae Constantinopolitani ad Wirtenbergenses. Judicium Leonis Allatii de eadem Liturgia longa Dissertatione expositum, et Riveti censuram alibi expendimus.

P. 29.

Oratio ante Osculum pacis.

Secunda Liturgiae pars.

Secunda haec est Liturgiae pars, ut notat Barsalibi, cujus verba sunt, *Haec est secunda Liturgiae pars, quae terminatur celebri illa proclamatione,*

Sancta Sanctis. Hae vero et quae sequuntur orationes, recitantur super populum, unde etiam vocantur. *Impositionis manuum, quia antequam pronuncientur, Diaconus dicit:* Inclinate capita vestra coram Domino. *Nec debent ullatenus genua flectere, non quod prostrationem quae coram Domino fit, improbemus: sed quia sacrificium hoc signum est resurrectionis nostrae: ut prostratio ruinae per peccatum nostrae.* Porro Orationes quas designat, tres sunt. Prima est *Osculi pacis*: Secunda, *Impositionis manuum:* Tertia, *Detectionis Sacramentorum.* Ita Jacobus Edessenus. *Tres post Symboli recitationem fiunt Orationes; Pacis, Impositionis manuum, et revelationis Anaphorae, seu veli*, quo discus et calix teguntur: et quae ita appellatur secundum Barsalibium, quia in ejus fine Sacerdos velum illud aufert, quod *Anaphora* Syriace, *Naufir* Arabice vocari, dictum est superius.

Prima Oratio quae incipit, *Domine Deus noster nos quamvis indignos, etc.* expressa est ex ista Graeca. Ὁ πάντων Θεὸς καὶ δεσπότης ἀξίους ἡμᾶς κατέργασαι, τῆς ὥρας ταύτης, τοὺς ἀναξίους, φιλάνθρωπε, ἵνα καθαρεύοντες παντὸς δόλου καὶ πάσης ὑποκρίσεως ἑνωθῶμεν ἀλλήλοις τῷ τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς ἀγάπης συνδεσμῷ, etc. Ejusdem sententiae sunt reliquae omnes formulae Syriacae, similis orationis.

Diaconus: Stemus decenter, etc. Ib.

Diaconi prima hortatio ad standum et orandum.

Formula antiquissima et ubique recepta in Officiis Liturgicis Στῶμεν καλῶς, στῶμεν εὐλαβῶς, στῶμεν μετὰ φόβου Θεοῦ καὶ κατανύξεως. *Stemus pulcre*, sive *decenter*, *stemus pie*, *stemus cum timore Dei et compunctione.* Ita habetur in Graecis omnibus: et in Copticis Graece pronunciatur, quod apud Syros quoque observatum fuit, ex antiquitatis reverentia. Nam in Rituali quod Boderianus edidit, in aliquot Liturgiis, in Officiis Ordinationum, et apud Barsalibi occurrit ista formula Graecis verbis, literis Syriacis, quam interpres non intellexit: similiter saepius reperitur in Pontificalibus Syriacis Jacobitarum. Habet autem significationem simplicem et literalem secundum Barsalibium, cujus verba superius relata sunt. Consuetudo quippe vetustissima est, ut ad Liturgiam et omnia sacra Officia Christiani stent. Aliquando sedent, maxime in Ecclesia Alexandrina, unde fit ut frequenter in Copticis Officiis occurrat haec formula, quae, ut aliae prope omnes, Graece dicitur, Οἱ καθημένοι ἀνάστητε. *Qui sedetis surgite.* In quibusdam tamen Ecclesiis nunquam sedetur, sed qui Officiis sacris intersunt, scipiones habent quibus innituntur, cum nimium stando defatigati sunt, quod Maronitis familiare est: ad alios an pertineat, ignoramus. Praefatus porro Graece Diaconus Στῶμεν καλῶς, subjungit hanc exhortationem, quam ut lectoribus integra constaret Officii ratio, ex libro Ministerii Diaconici transtulimus. Illa vero laudes Dei ob beneficia ejus erga humanum genus complectitur, et gratiarum actionem de fundatione Ecclesiae per Christum: unoque tenore confessionem fidei de veritate corporis et sanguinis ejus in Eucharistia, ubique ferme te-

statam faciunt. Praeparant nempe suorum mentes ad summam mysterii, cujus sacra Actio jamjam inchoanda est, reverentiam, denunciando per Diaconi vocem, futurum mox in altari corpus et sanguinem Christi. Porro cum adhibeant propria Chrysostomi aliorumque Ecclesiae luminum, inculcata saepius ad populum verba, dum illa in contrariam plane sententiam, Albertino interprete Protestantes avertunt, plaudunt frustra ipsi sibi. Nam si veterum verba satis ex se perspicua, commentariis suis obscura faciunt; at ea quae inter Officia sacra pronunciantur ad plebem, ritibus ita determinantur, ut in aliam omnino, diversam ab ea quam ipsa verba offerunt significationem, detorqueri nequeant. Quod enim initio sacrae Actionis annunciant Diaconi, quasi futurum paulo post; idem qua hora perficitur, in memoriam revocant, per similes proclamationes, tempore consecrationis inchoandae et consummatae per verba Christi et Invocationem Spiritus sancti: factum esse testantur similiter ante communionem, populusque approbat dicendo *Amen*. Nec in eo consistit Orientalium religio, cum praeterea fidei Confessio ante Sacramenti perceptionem publice fiat, ut in Commentario ad primam Liturgiam expositum est.

Brevior multo est in Liturgia Graeca haec Diaconi Oratio, si tamen extat integra in vulgatis Codicibus: manuscripti enim rarissimi sunt, quia a sexcentis annis illa usurpari apud Orthodoxos Hierosolymitanos desiit. Fieri autem potuit, ut initium tantummodo assignaretur, id quippe multis aliis in locis usu venit. Addere quoque nonnulla Syri potuere: quod saepe factum est: sed additamenta illa plurium saeculorum aetatem ferunt: nec quidquam, quod alibi saepe repetitum non occurrat, continent, omnique adeo novitatis suspicione liberantur.

Quod legitur in fine *rasa sacra offeruntur, etc.* nos non satis intelligere ingenue fatemur, sed non alicujus esse momenti certissimum est.

Omnes porro orationes illae praeviae, desumptae sunt ex Jacobi Graeca Liturgia, quamvis in ea non eodem prorsus ordine dispositae: et totidem prope verbis leguntur in Coptica, Graecis Alexandrinis, et omnibus prope aliis, quia scilicet spiritus Ecclesiae loquitur in illis, et linguis omnium gentium.

P. 30. l. 10. *Date pacem, etc.*

Osculum pacis. Osculum pacis apud Syros, *Pax* vocatur simpliciter, qui usus quoque vulgaris apud nos, ut etiam cum Arabice scribunt. Observatur eadem Osculi sancti disciplina apud Ecclesias omnes Orientales, cujuscumque linguae, absque ullo discrimine. Canones qui de illa extant ex veteribus Conciliis, leguntur similiter in omnibus Collectionibus, et in Syriaca prae reliquis antiquissima: observaturque praesertim, ut viri viros osculentur; mulieres, sui sexus alias. Sacerdos sacra celebrans, cum pax danda est, osculatur primo altare, et ut Orientalium consuetudo est, tribus in locis, *ad captandam*, ut aiunt, *a mensa vitae benedictionem*. Tum dat osculum Sacerdoti ministranti, si quis est, aut

aliis dignioribus, qui se invicem osculantur: mox Diaconum, qui reliquis Ordinis Ecclesiastici dat pacem, a quibus Laïci illam accipiunt. Causam et significationes illius instituti explicat Dionysius Barsalibi in Commentario, ut alii Rituum Expositores, quorum eadem est cum Graecis et Latinis sententia; scilicet ut excludatur odium adversus fratres, *μνησικακία* sive injuriarum memoria, hypocrisis, qualis Judae Christum osculo prodentis fuit, et similes affectus, qui cum Christiana caritate subsistere non possunt.

Caritas Dei Patris, etc. *Ib. l. 23.*

Solennis est haec apud Orientales benedictio, cujus antiquitatem in Liturgia Syriaca, confirmat Syrus Theodoretus in Epistola ad Joannem Oeconomum, dicens simul: *illam esse divinae Liturgiae Prooemium.* In Graeca Jacobi. *Ἡ ἀγάπη τοῦ κυρίου καὶ πατρός, ἡ χάρις τοῦ υἱοῦ καὶ Θεοῦ, καὶ ἡ κοινωνία καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἴη μετὰ πάντων ἡμῶν. Caritas Domini et patris, Gratia filii et Dei, et communicatio donumque Spiritus sancti sit cum omnibus nobis.* In Codice Florentino ita legitur haec formula. *Caritas Dei et Patris: et gratia unigeniti filii Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.* Respondet populus, *Et cum Spiritu tuo.* Ad hunc locum ita scribit Barsalibi. *Cum dicit Sacerdos*, Caritas Patris, *significat quod Deus ex puro amore, filium suum pro nobis morti tradiderit, ut ait Paulus.* Gratia unigeniti Filii, *significat quod ipse filius, gratia sua et voluntate, gustavit mortem pro omnibus hominibus, eademque gratia fecit nos esse filios Patris sui. Ista autem* communicatio et illapsus Spiritus sancti, *designat quod per illapsum Spiritus sancti perficiuntur sacrificia, et oblationes suscipiuntur.* Itaque ex istis illius verbis apparet, legisse illum haec verba, aliter quam in multis codicibus leguntur. In Jacobi Liturgia breviori, quam ordinavit Gregorius Catholicus, observari non potest si qua fuerit lectionis diversitas, cum prima tantum vox *Caritas,* adscribatur, quod videmus quoque factum in Syriacis Liturgiis prope omnibus.

Benedictio prima per orationem *Caritas Patris etc.*

In Liturgia Nestorii, quae tertia est earum quibus Nestoriani utuntur, haec benedictio his verbis concepta est. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus, nunc et semper et in saecula saeculorum.* Respondeturque. *Amen.* Eodem modo legitur in Liturgiis Graecis Basilii et Chrysostomi: atque id factum esse verisimile est, quia Constantinopoli usurpatam Liturgiam, multis in locis secuti sunt discipuli Nestorii, qui Cathedram illam tenuerat. Discrimen porro non videtur momenti alicujus, nec in ipsa forma, nec in responsione *τοῦ Amen* quae Nestorianis propria est. Graeci enim et Coptitae dicunt. *Et cum spiritu tuo.* Responderi *Amen,* non probat Barsalibi, *praesertim,* inquit, *si ad singulas partes interponatur, ut alicubi fieri solebat.* Addit esse aliquos Sacerdotes qui adjiciant haec verba, *Unigeniti filii Dei magni, et Salvatoris*

nostri Jesu Christi, quae reprehendenda non videntur: praestare tamen ut antiqua lectio observetur, qualem eam exhibent Jacobus Edessenus, Moses Mosulensis, et optimi codices. Monet idem Barsalibi Sacerdotem cum hanc benedictionem pronunciat, populum ter cruce signare, quod in aliis quoque Ecclesiis observatur.

Ib. l. 26.

Sursum corda, etc.

Sursum corda.

Ista formula omnibus toto orbe Ecclesiis communis est, et semper fuit, ut testimonia plurima sanctorum Patrum palam faciunt, quae a viris doctissimis dudum annotata sunt. In Syriacis codicibus integra legitur sicut in aliis Liturgiis: in Graeca haec tantum Ἄνω σχῶμεν τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας. Ἄξιον καὶ δίκαιον. *Sursum habeamus mentem et corda. Dignum et justum est.* Defectum esse in Graeco Codice, suspicio vehemens est, cum omnes alii in communem lectionem consentiant. Singulare est, quod partes illius formulae, Nestoriani per paraphrasin aliquibus vocibus auxerunt, contra reliquorum Christianorum consuetudinem: quamvis simile quidpiam occurrit in paucis Syriacis Liturgiis.

Ib. l. 29.

Dignum et justum est.

Praefatio.

Haec oratio respondet Praefationi nostrae, quae ut olim multas diversasque formas habuit, ita quoque Orientales, maxime vero in Syriacis Liturgiis. Singulae quippe proprias habent, quarum aliquae breviores sunt: prolixiores aliae. Omnium tamen una est sententia, nempe ut laudetur Deus ab infinitis suis in humanum genus beneficiis, creatione, conservatione post Adami peccatum, institutione per Legem et Prophetas: missione filii ad salutem totius mundi, ejusdem in terris dispensatione, passione, morte, resurrectione, praedicatione Evangelii per Apostolos, et Ecclesiae fundatione. Unde laudatur ab Angelis est coelesti omni militia, qua occasione saepe de illis multa dicuntur, terminaturque Oratio per hymnum triumphalem, *Sanctus*. Talis est Praefationum omnium Graecarum et Orientalium dispositio, absque ullo, praeterquam ex verborum copia, discrimine, et quod omnes gratiarum actionem continent, et in hymnum triumphalem desinunt, Latinis ea in parte similes sunt. At istorum alia omnino ratio est. Patet enim ex ipso Missali veteri Gregoriano, singulares Praefationes, non modo festis praecipuis, tum memoriis sanctorum celebrandis, sed Dominicis singulis, aliisque diebus fuisse destinatas, in quibus de mysteriis ipsis, quae ritu solenni recolebantur, ut etiam de sanctorum actis nonnulla inserebantur, adeo ut quotidiana prope foret Praefationum mutatio. Tales quoque exhibet liber Sacramentorum antiquus Romanae Ecclesiae a Cardinale Thomasio editus, Gothicum Missale ab eodem publicatum, similes etiam et magis prolixas habet sub hoc titulo: *Im-*

P. 263. 267. 270. 274. 276. 279.

molatio Missae. Prima est ad Vigiliam Natalis Domini: altera in ipsa die: una de sancto Stephano, quae vocantur *Contestatio Missae:* aliae in Missa SS. Apostolorum Jacobi et Joannis, SS. Infantum: Circumcisionis, et plures aliae. Pares repraesentat Missale Francorum simul editum, ut et Gallicanum vetustissimum, ubi *Contestatio* quoque et *Immolatio* appellantur. In illis enim Officiis, Praefatio aliud omnino significat, nempe Orationem quae aliis praemitti solet: qua significatione ita apud nos appellatur ea, quae incipit *Vere dignum et justum est.* Ita quoque, ut alibi monuimus, illae quae vocantur apud Syros *Prooemia,* cum Praefatione commune nihil habent. Ex hac igitur comparatione satis intelligi potest innoxia orationum diversitas inter Orientales et Occidentales: ut etiam inter Graecas et inter varias ejusdem ritus et Ecclesiae, neque novitatis, neque suppositionis dare indicium: cum in ipsa Latina insignis illarum diversitas, nullam aliquando vel levissimae contentionis causam praebuerit. *P. 418. 419.* *P. 434. 438. 439.*

In Praefatione multa inseruntur de Angelis.

Ut autem conjungatur oratio cum hymno triumphali, quem Seraphim canebant alter ad alterum, de Angelis saepe multa paraphrastice adjiciuntur, ita tamen ut a vulgari novem Ordinum coelestis exercitus, Theologia non recedatur. Illam enim Jacobitae didicerunt ex Dionysio adscriptis libris, quos non modo legitimos arbitrantur, quae omnium Theologorum ante proxime elapsum saeculum communis opinio fuit: sed primi in Disputatione adversus Orthodoxos anno DXXXIV. Constantinopoli habita, ad testimonium protulerunt. Jam dudum porro de illis consentiunt Graeci, Syrique, Orthodoxi, Nestoriani et Jacobitae. In aliis tamen locis aliquando loquuntur aliter, et passim *Vigilum* Angelorum, de quorum uno Daniel locutus est, ordinem statuunt. De illis crudite nonnulla observavit V. C. Joannes Morinus notis in Ordinationes Syrorum, et nos alia quaedam de Angelis, Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam.

Hoc est corpus meum, etc. *P. 31. l. 32.*

Ritus pronunciationis verborum Christi Sacramentalium.

Quae praecesserunt explicatione non indigent, cum hymno triumphali quem populus canit, dicto, Sacerdos secreto, primam orationem pronunciet: tum alteram, in qua commemorat Christi beneficia et salutarem ejus dispensationem, tandemque ubi pervenit ad memoriam faciendam institutae Eucharistiae, elevat vocem, ita ut populus audiat sacra verba, quibus fides ejus excitetur.

In Ritu Alexandrino interjiciuntur acclamationes et professiones fidei de hoc mysterio, sive per *Amen,* sive per explicatiorem confessionem, de quibus dictum est in notis ad illum locum. In Graeco, praesertim recentiori, qualis viget ab annis plusquam sexcentis: caeremoniae aliquot adjiciuntur, pietatem sane et fidem de veritate corporis et sanguinis Christi in Sacramento significantes, sed quae antiquitus observatae fuisse non videntur: de quibus accurate Goarius. *Asterem,* nempe sive Asteriscum qui disco imponitur elevat Sacerdos, *Euchol. p. 136.*

Diaconus *ῥιπίδιον* sive flabellum movet super sacram mensam, et discum Sacerdoti, manu porrecta designat. Haec et similia, non occurrunt in Syrorum Liturgiis, et maxima est, vetustatique proxima haec disciplinae simplicitas. Asterem non habent: quanquam in Monte Libano usum illius fuisse testetur Dandinus: sed in Codicibus nostris plurimis ne quidem nomen ejus occurrit: *Ῥιπίδια* seu *flabella* apud eos in usu esse testantur picturae Codicis Florentini, quae Ordinationes repraesentant: an vero ad Liturgiam usurpata fuerint, non liquet.

Sacerdos igitur post pronunciatam secreto primam orationem, quae incipit, *Sanctus es vere*, elevans vocem dicit. *Cum ergo susceperus esset mortem, etc.* quae respondent nostro *Qui pridie quam pateretur;* pronunciat eodem tono verba Christi sacramentalia: simulque accipiens Oblatam in manibus, eam ter cruce signat, ad haec verba *benedixit, sanctificavit, fregit,* ut Alexandrini et Nestoriani Rituales praescribunt: cum Graeci benedicant ter, sed antequam pronuncientur verba Evangelica.

Forma verborum mutata in Missali edito.

Observandum porro est in Missali Chaldaico Romae edito, formam verborum illorum penitus immutatam, eo consilio ut Latinae responderet, quod tamen ab illis qui editioni praefuerunt praestitum non fuit. Nam verba Syriaca ab illis substituta eorum loco, quae leguntur in Mss. exemplaribus, significant. *Hoc est autem corpus meum:* cum particula *enim,* si illam necessariam existimabant, supprimenda non fuerit, et *γὰρ* Graecum in Syriacam linguam migraverit. Immutationem porro istam nullo Ecclesiae judicio nullo Romanorum Pontificum decreto factam esse constat, sed privatorum hominum opinionibus, qui eamdem in Codices Graecos aliquot, ut Cryptaferratensem Goario teste, induxerunt. At Syriaci Codices omnes eam formam repraesentant, quae Graecis Jacobi, Marci, Basilii, aut Chrysostomi Liturgiis proxima est, licet insit quaedam lectionis varietas. Vetus Codex, quem interpretando secuti sumus, ita habet. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Ita Codex Florentinus, et alii plerique. Extat in Colbertina Bibliotheca Codex antiquus in membrana scriptus, in quo verba Christi ita referuntur. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vos autem et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.* Sed quantacumque sit codicis illius autoritas, aliorum longe potior est, cum Graecam formulam accuratius exprimant *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, καὶ διδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Quod pro vobis frangitur, et datur in remissionem peccatorum.* Et sane vix ulla Liturgia est, cujuscumque ritus Graeci vel Orientalis, quae *κλώμενον* istud non habeat, quod, ut interpretes illarum loquuntur, *κλάσις* illa, seu *fractio*, panis Eucharistici, corporis veri in quo Christus passus est, cruciatus, per flagella et crucem significat, veramque de Eucharistia fidem exprimit accuratius; nempe panem quem frangimus, communicationem corporis Christi esse, ut Paulus Apostolus loquitur, hoc est ut ubique profitentur, ipsum illius corpus natum ex Maria Virgine, in quo passus est. Illius enim lectionis ad confirmandam Orthodoxam de Eucharistia fidem vis eadem est, ac illius quam vexare Beza aggressus est, in Notis ad Evan-

gelii Lucae cap. 22. v. 20. *τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hic calix novum testamentum est, in meo sanguine; qui* (calix) *pro nobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ea verba ad calicem referri manifestum est, neque id negare Beza potuit, sed soloecophanes vult esse, ut ad sanguinem referatur, aut emendari sacrum Codicem, contra exemplarium omnium fidem: tanta est scripturariorum illorum religio. At vero, ut de Latinis Graecisque Theologis taceamus, qui haec verba ad calicem referunt, Orientales rituum Interpretes, effusionem calicis, qua adumbretur et repraesentetur quodammodo effusio sanguinis Christi, significari testantur. Unde monent Gabriel Alexandrinus Patriarcha et alii, ut *eo loco Sacerdos calicem leviter inclinet, ad effusionem sanguinis Christi significandam.* Itaque ex illorum sententia, corpus Christi quod in Sacramento frangitur, est panis, mox futurus corpus Christi: Sanguis novi Testamenti qui effunditur, vinum est calici infusum, mox convertendum in sanguinem Christi. Qui igitur verba ista *τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον*, aut ut aliis in Liturgiis habetur *θρυπτόμενον*, tollenda sunt arbitrati, non modo hodiernos Christianos Orientales, sed totam Ecclesiam Orientalem et Occidentalem condemnant, quae illis usa est, autore Paulo Apostolo qui eadem refert, et Corinthiis inculcat. Nam qui ea forma verborum non utebantur Latini, Graecis crimen non impegerunt, etiam cum nihil prope in disciplina eorum, rigidi censores intactum praeterirent.

Sequitur forma benedicendi calicis, quam similiter immutavit editio Romana Missalis Chaldaici, ut Latinae formulae syllabatim responderet, adjectis illis verbis, *Mysterium fidei,* quae non modo in Graecis aut Orientalibus ullis Liturgiis non habentur, sed neque in Missa Mosarabica et Ambrosiana. Lectio quam expressimus confirmatur autoritate Mss. Codicum qui illud *ἔδωκεν ἡμῖν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς. Dedit nobis discipulis suis,* quod legitur in Graeco textu, non agnoscunt. Verba autem illa, ad majorem Liturgiae Hierosolymitanae dignitatem comparandam, ex Constitutionibus Clementinis translata esse verisimile videtur; factumque id serius intelligitur, cum Syriaci Codices simile nihil contineant. Forma benedicendi calicis.

Codices Aegyptiaci, quod alibi notatum est, ut etiam Nestoriani adjiciunt *Gustavit:* et quamvis Syri Jacobitae in suis, vulgo illa verba non agnoscant, nec enim extant nisi in Liturgia Dioscori Gordiacensis, et paucis aliis, tamen Christum edisse et bibisse ex corpore et sanguine suo affirmant Orientales. Videnda quae retulimus ex Barsalibio et aliis, Commentario ad Basilii Liturgiam. *P. 215.*

Verba Christi sacramentalia, uno tenore pronuntiantur a Sacerdote celebrante, nec in antiquis Codicibus aut recentioribus bonae notae, diffinditur illorum recitatio per *Amen,* aut per Confessionem fidei, sicut in Copticis Liturgiis. Tantum post ultima quae super calicem dicenda sunt, populus dicit *Amen*, ut in Graeca Liturgia Jacobi, et aliis ejusdem linguae.

Elevationis Eucharistiae hoc loco mentio nulla est, cum ritu Orientali non fiat, nisi cum dicitur, *Sancta sanctis*, paulo ante Communionem, ut ob- Elevatio hoc loco non fit in Oriente.

Rer. Lit. l. 2. c. 13. servatum recte a doctissimo Cardinale Bona: neque quidquam circa hanc disciplinam mutatum est in Romana editione. Si quis incidat in aliquot recentissimos Codices, quales nonnullos vidimus in quibus elevatio Eucharistiae verbis Christi subjiciatur, sciat interpolatos illos fuisse ab Orientalibus, praesertim advenis, dum Orthodoxi haberi volunt, quamvis errores suos plerumque retineant: aut si ex animo illos deposuerint, cum imperitissimi sint, ex aliqua vulgaris Theologiae scintilla, libros suos reformare aggrediuntur, temere prorsus et imperite. Ita unum vidimus quem Sacerdos quidam Mesopotamenus, qui ante biennium Lutetiae diem suum obiit, descripserat, quasi formam Syrorum Liturgiae contineret: cui addiderat ex Missali Romano multa, atque inter alia, elevationem Eucharistiae post pronunciata Christi verba, quae in Syria et toto Oriente locum alium habet. Itaque nulla fides adhibenda est ejusmodi libris, nisi aliunde constet illorum autoritas: et facile dignoscuntur.

De quibusdam Liturgiis quae hoc loco depravatae sunt.

Verum majoris omnino momenti quaestio se offert, eo magis tractanda, quod ad Syros proprie, eosque Jacobitas, non ad alios pertinet. Omnes siquidem Liturgiae Latinae, Graecae, tam Constantinopolitani ritus quam Alexandrini; Syriacae Orthodoxorum, Nestorianorum, et Jacobitarum, Aethiopicae, Armenicae, verba Christi, *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei* repraesentant, quia scilicet, ut loquuntur, illorum Theologi, Sacerdotes pronunciare debent ea verba quae Christus pronunciavit, et illis fundata est Eucharistiae certa fides. Laudant quoque celebre Joannis Chrysostomi testimonium de verborum illorum efficacia, et ut alibi fusius probavimus, praecipuam consecrandi vim in illis agnoscunt. Occurrunt tamen in Mss. Codicibus Liturgiae aliquot, in quibus desiderantur. Prima est quae Petri Principis Apostolorum dicitur, quo titulo extat una in Missali Chaldaico, sed cum insigni diversitate. Ea autem verba ita habent Mss. Codices. *Cum vellet porro gustare mortem pro nobis, et Pascha inter vesperas celebrare, accepit panem super manus suas, benedixit, sanctificavit, fregit, deditque turbae Apostolorum sanctorum, et dixit:* accipite, manducate in remissionem peccatorum, et vitam aeternam Amen. *Similiter calicem miscens vino et aqua, benedixit, sanctificavit, et dixit eis:* Accipite, bibite ex eo vos omnes ad veniam delictorum, et vitam aeternam Amen. Longius multo a vera lectione absunt aliae duae Liturgiae, quarum una Xysti Papae dicitur: altera Dionysii Metropolitae Amideni, illius qui cognominatus est Barsalibi, cujus saepe testimoniis utimur. In illa scilicet ita legitur. *Cum vero Passioni proximus esset, in pane, qui ab ipso benedictus, sanctificatus, fractus et divisus Apostolis sanctis fuit, corpus suum vivificum dedit nobis ad vitam aeternam. Amen. Similiter et in calice, qui ab illo signatus, benedictus, et datus Apostolis sanctis fuit, sanguinem suum propitiatorium dedit nobis ad vitam aeternam. Amen.* In ista Barsalibio inscripta. *Et cum ad Passionem se praeparet, panem quem accepit in manus suas, benedixit, sanctificavit, fregit, et corpus suum sanctum vocavit, ad vitam aeternam suscipientium.* Amen. *Et calicem cum miscuisset; sanguinem suum pretiosum perfecit, ad vitam aeternam.* Amen.

Habuerat a Fausto Nairono Ricardus Simon, excerpta istarum Liturgiarum, et illarum mentionem fecit in Notis ad Itinerarium Montis Libani a se Gallice conversum. Nodum vero qui sane intricatus est, non tam solvit, quam scidit in hunc modum. Orientales in eadem cum Graecis recentioribus opinione esse supponit, circa consecrationis formam, cujus, inquit, effectum non tam verbis dominicis, quam Invocationi sancti Spiritus, Graeci tribuunt. Inde factum suspicatur, ut verba quae ad efficiendam consecrationem existimarent non esse necessaria, praetermitterent: atque novum inde argumentum nasci judicat de solius Invocationis Spiritus sancti ad consecrandum efficacia. Verum in dubiis, qualis sane illa quaestio est, maximo testium inter se consentientium numero, fidem potiorem, quam duobus aut tribus adhibendam, juris certa regula est. Omnes porro Graecae Liturgiae, non minus quam Latinae; Coptitarum sex, Aethiopum duodecim, Nestorianorum tres, Syrorum plusquam triginta, verba Christi integra repraesentant: ex illis igitur, non ex tribus singularibus, quarum usus rarissimus est, vera lectio peti debet. Opinio R. Simonis.

Itaque non temere, sed maximis rationum momentis affirmare non dubitamus, tres illas Liturgias corruptas esse, non tam certo consilio, quam librariorum culpa, cujus conjecturae rationes multae sunt, haud equidem contemnendae. Statim vero neminem non moveat reliquorum omnium Codicum contra novitatem illam consensus, quae sane si in opinione illa, quam depravatae lectionis fontem esse existimat, fundata fuisset, reperiretur in aliquibus aliis, qui tamen vetusti non fuissent, quandoquidem illa circa consecrationis verba, contentio, saeculo decimo quarto et decimo quinto non est antiquior. Neque Jacobitae Syri a Graecis imbibere illam potuerunt, cum quibus nulla a Calchedonensis Concilii tempore habuerunt commercia. Natam vero in Jacobiticae Ecclesiae Syriacae sinu, suspicari, id quidem divinare est, cum ne obscurum quidem innovationis in ea parte doctrinae, appareat vestigium. Refellitur ex aliis Liturgiis.

Quod autem supponit autor idem, Graecos verba Christi ad consecrationem necessaria non existimare, ab eo vehementissime dissentient, quicumque Cabasilae Expositionem Liturgiae, aut Marci Ephesii opusculum legerunt, cujus solo titulo conjectura ejus evertitur. Is enim est, quod *non solis verbis dominicis Eucharistia consecratur*. Qui vero id affirmat, verba Christi necessaria esse non negat: neque inter Graecos recentiores qui simile quidquam scripserit, ullus reperietur. Imo contrariam prorsus opinionem tuetur Gregorius Protosyncellus in Epitome mysteriorum Graeco-Barbara, quam duce et magistro Georgio Coressio composuit, et Venetiis edendam curavit. Plura de ea quaestione non dicentur, quod alibi fusius a nobis exposita sit. Bessarion, Joannes de Turrecremata, et alii similes, Graecis haec affingere potuerunt, sed per summam calumniam. Graeci non existimant verba Christi non esse necessaria.

Itaque frustra inde quaeritur origo absurdissimae novitatis, quae tamen si vere apud Graecos ortum habuisset, qua ratione tandem ad paucos, non ad omnes Jacobitas pervenisset, quos peste qua non laborabant, Graeci afflare non poterant, qui nullam cum illis haberent communionem? Gratis igitur haec dicta sunt, absque ulla Orientalium de quorum rebus agitur autoritate, Multo minus Jacobitae.

cum praesertim omnes veritatem fidei de Eucharistia, fundatam in verbis Christi esse testentur, atque inter alios praecipuus Dionysius Barsalibi. Illius verba haec sunt, in Commentario ad istum Liturgiae locum. *Hic recitat Sacerdos narrationem mysticam, agitque memoriam sacrificii illius, quod sacerdotaliter perfecit Dominus noster in coenaculo, vespera qua traditurus erat se ipsum pro nobis. Postquam enim Pascha legale perfecisset, Episcopi officio functus est, ministeriumque hoc Apostolis suis commendavit. Accipiens nempe panem in manus suas sanctas, significavit se ipsum esse qui assumpsit carnem animatam ex Maria Virgine. Cum autem benedixit, significavit se abstulisse maledictionem transgressionis praecepti, a nostro genere. Cum deinde fregit, in mysterio significavit nobis passionem suam, crucifixionem, et occisionem suam, transfixionem lanceae: denique mortem suam. Cum fregit, signum fuit quod seipsum immolavit et divisit: quodque ab eo fluxit peccatorum remissio. Et dedit illis, qua ratione significavit ab eo illud donum esse. Tum Sacerdos ter cruce oblatam signat, cum dicit,* Gratias egit, *quod etiam facit deinde ad calicem, dicitque verba ipsa quae dixit Dominus noster in coenaculo, cum illud mysterium perficeret, ut notum faciat, illum ipsum* (Christum) *esse, qui fruges nunc in altari positas, sanctificat per voluntatem Patris sui, et operationem Spiritus sancti: per Sacerdotem qui cruces format, et verba pronunciat. Nec enim qui ministrat, sed qui invocatur, ipse est qui sanctificat.* Hoc testimonio certissime demonstratur, Barsalibium de necessitate verborum Christi non aliter sensisse, quam alios omnes Theologos, atque adeo ipsum eadem tanquam inutilia in Liturgia sua suppressisse, nemo facile existimabit. Ejus tamen nomen praefert una ex interpolatis illis Liturgiis.

Defectus ex librariorum negligentia est.

Ita igitur statuendum videtur, defectum qui in illis observatur librariorum potius vitio, quam per aliam causam irrepsisse. Sunt enim codices multi qui formulas compendiose contrahant, et magnam illarum partem omittant, quae aliunde petenda sunt. In prima igitur, quae Petri dicitur, minimum difficultatis est: nam, *Accipite, manducate,* primas formulae voces repraesentat: jungantur quae sequi solent: *Hoc est enim corpus meum quod pro vobis frangitur et pro multis datur,* quae sequuntur verba, *in remissionem peccatorum*, perfectam et reliquis conformem sententiam efficiunt. Ita quoque in calicis benedicendi formula observari potest. Locus ergo vacuus, cum sequenti male conjunctus fuit: fortasse ut minio scriberetur, quanquam hoc in vetustis exemplaribus rarum sit: aut verba ex religione, sed non secundum scientiam praetermissa, librariis errandi occasionem obtulerunt.

In quibusdam tamen omissa videntur verba ex certo proposito.

In duabus alteris plus obscuritatis est: neque tamen illis accommodari non potest superior observatio. Sunt enim Liturgiae aliquot quae particulam ex Evangeliis, quam *mysticam narrationem* vocat Barsalibi, pluribus verbis amplificant, quod in duabus istis factum est. Nihilo minus tamen Christi sacramentalia verba referunt, aut supplentur a Sacerdotibus. De illis igitur quarum autoritas reliquarum autoritati comparari non potest, nec debet, haec maxime verisimilis conjectura est, cum in summa ignorantia contingere postmodum facile fuerit, ut eam partem tanquam integram librarii describerent,

et Sacerdotes aeque imperiti, illis codicibus uterentur. Testatur enim Dandinus quosdam Missales libros a se repertos cum ejusmodi vitio, qua occasione Interpres notas adjecit in quibus excerpta ex tribus illis Liturgiis inseruit. At Maronitarum libri illi non erant, sed Jacobitarum, ut alibi monuimus. *Voyage du Mont Liban, p. 140. pag. 340.*

Quod vero idem adjunxit conjectatum fuisse Naironum Liturgias illas *τῶν προηγιασμένων*, sive *Praesanctificatorum* esse, merito id improbavit, quamvis Liturgias ipsas non vidisset. Nos qui illarum exemplaria plura vidimus, certo affirmare possumus, nihil hac conjectura esse inanius. Nam tota Officii Eucharistici series, vel *ἀκολουθία* ut eam quoque Syri vocant, nempe ab osculo pacis usque ad communionem, illis Liturgiis continetur. Sed Naironus talis non erat, ut istarum rerum idoneus judex haberi posset. Neque magis vera commentatoris opinio, dum interpolationem illam referri voluit ad doctrinam Orientalibus incognitam, nisi eruditulis illis qui eam in Latinis Theologiae subselliis didicerunt. Id etiam obiter notabimus: quamvis in Oriente Praesanctificatorum Missa celebretur Graeco more, atque ita frequentius longe quam in Latina Ecclesia, ubi usus illius semel tantum fit in anno, Feria VI. majoris hebdomadae, singulare tamen illius Officium a nobis huc usque, nec in Syrorum, nec in Coptitarum codicibus repertum est. In Graeca quidem Alexandrina Basilii, occurrit oratio quae ex titulo dicitur excerpta *ex Missa Praesanctificatorum D. Marci.* Illa tamen Missa non reperitur in Codice Regio Graeco-Arabico, nec in Copticis: apud Syros in tanto Liturgiarum numero nulla similis. Naironi conjectura refellitur.

Tandem ut huic nostrae Observationi finis imponatur, quod affirmat idem Autor, Liturgiam Orientalem esse nullam, quae Invocationem Spiritus sancti subjunctam verbis Dominicis non habeat, haud plane verum est. Nam Nestorianorum primaria, quae sanctorum Apostolorum dicitur, illam non habet, sed similem, ante quam sacra verba pronuncientur. Quod etiam illa per narrationis modum *διηγηματικῶς*, ut Graeci dicunt pronuncientur, non idcirco Graeci, multo minus Syri, et alii Orientales virtute consecrandi elementa panis et vini illa spoliant, ut Autori judicatum est. Quippe sacram orationem sive praecipuam illam Liturgiae partem, ita dividunt, ut altera sit *διηγηματική*, *narratio*, scilicet, *Evangelica*, ut loquitur Barsalibi; altera *ἐνεργητική* seu efficax aut *τελεστική* sive consecratoria, quam dotem et vim prior non habeat. Verum id volunt Graeci, etiam Latinis hac in quaestione oppositi, necessariam esse narrationem ex Evangelio, eorum quae Christus in ultima Coena Eucharistiam instituens fecit et dixit, ita ut ipsa verba ab eo pronunciata, Sacerdos pronunciet, qua ratione facit quod Christus fecit, verba profert, quae ipse protulit. Illo sensu *διήγησις* sive narratio est, cum res tunc gesta, non aliter quam narratione explicari possit. Cum vero a Sacerdote sacra celebrante, et personam Christi sustinente, ut passim loquuntur, necessario dicenda sint eadem verba, quod omnium Liturgiarum et Theologorum testimoniis manifestum est, inutilia ipsis videri non possunt: itaque vim efficacem in illis agnoscunt, quae nulla est, nisi ad consecrationem pertineat. *P. 316.*

An vero inchoata illa sit, et Invocationem desideret, Orientalibus nunquam talis disquisitio in mentem venit: neque de illa olim, aut post Florentinum Concilium, quidquam audierunt, nam ad eos non pertinebat. Ipsi Graeci, si illos potius audiamus, quam illorum accusatores, non tam Orthodoxam de verbis consecratoriis doctrinam impugnabant, quam quorumdam Theologorum Latinorum sententias duas. Una erat, quod solis istis verbis *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* consecratio ita perficeretur, ut a quocumque Sacerdote prolata, effectum haberent, etiam extra Liturgiam: altera quod preces Ecclesiae quibus illa constat, piae quidem forent, sed nihil ad consecrationem conferrent. Haec Graeci traditionis et autoritatis veterum Patrum observantissimi, admittere recusabant: Syri et alii ignorabant, et ignorant etiamnum, neque impingenda illis erant, quae nunquam cogitaverunt. Satius omnino Dandini interpres conjecturae nostrae quam obiter tangit, animum adjiciendo, omissionem librariorum culpa factam agnovisset, sed Mss. Codices nullos viderat, quos in ore tamen semper habebat. Quae ad totius quaestionis explicationem pertinent, partim exposita sunt ad Basilii Copticam Liturgiam, et alibi fusius explicabuntur.

P. 32. l. 11. *Mortis tuae Domine memoriam agimus, etc.*

In Graeca Jacobi Liturgia post ultima Christi verba *donec veniam, Διάκονοι λέγουσι! Πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν. Credimus et confitemur;* Quod Diaconis haec Confessio tribuitur, non est secundum ritum Orientalis Ecclesiae, in qua unus vulgo Diaconus ministrat, et verba facit. In Copticis exemplaribus acclamatio illa praescribitur, sed a populo dicenda, non a Diaconis. De ea dictum est in Commentario ad Basilianam Liturgiam. Significationem duplicem, ut illic observavimus, acclamatio illa habere potest: unam fidei de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia: alteram de veritate totius narrationis Evangelicae, quam a Sacerdote populus audiit: in qua prior quoque continetur. Itaque inter Liturgias, Theologosve, contrarietas nulla censeri debet, quod in illis simpliciter *Credo,* aut *Credimus,* ut in Graeco exemplari legitur: in aliquibus, ut in Aethiopica, *Credimus vere hoc esse corpus tuum: hic est vere sanguis tuus:* in Theologorum scriptis quoque haec Confessio fidei, de tota Evangelica narratione explicetur, ab aliquibus: ab aliis de veritate corporis et sanguinis Christi Domini. In Syriacis Codicibus nihil legitur, praeter communem omnibus Liturgiis formulam. *τὸν θάνατόν σου κύριε καταγγέλλομεν, καὶ τὴν ἀνάστασίν σου ὁμολογοῦμεν. Mortem tuam Domine annunciamus, et resurrectionem tuam confitemur,* quae Graece a Coptitis dicitur: quibus nonnulla de mysteriis *τῆς ἐναρχου οἰκονομίας* addi nonnunquam solent. Nec aliam Confessionem repraesentant Codices Maronitis proprii, etsi istorum Syrorum maxime intererat illam non omittere, si eam habuissent. Valet enim non mediocriter, ad diluendam nimis vulgarem opinionem, quod Orientales verbis Christi, ad consecrationem, vim nullam aut modicam attribuant.

P. 213. et seq.

Diaconus. ***Quam terribilis est haec hora, etc.*** *P. 32. l. 32.*

Formula haec hortationis Diaconi ad circumstantes, paulo ante quam pronuncietur Invocatio Spiritus sancti, Syris propria est, neque in tanto Liturgiarum numero vel una reperitur, in qua primis vocibus non designata sit. Est autem quaedam Praefatio ad ipsam Invocationem, cum qua conjunctionem habet necessariam, praecipuumque continet fidei de vera et reali elementorum transmutatione argumentum. Horam enim momentumque temporis determinat, quo consecratio perficitur, vel saltem perfecta et consummata declaratur: modum quoque quo perficitur, nempe adveniente et illabente Spiritu sancto, hoc est per miraculum, et quidem maximum, quod comparatur illapsui ejusdem, in sanctam Virginem ad Incarnationis mysterium: in Christum, cum in Jordane baptisatus est a Joanne: ut super Apostolos in coenaculo Sion. Ita jubentur Christiani, hortante Diacono, credere mox fieri tantum miraculum, quantum humana mente concipi nequit: fieri in altari, et in donis super illud propositis: attentique esse ad mysterii consummationem, quod in Liturgiis Graecis vulgaribus et illis quae sunt Ritus Alexandrini, paucioribus verbis dicitur. *Πρόσχωμεν Θεῷ μετὰ φόβου. Attendamus Deo cum timore,* et in Nestorianis, *Cum timore et silentio attendamus.* Monet ergo circumstantes Diaconus, ut ad omnia quae mox a Sacerdote Spiritum sanctum invocante audituri sunt, animum adjiciant: credant illa fieri quae a Deo postulat: nempe per adventum, et illapsum seu operationem immediatam Spiritus sancti, panem fieri corpus ipsum Christi Domini, vinum ejusdem sanguinem: non per fidem suscipientium, quibus non nisi post satis longas preces et caeremonias, praebetur Sacramentum. Ex ea fide, proclamante pariter Diacono, statim testantur videre se oculis fidei, Christum immolatum super altare, sanguinem ejus in calice, quod acclamationibus credere se populus testatur.

Recte igitur in Libro Ministerii Diaconici servata est haec oratio absque ulla mutatione. Sed parum attenderunt Maronitae editionis curatores, eamdem, Invocationi ad quam refertur, et quae omnino interpolata est, non respondere. Quippe monet Diaconus hac ipsa hora advenire Spiritum sanctum super dona proposita, et ea sanctificare, efficereque Christi corpus et sanguinem. At Sacerdos in oratione, prout legitur in Missali Chaldaico illum invocat, non ut haec fiant, sed ut corpus et sanguis Christi prosint suscipientibus, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam. Neque est quod doctrinae Catholicae impugnatores se torqueant cum Salmasio, qui contra lectionem Codicis Coptici Liturgiae sancti Gregorii, illapsum sancti Spiritus ad fideles retulit, ut scilicet per illum sanctificati, Oblationes sacras per fidem converterent in corpus et sanguinem Christi. Illam *παρερμηνείαν* suo loco discussimus, ejusque futilitatem demonstravimus: neque illa potest ullatenus formae Invocationis Syriaci ritus accommodari. Potuerunt qui Editioni Romanae praefuerunt emendationis suae causas habere quas perspicere facile

est: sed illae ad Jacobitas germanissimos, quales fuerunt illi quorum Liturgias interpretamur, nequaquam pertinent: qui si in aliquo errore versantur, dum Orationem ipsam simpliciter pronunciant, et secundum significationem verborum vulgarem intelligunt, saltem is error verae transmutationis fidem non attingit: cum eamdem et Diaconi monitio, et sequens Invocatio, invictissime demonstrent.

Ib. l. 38.

Invocatio Spiritus sancti.

Invocationis forma Graecae similis.

De illa oratione fusius dictum est Commentario ad Basilianam Liturgiam: hic ea tantum exponemus, quae ad istam Syris communem illius formam proprie pertinent. Porro ut intuenti utramque statim apparet, ex Graeco exemplari prima orationis pars prope ad verbum translata est. Deinde *Ἵνα ἐπιφοιτήσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ, ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου. Ut adveniens sancta bona et gloriosa sua praesentia, sanctificet, et faciat, panem quidem istum, corpus sanctum Christi tui.* Syri vero addiderunt, *corpus rivificum, salutare, coeleste, animabus et corporibus salutem praestans.* Haec verba pietatis et religionis plena sunt, sed ab antiqua Graecarum Liturgiarum simplicitate recedunt aliquatenus, additaque videntur a Jacobitis, ad explicandam magis humanae cum divina naturae unionem, secundum Cyrilli doctrinam, qua saepius abutuntur, non tamen hoc loco. In plerisque Syriacis Liturgiis amplificatur oratio eodem modo, tam de Spiritu sancto, quam de Christi corpore.

Verba quibus exprimi solet.

Jam ut verba ipsa expendamus, statim occurrit vox Graeca *ἐπιφοιτῆσαν*, quae legitur pariter, in Liturgia Graeca Alexandrina secunda, et si alias Graecas comparamus, simpliciter significat idem quod *ἐλθεῖν* in Basilii Graeca, aut *ἐπελθεῖν venire* aut *supervenire*, quod idem est. Syri vocem illam, alia expresserunt, quae ad mysterium consecrationis explicandum, pleniorem praesentiae et operationis in dona proposita significationem offert. Ea est בר מאתן: quae, ad verbum significat *ἐπισκιάζον*, et voci Graecae respondet in vetustissima Versione Syriaca Lucae c. 1. §. 35. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ea voce frequenter utuntur Theologi Syri, ad significandum illapsum Spiritus sancti super B. Virginem, quando formavit ex ejus carne et sanguine, corpus in quo filius Dei propter salutem nostram, homo factus est. Neque frequentior apud eos comparatio est, ad significandam mirabilem elementorum transmutationem, quam illa ex mysterio Incarnationis ducta. Dicunt enim Spiritum sanctum super dona in altari proposita descendere, sicut super Virginem illapsus est, et ex pane et vino, per omnipotentem operationem suam, formare corpus filii Dei; ut illud ex carne et sanguine ejusdem Virginis formavit, in Incarnationis mysterio. Eodem Spiritu sancto operante, descendere de coelo filium Dei, unireque sibi panis et vini elementa, ut corpori in quo incarnatus est, unitus fuit. Ita Barsalibi, Anonymi aliquot,

Severus Aschmoninensis, Autor Homiliarum de Circulo anni, et alii complures, quorum alibi testimonia retulimus, de quorum Theologica mysterii expositione, quae Joanni Damasceno usurpata fuit, erit aliquando fusius dicendi locus. Sed significantius dici nihil posse, ad veritatem corporis Christi in Eucharistia praesentis stabiliendam negare nemo possit. Ex illa enim comparatione sequitur necessario dona proposita, per adventum Spiritus sancti, sive consecrationem: tam esse corpus Christi, quam illud ipsum quod assumsit ex Maria Virgine: formationem illius in altari, et inter Sacerdotum manus, aeque veram esse, ac illam quae in utero Virginis facta est: utramque per omnipotentem operationem factam esse: primam semel, alteram quotidie fieri credunt. Ut vero Angelus Virgini interroganti: quomodo fiet istud? ita quoque respondent de tanto miraculo dubitantibus, Orientales Theologi, Spiritum sanctum supervenire et mirabilem illam mutationem efficere, cum Deo nihil impossibile sit.

Sequitur Invocationis formula *ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον*, etc. *Sanctificet et faciat, etc.* In Syriaco Codice duplex lectio occurrit. Prima quam Romana editio repraesentat נחוא לראוא הנא *designet mysterium hoc*, Graece melius, *ἀναδείξῃ τοῦτο τὸ μυστήριον*, quae vox usurpatur in Liturgia Graeca Basilii, *καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ* (δῶρα) *καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον*, etc. Syri vocem illam ut multas alias Graecas rigidiuscule expresserunt, cumque *ἀναδεικνῦναι ostendere, demonstrare, designare* significet, ejusdem potestatis vocem usurpaverunt. At cum hoc loco *ἀναδεικνῦναι* idem esse ex Basilii Liturgia certum sit, ac *ἁγιάσαι*, et *εὐλογῆσαι*, et apud Autores antiquos eadem significatione, vox illa obvia sit, non est aliter intelligenda. Quod si dubitationi locus esset, dilueret eam penitus aliorum optimorum exemplarium lectio נעבד ללחמא הנא *faciat panem istum, etc.* quae extat in Codice Colbertino membranacco, in Florentino, et in multis aliis, et נשחלף *transmutet*, in aliquibus, ut Nestorii et Dioscori Gordyaei. Sed neque praetereundum videtur, Invocationis formam, qualis in Missali Chaldaico Romae edita est, integerrimam esse, cum reliquae omnes, eo quo alibi diximus modo, interpolatae sint. In Mss. Codicibus oratio illa, ut in ista Jacobi, Graecis, Copticis, Nestorianis, repraesentatur. Lectionis reformatae in Liturgiis editis ea sententia est, ut panem, qui est corpus Christi, faciat prodesse suscipientibus ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Orientalium de hac oratione sententia.

Quae ad illam quaestionem attinent, satis explicata sunt in Commentario ad Basilii Liturgiam, ut plura dicere necesse non sit, cum eadem sit apud Orientales omnes, ut Graecos etiam Orthodoxos, Invocationis forma, illiusque pronunciandae disciplina. In illa haeresin latere, semper ignoraverunt, neque de controversiis quae Florentiae de hoc argumento agitatae sunt, vel fama ad eos pervenit. Nulla Orientalium Liturgiarum tam recens est, quae multis annis, imo et saeculis non sit Cabasila, aut Marco Ephesio antiquior. Ut Graeci, Turrecrematae syllogismis traditionem Ecclesiae suae opposuerunt, nec alia defensione usi sunt, ita de Orientalibus dici potest, qui verba Christi esse inutilia, aut consecrandi vim nullam habere, nunquam cogitaverunt: In-

vocationem ita acceperunt, ut verborum significatio simplex postulabat, illud solummodo certum habentes, pronunciata illa Oratione, consummatam esse elementorum consecrationem. Quia vero de Syris agitur, operae pretium erit, hoc loco referre expositionem Dionysii Barsalibi, ex ipsius Commentario, cujus praecipua est inter illos autoritas.

Quomodo eam explicet Barsalibi.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti; Miserere mei Deus Pater, etc. *Hoc loco, in quo de Invocatione Spiritus sancti agitur, inquirendum nobis est, quare hic descendit Spiritus sanctus, super panem et vinum: quandoquidem enim filius descendit, et unitur illis personaliter, quare descendit Spiritus sanctus? Dicimus autem ob eamdem causam, illum descendere. Sicut enim descendit in uterum Mariae, juxta illa Angeli verba,* Spiritus sanctus superveniet in te, etc. *fecitque carnem ex Virgine acceptam, corpus Verbi Dei, eodem modo descendit super panem et vinum quae super altare sunt, facitque ea corpus et sanguinem Verbi Dei, assumta ex Virgine. Iterum dicimus: erga Virginem Mariam ita factum est: Pater voluit, ut incarnaretur Filius: Filius autem descendit in uterum Virginis, et ex ea incarnatus est: descendit etiam Spiritus sanctus ad Virginem sanctam, ut Filio, ex ea corpus formaret. Pari ratione, et istic in altari se res habet. Pater quidem vult, ut uniatur Filius personaliter pani et vino; atque eapropter deprecatur Sacerdos cum timore, clamore, et tacito cordis gemitu, apud Deum et Patrem, petitque ab illo, tanquam aeterno filii Spiritusque principio, a quo omne donum bonum descendit, ut mittat super se, et super omnem populum fidelem pone se stantem, et super Sacramenta in altari posita, Spiritum suum sanctum. Iterum. Oblata suscipit illapsum (ἐπιακίασιν) Spiritus sancti, ut etiam illum suscepit Filius in carne, tanquam primitiae, in Jordane flumine. Deprecatur quoque Sacerdos ut mittatur Spiritus super corpus et sanguinem, sicut in Virginem tunc illapsus est. Tum etiam per Invocationem Spiritus, mystice significat illud quod Gabriel cum stetit coram Virgine, conceptum illi sanctum suum annunciavit, unionem illam mysticam, quae intelligentiae captum superat: per quam cum illa potestate omnia sanctificante communionem habemus, animo a sensibus et a materia libero.*

Tum dicit Sacerdos. Exaudi me Domine et miserere mei. *Secundum Mosen Barcepha, Sacerdos dicit,* Kyrie eleison; *sive* Domine miserere mei, *quia sentit per fidem descendisse Spiritum sanctum, perfecisseque, et complevisse mysteria, cum clamore valido clamat ad Patrem,* Domine miserere nostri. *In Occidente porro et secundum noram traditionem, quae hodie obtinet, Sacerdos, ut supra diximus, Syriace dicit.* Exaudi me Domine et miserere mei, *elata voce, ita ut perveniat ad populum, dicantque similiter. Tunc omnes e populo dicunt ter,* Kyrie eleison, *aut* Miserere mei: *quod ter pronunciantes, persererantiam in deprecatione notam faciunt. Fuit etiam aliquando, cum Sacerdotes imperiti, hoc loco frontem manu feriebant, quasi de commissis quibusdam poenitentes, quod Moses Barcepha incongrue prorsus fieri dicit, quia dona spiritus tranquille dantur, et non cum strepitu. Tranquille enim et placide descendit Verbum Deus in Mariam, et ex ea incarnatus est, non cum*

strepitu et tumultu: ita etiam hic placide descendit, et unitur personaliter pani et vino quae sunt super altare.

Mox idem Theologus sic prosequitur. *Postquam autem Sacerdos invocavit Spiritum sanctum inclinatus, erigit se, et dicit,* Ut adveniens, etc. *Tuncque Oblatam ter cruce signat, ter quoque calicem: ut ita significet, Deum Verbum, voluntate Patris descendere, et illabi in mysteria, eaque perficere per Spiritum sanctum, panem quidem, (ut sit) corpus: mistum quod in calice est, efficiat sanguinem. Iterum per triplicem illam obsignationem significat illud,* Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Si quidem postquam consecrata est Oblata, habitat in ea Verbum, sicut postquam sanctificata est Virgo per Spiritum sanctum, habitavit in ea Verbum Deus: ita quoque per voluntatem Patris sui, et per illapsum Spiritus sancti, perficit panem corpus: et vinum sanguinem* (sive perficit ut sint corpus et sanguis) *ejus; eadem ratione, ac voluntate Patris sui, per Spiritum suum sanctum, absque mutatione homo factus est ex Virgine, atque ita ex pane, per potestatem Patris unum corpus coeleste, significat mysterium, quo ex divinitate, una natura incarnata et persona composita est: unioque illa mystica significat unionem naturalem et personalem Verbi cum carne sua.* Haec Barsalibi, ex communi aliorum Theologorum Jacobitarum sententia, non minus Syrorum quam Aegyptiorum, quorum alibi testimonia referuntur.

Nullam singularem opinionem ex hac oratione deducunt Orientales.

Vidimus quae illius opinio foret de Dominicorum verborum efficacia, neque existimandum est illum in eodem opere contraria scripsisse, talia enim videbuntur ea quae mox retulimus, in quibus de Invocationis effectu tam magnifice loquitur, si a praeoccupatis hominibus ad Bessarionis et Arcudii trutinam expendantur. Eliciant, si lubet, ex illius orationis verbis errores multiplices; nihil agunt contra Syros et reliquos Orientales, neque contra Graecos ipsos, qui illius orationis autores non fuerunt, sed eam perpetua traditione commendatam a majoribus acceperunt. Vidisse tam acutum, Turrecrematam et alios, ut quae sanctis Patribus pia et legitima judicata sunt, in illis pestem et blasphemiam deprehenderent, nemo credat. De momento consecrationis, nulla unquam inter Orientales quaestio fuit: illam perfecte consummatam existimant, cum Invocatio pronunciata est.

Orant super dona consecrata, ut factum in vetustis Liturgiis.

Sed orant pro consecratione donorum sanctorum, quae jam facta est. Eam factam esse, nec negant, nec affirmant; orantes vero super Eucharistiam jam consecratam, habent exempla quibus se tueantur. Nam similes orationes leguntur in Liturgia Gallicana veteri, in Gottica, in Mosarabica et aliis, *post secreta* vel *post pridie*, id est pronuncialis Christi verbis. In prima, *Haec nos Domine instituta et praecepta retinentes, suppliciter oramus, uti hoc sacrificium suscipere et benedicere digneris, ut fiat nobis legitima Eucharistia, in tuo filiique tui nomine et Spiritus sancti, in transformatione corporis ac sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi unigeniti sui.* In Missa Assumtionis B. Mariae. *Descendat Domine in his sacrificiis, tuae benedictionis, coaeternus et cooperator Paraclitus Spiritus: ut oblationem quam tibi de terra tua fructificante porregimus, coelesti permuneratione, te sanctificante sumamus: ut*

translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis: et ita variis in locis. In Gallicano officio ad Missam S. Leodegarii, *Ut descendat hic benedictio tua super hunc panem et calicem in transformatione Spiritus tui sancti.* In Mosarabico multis locis, *Post pridie*, rogatur Deus *ut hostiam vivam illustratione adventus sui sanctificet: ut haec libamina benedicenda assumat, ut illis sanctificationem infundat.* In Missa Natalis Domini. *Ut in eodem spiritu quo te in carne virginitas incorrupta concepit, has hostias Trinitas indivisa sanctificet.* Alio loco. *Quaesumus ut oblationem hanc spiritus tui permistione sanctifices, et corpus et sanguinem Domini nostri plena transformatione confirmes.*

Similia multa praetermittimus, sed ex relatis perspicuum est eadem prope verba, easdem sententias in Missalibus illis vetustissimis, ac in Orientalibus reperiri. Nam utrobique postulatur *adventus Spiritus sancti*, isque super dona proposita: *transformatio, translatio, et plena confirmatio* petuntur: *benedictio, sanctificatio eorumdem munerum*, et illis verbis, quae Invocationi Orientalium comparata, magis quodammodo significantia sunt. Nemo unquam Ecclesias Gotticas, Gallicanas, Mosarabicas accusavit, quasi parum pie de Eucharistiae consecratione sentirent: cur igitur eorumdem verborum occasione Orientalibus crimen intentetur, perspicere difficile est. Accedit quod licet non iisdem verbis, Ecclesia Romana, orat tamen, et benedictiones format super dona consecrata, petitque ea *perferri in sublime altare* Dei, quo sensu Graecos suos, Invocationem intelligere, affirmavit Cabasilas. Tales porro Orationes, quarum excerpta retulimus, vetustate sua satis commendantur, de quibus si quis litem movere vellet, abunde refelleretur autoritate Romanae illarum editionis a Cardinale Thomasio procuratae: quamvis sacra haec venerandae antiquitatis monumenta approbatione recentiorum non indigeant.

Sententia Card. Bonae de illis Orationibus.

Primus inter eos qui de Liturgicis rebus scripserunt, hanc vetusti Mosarabici ritus cum Graeco conformitatem observavit Cardinalis Bona, eamque intelligendam judicavit secundum *eumdem sensum Orthodoxum*, inquit, *quo Patres Graeci in Synodo Florentina suam orationem*, fac hunc panem pretiosum corpus Christi, *explicarunt: ut nimirum hostia jam consecrata, nobis nostraeque saluti sancti Spiritus illapsu sanctificetur.* At Patres Graeci dici non possunt, Episcopi sex, qui Imperatore et aliis Episcopis nescientibus, et postea reclamantibus, talem expositionem dederunt. Qualis vero cumque illa sit, ad Syros et reliquos Orientales, qui cum illis commune nihil habuerunt, pertinere nullatenus censenda est. Nam quod aiunt Bessarionis et Arcudii imitatores, totam orationem referri ad fructuosam mysterii susceptionem, sustineri non potest. Neque enim postulari oportet Spiritus sancti illapsum, adventum, et obumbrationem super dona consecrata in corpus et sanguinem Christi, ut qui illa percepturi sunt, digne eadem suscipiant. Frustra scilicet oraret Ecclesia, si Spiritus sancti adventus et illapsus, ad solam piam et fructuosam mysteriorum susceptionem referretur. Nam certo credunt advenire Spiritum sanctum in dona proposita: non vero omnes qui illis commu-

Rer. Liturg. l. 2. c. 13.

nicant digne illa percipere, quisquam unquam existimavit; nam neminem judicium sibi manducare et bibere contra Apostoli sententiam inde sequeretur. Multo minus, *transformatio*, *translatio frugis in corpore*, *calicis in cruore*, petenda erat, ad piam sacramenti participationem, cum inde sequeretur, nullam esse transmutationem, erga indigne communicantes, quae germanissima est Protestantium doctrina. Distinguitur quoque accurate in omnibus quotquot extant Invocationis formulis, *adventus* aut *illapsus* Spiritus sancti in dona proposita, et in eos qui eadem suscepturi sunt. Primus, *ut dona proposita faciat corpus et sanguinem Christi:* alter, *ut qui illorum participes erunt, remissionem peccatorum consequantur, et vitam aeternam.* Si duo haec ad solam fructuosam communionem referantur, nulla magis commoda Protestantium causae interpretatio excogitari poterat.

Per diversas quorumdam interpretationes vis Invocationis ad probandam mutationem destruitur.

Ipsa Invocatio quae firmissimam continet verae substantialisque transmutationis probationem, simpliciter intellecta, ut eam Syri Theologi intelligunt, per ejusmodi commentarium non vana modo et inutilis efficitur, sed difficillimas objectiones parit, quas acutissima Dialectica refellere non potest. Nec enim quod ex recentioribus quidam, vir sane doctus, sed minime Theologus, in simili argumento dixit, *mihi curae non est quid dicant haeretici*, probari potest ab ullo Christianae concordiae studioso. Curae nobis esse debet quidquid veritati incommodare, aut fratres nostros in dissensione retinere potest. Consensus porro Ecclesiarum omnium in agnoscenda elementorum panis et vini transmutatione, magis efficaciter eos qui veritatem sectantur, afficit, quam subtilissimae disputationes. Nihil autem consensum istum firmius demonstrat, quam constans ubique et semper recepta apud Orientales Deum invocandi forma, ut summum in pane et vino miraculum faciat, idque omnipotenti virtute sua; et in altari, nempe ut fiant corpus et sanguis Christi. Ea verba non a Theologis dictantur, non ab Oratoribus rhetorice praedicantur ex superiori loco, sed illiteratae plebi exponuntur, praeparatae jam per Diaconi admonitionem ut cum timore et tremore omnes orent impensius, eo momento quo res tam mira perficitur. Illius igitur orationis sententiam diversis interpretationibus, quarum stare nulla potest, circumvenire, Ecclesiam prodere est, ne quid recentiorum quorumdam Theologia detrimenti capiat. Omnes ejus generis explicationes, constantissime rejiciunt Orientales, itaque frustra adhibentur ad eos ab errore vindicandos, quo nequaquam teneri illos certis argumentis demonstratur. At omnino immunes sunt erroris ullius circa veram et realem elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationem, quam haec oratio perspicue significat. Comparatio cum Incarnationis mysterio illam expressius inculcat: utramque scilicet veram, non typicam, aut figuratam esse volunt Theologi: neque minus verum esse, panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi, quam verum est Filium Dei ex Maria Virgine esse incarnatum. Unde inter illos nonnulli illum *in calice et in disco incarnari dixerunt*, audaciore fortassis metaphora, sed quae a tropis et figuris longissime remota est. Haec sufficiunt cum diversa aliorum testimonia quae Invocationem illustrant, alibi relata sint.

Forma Invocationis simplicior apud Syros quam apud Graecos recentiores.

Observandum denique Syros in ea pronuncianda veterem simplicitatem magis retinuisse quam Graecos, qui formulas aliquot interponunt, ut in Liturgia Basilii Sacerdos secreto dicit: *Domine qui Spiritum sanctum hora tertia Apostolis misisti, illum, o bone, ne auferas a me. Cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Tum Diaconus caput inclinans, designat orario sanctum panem et dicit secreto: *Benedic, Domine, sanctum panem:* atque ita ad calicis benedictionem: quae iisdem verbis occurrunt in Liturgia Chrysostomi; non in Graeca Jacobi, neque in Graecis et Copticis Alexandrinis, neque in Nestorianis. *Amen* tantum subjungitur a Diacono, ad utramque orationis partem.

Obiter quoque notandum est, Boderianum quoties titulum hujus orationis Latine expressit, perperam vertisse *Lectionem Spiritus sancti*, nullo sensu.

P. 34. *Memento Domine, etc.*

Diptycha.

Hic incipiunt Diptycha, de quibus cum multa dicta sint in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam, quae Syriacis quoque Ecclesiis conveniunt, eo lectores remittimus. Ut in Graecis incipiunt, *Μνήσθητι κύριε. Memento Domine*, ita in Syriacis Liturgiis ab אדכר, quod idem est. Oratur pro omnibus rebus et personis, vivis et mortuis.

Statim dicitur oratio pro Ecclesia Catholica, et Apostolica fundata supra petram fidei, ut in Graeca Jacobi et in omnibus aliis: tum pro locis sanctis et sancta Sion omnium Ecclesiarum matre, ut in eadem. *Προσφέρομέν σοι δέσποτα καὶ ὑπὲρ ἁγίων σου τόπων, οὓς ἐδόξασας τῇ ἐπιφανείᾳ τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου σου πνεύματος· προηγουμένως ὑπὲρ τῆς ἐνδόξου Σιὼν τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Offerimus tibi, Domine, et pro sanctis istis locis, quos glorificasti manifestatione Christi tui, et adventu sancti tui Spiritus: Praecipue pro gloriosa Sion, matre omnium Ecclesiarum.* Syriaca exemplaria eadem prope verba habent, ex quibus efficitur Liturgias illas, Graecam et Syriacam, proprias Ecclesiae Hierosolymitanae fuisse, nec aliunde quaerendum, cur Jacobo tanquam autori attributae sint. Conveniebat enim illius Ecclesiae primo Episcopo, ut ab eo instituta diceretur sacrificii celebrandi forma, quae antiquitus illic observata, per traditionis lineam ad ejus successores transmissa fuerat.

Ecclesia Hierosolymitana mater Ecclesiarum.

Hierosolymitana Ecclesia, mater omnium aliarum dicitur, quia prima ab Apostolis fundata est, et ex Sionis caenaculo, ubi Spiritus sanctus in eos descenderat, profecti, praedicaverunt ubique, et reliquas constituerunt. Neque ideirco existimandum est ampliorem inter Syros Jacobitas dignitatem et auctoritatem Hierosolymitano Episcopo attributam fuisse. Habent in Collectionibus Canonum suis, Canonem Nicaenum VI. legitimum, secundum quem Dioeceses suis limitibus circumscribuntur, et VII. in quo statuitur ut *Aeliae Episcopus honoretur*, post Patriarchas Romanum, Alexandrinum, et Antiochenum. Nempe vetus Canonum Collectio Syriaca, Canones illos repraesentat accurate ex

Graeco conversos: septimum autem ad verbum נהוא לה אקולותיא דאיקרא: *ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς honoris consequentiam.* Neque in illa versione verba illa reperiuntur, *Ecclesia Romana semper habuit primatum,* licet id affirmaverit Abrahamus Echellensis. Nam versio quam citamus, ea est quam continet Codex Mediceus in membrana scriptus ante annos, ut minimum, septingentos. Cum vero ad Epistolam Cypriani ad Fidum, qui *Filus* vocatur, notatum reperiamus factam esse versionem anno Graecorum DCCCCXCVIII. qui est J. C. DCLXXXVI. ejusdem aetatis esse videtur Canonum, qui eodem volumine continentur, interpretatio. Habet etiam vetustatis indicium non mediocre, quod Canones illos Arabicos non repraesentet, neque narrationem, quae Praefatione Arabica continetur, ullatenus confirmet.

Ad Praef. Can. Nic. Arab.

In illis vero Canonum, qui *Arabici* vulgo dicuntur, Collectionibus, Nicaeno Concilio attribuuntur quae in Constantinopolitano constituta sunt, de translatione dignitatis Ephesi, ad novam Romam, simulque honor quarti Patriarchatus Hierosolymitanae sedi tribuitur. Eam constitutionem retulit in Nomocanonis sui cap. 7. Gregorius Abulfaragius, his verbis *Quatuor erunt Patriarchae, juxta numerum quatuor partium mundi. Princeps vero summus omnium, est Patriarcha Romanus, post eum Alexandrinus, tum Constantinopolitanus, quia ab Epheso ad urbem Constantinopolitanam Patriarchatus translatus est, quae etiam Nova Roma vocata est. Post eum sequitur Patriarcha Antiochenus, qui in totum Orientem jurisdictionem obtinet. Cum vero Hierosolymitanus Episcopatus, constitutus sub autoritate Metropoleos Caesareae Philippi dudum foret, honor quinti Patriarchatus illi defertur, sed salva autoritate Metropolitae Caesareae, et Antiocheni Patriarchae.* Haec habent in suis Canonum Collectionibus Arabicis Jacobitae, quas Abulfaragius secutus est. Mirum tamen Patriarchae Hierosolymitani nullius apud illos extare memoriam; neque, si qui ex illorum secta, vel ex Nestoriana, in urbe sancta Episcopatum gesserunt, honoris illa praerogativa potiti videntur esse. In Nestoriana quidem Ecclesia inter Metropoles recensetur Jerusalem, sed vigesimo secundo loco, tantum abest ut attributam a Nicaeno Concilio dignitatem servaverit: cum non modo Catholicus, qui supremum ipse sibi Pontificatum inter suos arrogavit, licet in Pseudo Nicaenis illis Canonibus post Hierosolymitanum Episcopum nominetur, cum praecedat; verum plures alii Metropolitae urbium, quae olim ne Episcopos quidem habuerant. Itaque inter illos, ut inter Jacobitas, cum Hierosolymitani Antistitis mentio injicitur, non aliter vocatur quam Metropolita, et talis erat Ignatius ad quem Commentarium suum in Jacobi Liturgiam scripsit Dionysius Barsalibi. Legimus etiam in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, Cyrillum filium Laklaki, novo exemplo Hierosolymis Metropolitam constituisse, sed contradicentibus non modo Syris, verum ipsis Aegyptiis, quod haec institutio ad Antiocheni Patriarchae jus spectaret, ex veteri disciplina. Soli igitur Graeci urbi sanctae Patriarchalem dignitatem servaverunt, quorum exemplo Latini, cum eam armis occupassent, Latinum Patriarcham instituerunt, cujus postmodum loco *κοινὸν πρόσωπον* Romae constituitur. Neque contra id quod huc usque dictum fuit, objici po-

Inter Orientales vix honorem a Concilio Nicaeno tributum retinuit.

Hist. Patr. Alex. p. 579.

test, esse etiamnum Hierosolymis Patriarchas Syrianorum, hoc est Jacobitarum, Armenorum, et quosdam alios: Metropolitae illi sunt, qui honoris gratia Patriarchae appellantur, quod re vera non sunt.

Formae Diptychorum variae.

Forma Diptychorum eadem est in omnibus Ecclesiis Orientalibus, et quidem, ut in edita Jacobi Liturgia, et plerisque Mss. observatur, uno tenore describuntur preces, quas Sacerdos dicit pro Ecclesia, pro Episcopis, Sacerdotibus et Clero, tum pro aliis. At non solus Sacerdos orat: populus monetur a Diacono, ut pro iisdem oret, quos ipse nominat: et, ut observat Barsalibi, nihil aliud a populo dicitur nisi, *Kyrie eleison.* Graece vel Syriace: hunc que ordinem observandum ait. *Pro Pastoribus, Sacerdotibus Ecclesiae, omnibusque ejus Ordinibus; Pro Regibus etc.* tum *Memoria Genitricis Dei, Apostolorum, Martyrum, Patrum, Doctorum: tandem Oratio pro mortuis.* Id vero non uno eodemque modo solebat fieri, sed aliquando producebantur preces pro variis personis et rebus, ut in Copticis Liturgiis observare licet: sed populus nihil quoque Coptico ritu dicit, nisi *Kyrie eleison.* Diaconi autem denunciationes ad orandum integras repraesentat liber Ministerii. In prima. *Pro Ecclesiae Pastoribus. Benedic. Oremus et deprecemur Dominum et Deum nostrum in tempore isto, magno, terribili et sancto, pro Patribus et Rectoribus qui hodie nobis praesunt, etc.* respondeturque, *Kyrie eleison.* Reliqua ad hoc argumentum spectantia, dicta sunt loco citato, atque inter alia, quomodo orandum doceat Barsalibi, pro Regibus non modo fidelibus ex Jacobitarum opinione, sed etiam aliis, quod tamen non faciunt Nestoriani, ut ad eorum Liturgiam observabimus.

Epist. 172.

Diptycha Orientalium, nullam cum Litaniis nostris habere affinitatem, quod Josepho Scaligero visum fuerat circa ea quae Copticis Liturgiis continentur: in notis ad illum locum ostendimus, neque aliter est de Syriacis judicandum: utriusque enim ritus Aegyptiaci et Syriaci, imo et aliorum omnium Orientalium par omnino disciplina est.

P. 35.

Commemorationes Sanctorum.

Invocatio Sanctorum.

In ista Liturgiae parte gravissimum est Ecclesiarum Orientalium de Sanctorum invocatione testimonium, quod in nullis cujuscumque ritus aut linguae officiis desideratur. In illa igitur nihil novum, nihil a Romana Ecclesia illis insinuatum, quidquid de hoc argumento, imperite non minus, quam calumniose Reformatores declamaverint. Invocantur autem Sancti, qui ab initio mundi Deo placuerunt, non ut honor supremus creatori soli debitus, minuatur, aut cum illis communicetur: sed ut eorum precibus beneficia obtineantur, a bonorum omnium fonte et largitore, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, et descendere a patre luminum, ex scriptura agnoscunt. In eorum quoque laudes effusi, hymnos habent multiplices, quos in Sanctorum festivitatibus canere solent: non quidem in Liturgia, sed in aliis Officiis. Tales multos continet *Beit Gaza*, sive *Thesaurus*, apud Ja-

cobitas, et suum quoque ita appellatum Nestoriani habent: Coptitae *Synaxarium* vocant. Quamvis enim Graeca vox, quam retinuerunt, aliud opus Graecis notissimum significet, nempe Sanctorum nomina, et gesta Calendarii ordine disposita, et simile quoque Coptitae agnoscunt inter libros Ecclesiasticos suos, singulari tamen significatione, hymni ad Sanctos ita dispositi, *Synaxaria* appellantur: taliaque extant in Bibliothecis; et similia habent Aethiopes.

Missae Sanctorum nullae in Oriente.

Observandum quoque est, ne quid ad Rituum Orientalium cognitionem spectans omittatur, apud Syros, reliquosque Orientales Christianos, in quo Graecam disciplinam sequuntur, Missas Sanctorum proprias, ut in Occidente sunt et fuerunt a longinquissimis temporibus, nullas esse. Verum Liturgiam eodem semper tenore in Sanctorum solennitatibus celebrant: nihilque adjicitur, nisi Epistolae aut alterius libri sacri lectio, Evangeliumque ad eas pertinens: inter quae aliquando *Sedrae* vel aliae hujus generis orationes canuntur. Illae autem nonnunquam *Prooemia* appellantur: sed commune nihil habent cum nostris Praefationibus: aut cum vetustis aliis Ritus Gallicani, Gottici aut Mosarabici: imo et ipsius Romani, in quibus de Sanctorum quorum memoria agebatur, laudibus, et actis, multa continebantur. Tam communis autem, omnibusque approbata disciplina fuit circa Sanctorum memoriam, vota ad eorum sepulcra, confidentiamque in eorum apud Deum interventionibus, ut ipsi Muhamedani, multis miraculis convicti, venerationem illorum variis in locis retinuerint, et ad suos homines transtulerint. Itaque Idololatriae ne umbram quidem agnoverunt, in pio illo honore, quem Sanctorum memoriae a Christianis deferri videbant: ut neque in cultu sacrarum imaginum.

Praecipue B. Virginis Mariae.

P. 32. l. 28. et 36. l. 5.

Cultus Orientalium erga B. Virginem.

Pietatis Orientalium erga B. Virginem tot sunt argumenta, ut libris Ecclesiasticis, quorum aliqui, quos Graecorum exemplo *Theotokia* vocant, seu Preces ad Deiparum, pleni sunt orationibus ad eam, ut res ulteriori explicatione non indigeat: et jam de hoc argumento dictum est in Commentario ad Copticam Liturgiam Basilii. Jacobitae praesertim, qui adversus Nestorianos de divina ejus maternitate tractatus multos ediderunt, eam singulari veneratione prosequuntur. Unde in plerisque commemorationibus primo loco B. Virgo nominatur veluti creaturarum praestantissima: atque id observatur in Graeca Liturgia Jacobi *Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου καὶ ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας*: nec aliter in reliquis Graecis. Hic vero praemittitur memoria Joannis Baptistae, quia scilicet inter natos mulierum, majorem illo non surrexisse, Christus ipse testatus est. An illa causa sit cur nomen ejus praemittatur, non liquet, neque plane verisimilis videtur: nam in aliquot exemplaribus post Joannem Baptistam nominatur Stephanus Protomartyr, ut in Romana editione, in Co-

P. 233.

P. 198.

dice Florentino et aliis: sed neque in Theologorum scriptis quidquam vulgo legitur, quod ad similem de honoris praerogativa litem pertinere videatur.

An oraverint pro Virgine et Sanctis.

Verum major difficultas nascitur ex formula, nova prorsus et alibi inusitata, quam habet Ordo Officii communis in Codice Colbertino. Nam inter commemorationes eorum pro quibus oratur, ut Deus *praestet illis quietem et memoriam bonam*, nominatur B. Virgo. *Praesta etiam per illud incensum, quietem et memoriam bonam Genitrici tuae, et Sanctis tuis, fili Christe, qui adoraris, et glorificaris cum Patre tuo et Spiritu tuo.* Et paulo prius. *Ecce obsecramus te, Domine Deus, suspice incensum istud aromatum, quod offert tibi tenuitas nostra, pro sancta Genitrice Dei Maria, pro patre nostro Adamo, et matre nostra Eva, pro Prophetis et Apostolis, etc. pro divitibus et pauperibus, pro angustiatis et afflictis.* Iterum. *Deus per clementiam tuam, praesta requiem et memoriam bonam Genitrici tuae, et Sanctis tuis, omnibusque defunctis, super altare tuum sanctum et coeleste.* Idem quoque repe-

P. 117. ritur in Officio quod Boderianus edidit. Illud porro non modo contra veterem, omnibusque sanctis Patribus confirmatam doctrinam foret, sed etiam

Aug. *Serm.* 169. contra Ecclesiae universalis disciplinam. *Ideoque habet*, inquit Augustinus,

N. Ed. et Serm. 284. *Ecclesiastica disciplina, quod fideles norunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* At si neque pro martyribus oratur, multo minus pro sanctissima Dei Genitrice Maria. Illud aeque contrarium ipsis Syriacis, ut et aliis omnibus Liturgiis foret: cum expressis verbis significent illam, ut reliquos sanctos, praecipue martyres commemorari, ut per illorum intercessionem, divinam gratiam, et necessaria ad bene beateque vivendum auxilia impetremus. Non dubitamus igitur his in locis peccatum potius a librariis imperitis fuisse, qui ea quae disjunctim scribenda erant, ut passim alibi, conjunxerunt, quam certo consilio admissum id fuisse, ut nova doctrina, a qua remotissimi sunt, et quam quotidiana illorum disciplina refellit, induceretur. Commemorationes a B. Virgine et Sanctis incipiunt per illa verba *Memento Domine*, et ista, *fac memoriam bonam:* similibus verbis continuantur memoriae vivorum et mortuorum. In prima periodo quae ad Virginem et Sanctos refertur: terminatur oratio per hanc clausulam *ut per eorum preces obtineamus gratiam et misericordiam a Domino.* Hanc vero, ut notissimam, omisit fortasse aliquis, et cum aliis conjunxit, unde nata est abnormis illa supplicatio, quae ex aliis Liturgiis confutatur. Addendum est formulam istam *praesta memoriam bonam*, nihil aliud significare quam, *Memento.*

P. 35. l. 30.

Memoria aliorum Sanctorum.

Variae illa se habet secundum diversas Ecclesiarum consuetudines, quae in eo consentiunt, quod Sanctos, quorum communis apud omnes fuit ante schismata veneratio, passim nominant, modo brevius, modo prolixius: neque

enim, ut in Canone Romano, determinatus est eorum, qui nominantur, numerus. In antiquo Codice Colbertino, quem praecipue interpretando secuti sumus, post Virginem Mariam, subjicitur, *et omnium Sanctorum*, neque alii nominantur. In Florentino adjicitur, *et sancti Domini Barsomae*, quod etiam habetur in Romana editione, sequiturque, *et sancti Georgii*, qui praecipue ab Orientalibus colitur, imo a Muhamedanis et Turcis ipsis, ut locupletissimus testis est vir celeberrimus Augerius Gislenius Busbequius. Iter sanctos quoque collocatur ab insigni apud Persas historico Emir-Condo, Tabarita et aliis, qui de eo mira narrant, quae, ut Orientales omnes *φιλόμυθοι* maxime sunt, Legendis veteribus, Graecorumque narrationibus nihil cedunt. Illud solum observatu dignum, quod tot laudibus eum cumulant, quia pro vera fide Martyrium subiit. Itaque coli a Christianis cum, qui sanctitatis suae buccinatores ipsos infideles habuerit, mirari nemo debet. At monstro simile, Barsomae nomen, scelerati illius Monachi, qui Proterium occidisse dictus fuit in Calchedonensi Concilio, a quo anathemate perculsus est, in Romana editione cum sancti titulo reperiri. Viderat tamen hanc editionem *Frater Joannes de Tarracina Theologiae Magister, et nihil contra fidem et bonos mores invenerat, sed omnia consona fidei sacro-sanctae Romanae Ecclesiae.* At quid magis illius fidei contrarium, quam hominem factionis haereticae antesignanum, damnatum ab Oecumenica Synodo, inter caelites collocari. Eant nunc Maronitae recentiores, dum Liturgias illas, tanquam Ecclesiae suae proprias nobis venditant: illud solum Barsomae nomen, Jacobitarum, eas esse demonstrat. Illum quippe Coptitae, qui ejusdem sectae sunt, pari ratione venerantur, et inter Diptycha nomen ejus celebrant. Duo praeterea alii ejusdem appellationis sunt, alter Nestorianus Metropolita Nisibensis, qui teste Eutychio sectam illam in Mesopotamia late propagavit: vivebat autem sexto saeculo: vir nefarius et antiquae disciplinae, quantum in ipso fuit, corruptor. Nam contra Canones, Episcopus cum esset, uxorem duxit, eamque sanctimonialem: tum legem tulit ut Episcopis, Sacerdotibus, Monachis ipsis nubere liceret. Ob autoritatem vero tyrannicam, cum in ordinem redigi non posset, dignitatem quamdiu vixit, retinuit, sed post mortem anathemate damnatus est, statutumque in perpetuam ejus contumeliam, et per annos multos observatum, ne quis ex Metropolita Nisibensi, ad supremam Catholici dignitatem assumeretur. Tertius tandem Barsomas fuit, *Nudus* cognominatus, Anachoreta, qui serius vixit, nempe saeculo duodecimo labente, cujus vita extat in Codice Bibliothecae Regiae; ipse quoque Jacobita, cujus nomen, cum aliis Monachorum ex eadem secta celebrium, occurrit in aliquot Liturgiarum exemplaribus recentioribus, cum in antiquis non legatur. Nullus porro trium illorum talis fuit, ut ab Orthodoxis memoria ejus cum honore coleretur. En quo perducit antiquitatum Ecclesiasticarum ignoratio. Quales porro erunt Catholici illi, qui Latrocinii Ephesini principem, Concilii Calchedonensis, Leonisque Papae furiosum calumniatorem, invocare cum sancto Stephano et S. Georgio docentur, et quidem perpetuo testimonio Co-

Eutych. T. 2.

Hist. Nestor. Ms.

Eccpl. p. 53.

dicis Liturgici, quo solo uti jubentur. Fallitur Naironus, dum cum qui ferro indutus vocatus est, eum esse existimavit qui in Canone Jacobitico nominatur.

P. 34. l. 4.

Memento.

Cap. 15.

Diptycha, proprie ad Syrorum mentem loquendo, sunt Orationes quae pro vivis et defunctis fiunt eo loco, quo tertiam Liturgiae partem incipere scribit Barsalibi. Ita autem orationes illae dici debent, ut partem illarum secreto Sacerdos dicat, sive, quod idem est, inclinatus, aliam elata voce, ut tam secreto, quam alta voce oret, et ita populo denunciet pro quibus ipse orat, et ab omnibus orandum sit: eaque ratione populus cum Sacerdotis precibus suas conjungit. Diptycha quoque Canones vocari, scribit autor idem, esseque sex, nempe tres pro vivis: totidem pro mortuis. Accusat Armenos quod pro vivis in Liturgia nullas orationes faciant: nam, inquit, si quis peccator est in impietate perseverans et, ut ait Apostolus, in peccato ad mortem, non orandum pro eo vobiscum fatemur. At si poenitentiam agat de peccatis suis, et ad ejus remedia recurrat, tanquam filius prodigus, pro eo sacrificium offerri oportet. De hoc argumento fusius se egisse testatur in opere singulari adversus Armenos. Negat etiam ex recta disciplina esse ut ad singulas Sacerdotis orationes populus respondeat, *Amen* aut *Kyrie eleison*, sed tantum eadem verba dicere debet, cum Diaconus orationem indicit, dicendo *pro tali vel tali Dominum deprecemur*: tunc dicunt *Kyrie eleison*, aut Syriace, *Domine miserere.*

P. 35. l. 18.

Diaconus: *Pro Regibus.*

De oratione pro Christianis principibus dictum est ad Copticam Basilii Liturgiam, et dicetur adhuc in observationibus ad aliquot sequentes. Duplex enim in Syriacis occurrit illarum orationum lectio. Prima est ei similis quam haec Liturgia repraesentat, et quae Graecis prope omnibus communis est, ut scilicet oretur pro Imperatoribus aut Regibus, *Christianis, piis et Deum timentibus:* hoc est, ut Graeci efferunt, ὑπὲρ εὐσεβῶν καὶ φιλοχρίστων βασιλέων. Illud autem nomen Syri reddere solent per *Deum timentes*, ut εὐσέβειαν et religionem per *Dei timorem.* Altera est ut simpliciter oretur pro Regibus et principibus, qualescumque sint: quod in plerisque observatur, Muhamedanorum metu. Utraque illa formula aeque communis est omnibus Liturgiis Syriacis, praeter illas quae sunt Nestoriani ritus. Observat hoc loco Barsalibi, quosdam Sacerdotes orationem pro Regibus omittere, quod ubique prope infideles sint, et hostes Christiani nominis: aut Calchedonenses sive Orthodoxi, qui Ecclesiae Jacobiticae non magis faveant, quam Muhamedani. Negat tamen id recte fieri, cum Paulus Apostolus doceat orandum esse pro Regibus qui sua aetate infideles erant, et Christianos durissimis

persecutionibus affligebant: ut tranquillam vitam agamus. Fieri potuit ut ante Muhamedana tempora Jacobitae, veterum exemplo, retinuerint commemorationem *τῶν φιλοχρίστων βασιλέων*; nam ita vocant Zenonem et Anastasium Imperatores qui illis faverunt impensius. Ea ratione factum, ut quod in antiquis exemplaribus legebatur, retentum fuerit. Hinc manifestum est nullam esse argumenti quod ex eadem formula ducitur, autoritatem, ad determinandam aliquot Liturgiarum vetustatem, ut perperam existimavit Salmasius de Coptica, quae Gregorii nomen praefert, quia in ea oratio legitur, pro iis qui sunt in Palatio. Multas enim Syriacas habemus, scriptas ab autoribus, qui diu post Muhamedanum imperium, et sub illo vixerunt, in quibus oratur pro solis Regibus et Reginis Christianis, sive *Deum timentibus* quod idem est, ut observavimus. Neque enim subtilitati locus est, ut haec denominatio ad Muhamedanos referatur, quia inter tot errorum et blasphemiarum portenta, unum Deum venerantur, et Idololatriae bellum indixerunt, eamque toto passim Oriente sustulerunt. Illam enim laudem cum stupore legimus tributam Muhamedi, ab Elia, qui prius Hierosolymitanus, et Nisibensis Metropolita fuerat, postea ad Catholici Nestorianorum dignitatem evectus est, ut ab Amro Mathaei filio, et aliis Nestorianis, qui, quod sine horrore dici non potest, Alcorani testimonia cum laude adducunt. Habuerunt tamen illi Principes quosdam suae sectae inter Tartaros et Turcas; sed cum Cathedra Catholici olim in Perside, Modainae, sive Seleuciae Parthorum primo fuisset, deinde Bagdadum translata, infidelibus Dominis subjecti erant: tamen in suis Liturgiis orationem non habent, nisi pro Christianis Principibus.

Ep. ad Joan. Dallaeum.

Memento Domine sanctorum Episcoporum, etc.

P. 36. l. 22.

In Syriacis Codicibus Mss. ut etiam in Missali Romae edito, singularis memoria occurrit, qua carent Graeci Codices. *Memento Domine sanctorum Episcoporum qui pridem obdormierunt, quique verbum veritatis nobis dispensaverunt, et qui a Jacobo principe Episcoporum Apostolo et Martyre, usque ad hanc diem, verbum fidei Orthodoxae in Ecclesia tua sancta praedicaverunt.* Nihil hic, ut videtur, nisi pium et ex vetere disciplina, ut memoria cum laude eorum renovetur, a quibus Ecclesia Hierosolymitana fundata, et Christianae fidei doctrinis et legibus instituta fuit. Verum quandoquidem haec formula Graecis incognita est, in primaevis exemplaribus qui ad Orthodoxos sive Melchitas spectabant, fuisse non videtur; quod affirmari certius posset, si antiquos Melchitarum Syriacos Codices haberemus. Illi porro cum a multis saeculis Officia sua sacra Graece celebrent, alterius linguae usum omnem in sacris amiserunt, et quotquot extant etiam vetustae Syriacae Liturgiae, Jacobitarum sunt. Inde fit ut verba quae retulimus ab illis adjuncta fuisse, existimemus.

Jacobi Apostoli commemoratio.

Cognominatio illa Jacobitarum, si Orthodoxos et Nestorianos audiamus, originem habuit a Jacobo, quem Nicephorus et alii, *Zanzalum* appellant,

In hac commemoratione Jacobitas se-

ctam suam commendare verisimile est.

Arabes *Baradaeum*, sive *Baradatum*, qui cum aliis, Monophysitarum haeresim per totum Orientem disseminavit, et plurimos tota Syria et Mesopotamia praesertim, Episcopos, Sacerdotes et Diaconos ordinavit. At haec denominatio illis non placuit: nam, ut ex aliquot Historiae Patriarcharum Alexandrinorum locis colligimus, *Theodosianos* se in Aegypto vocabant: quasi religionis a Theodosio juniore, sub quo Ephesinum Concilium convenerat, propugnatae defensores. Ita enim aliquot Autores Jacobitae scripserunt, Isa filius Zaraae, Ebnassalus, Elmacinus et alii nonnulli, cum id cognomen, si aliquando habuerunt, duxerint a Theodosio, qui XXXIII. Patriarcha numeratur, Timothei Aeluri successore, quique inter principes *τῆς δεκαχεράτου ὀρχήστρας* ut illam vocat, recensetur ab Anastasio Antiocheno, et a quo Theodosianos, Monophysitarum aliquos, nomen habuisse, scribitur in libro de Haeresibus a Cotelerio edito. Ita nomen *Theodosianorum* ad Aegyptios solos pertinebat, et Severianorum ad Antiochenos Syros. Tandem cum praevaluisset ubique Jacobitarum cognominatio: quo majorem sibi dignitatem conciliarent, a Jacobo fratre Domini, quasi traditam ab eo fidem incorruptam servavissent, ita se appellatos fuisse jactaverunt, quod praeter illos nemo memoriae prodidit. Eam vero maxime probabilem causam esse additionis hoc loco Liturgiae a solis Jacobitis factae, non temere conjicimus. Mira enim est illorum de consensu veterum Patrum secum jactantia, eo major quod a viris non indoctis, quales apud eos multi fuerunt in lectione scriptorum antiquorum versatissimi, varia ex illis testimonia collecta sunt, praesertim ex Severi Antiocheni qui *πολυγραφώτατος* fuit operibus, quae Syriace dudum et Arabice conversa, illos in opinione sua confirmant. Sunt hujus generis Collectanea multa, praecipuum vero locum apud eos obtinet, liber dictus, *Fides Patrum*, qui totus testimoniis hujusmodi contextus est. Conjecturam autem illam, certam facit, id quod legitur in Exhortatione ad Ordinandos, Pontificalis Medicei, in qua professio fidei de Trinitate et Incarnationis mysterio secundum Jacobitarum opinionem, ipsis praelegitur. In ea continetur, exigi ab Ordinandis *ut suscipiant omnia quae definita sunt in Synodis Nicaena, Constantinopolitana, et Ephesina: doctrinamque eorum qui fidem in illis Synodis promulgatam propugnarunt, et posteris transmiserunt, ab Apostolorum tempore ad hanc usque diem: praecipue sancti Jacobi Apostoli Dei, Episcopi et Martyris veritatis.*

Hist. Patr. Alex. p. 126. 195. 213.

Hist. Patr. Alex. p. 139.

Anal. Gr. T. 1. p. 308.

Quos fidei suae doctores agnoscant Jacobitae.

Cum vero non inutile sit, scire quos traditionis suae autores esse existiment, recensebimus ex eadem Exhortatione illorum nomina. Linus, Anacletus, Clemens, Romani Episcopi: Timotheus Ephesi: Titus Cretae: Ignatius Antiochiae: Polycarpus Smyrnae: Dionysius Athenarum: Hippolytus, Julius, Anatolius, ut vulgo dicunt, Romae: Petrus, Alexander, Achillas, Alexandriae: Gregorius Neocaesareae: Basilius Caesareae: Gregorius Theologus Nazianzi: Gregorius Nyssae: Dionysius Alexandriae: Eustathius Antiochiae: Nectarius, Joannes, Constantinopoleos: Theophilus, Timotheus, Alexandriae: Amphilochius Iconii: Cyprianus Carthaginis: Cyrillus Alexandriae: Proclus Constantinopoleos: Dioscorus Alexandriae: Epiphanius Cypri: Theodotus Ancyrae:

Alexander Constantinopoleos: Irenaeus Lugduni: Methodius Olympi: Severus Antiochiae: Philoxenus Hierapoleos: Anthimus Constantinopoleos: Theodosius Alexandriae: Athanasius Antiochiae: Jacobus Patriarcha discipulus Jacobi Faselitae: quae vox idem significare videtur ac Arabica *Bardai*, sive centones ex pannis rudioribus, a quibus ita denominatum illum fuisse Eutychius testatus est. Petrus Patriarcha, Petrus alter: Julianus, non ille Halicarnasseus, nam illum ut haereticum anathemate feriunt: Theodorus, Ephrem Doctor: Isaac Doctor: Jacobus Doctor: Jacobus Edessenus, et D. Barsomas Archimandrita. *Petimus a vobis*, inquit Episcopus consecrator ad Ordinandos, *ut illis consentiatis, doctrinasque illorum puras, et electas amplectamini, diligatis et teneatis; et quaecumque fecerunt in Ecclesia sancta Dei ab initio Episcopatus sui, usque ad vitae finem consignatum canonibus, aut aliis scriptis, capitulis vel responsis, ut etiam sententias depositionis ab illis prolatas.* Atque illi sunt quos Ecclesia Jacobitarum Syriaca, ut Doctores agnoscit, et illorum, si paucos excipias, ut Linum, Anacletum, Timotheum, Titum, testimonia referuntur in recentiorum Theologorum Syrorum scriptis, ut multa Athanasii, quem mirum est in illa satis longa enumeratione non recenseri, errore, ut videtur, librariorum. Alios habent Jacobitae Alexandrini, praesertim suos Patriarchas, quorum Epistolas Paschales frequenter allegatas reperimus, et de quibus dicetur alibi. Illorum tamen vulgo in Diptychis commemoratio fieri non solet apud Syros; cum Aegyptii, Severi Antiocheni nomen, ut etiam Barsomae Syri, in suis nomina cum honore recitent. In hac sacri Officii parte, prolixiores sunt Syris Aegyptii, in quorum Diptychis plura longe referuntur istorum Ecclesiae doctorum nomina, quam in Syriacis. Inter eos porro qui a doctrina commendantur in formula quam Pontificalis liber repraesentat, sunt aliquot Patriarchae Antiocheni Jacobitae recentiores, quorum tamen, quantum conjicere possumus, nemo ante saeculum duodecimum non fuit. Nam Michaelis qui sub illius finem vivebat, viri eruditione et disciplinae zelo conspicui, quique Poenitentiae et Confessionis peccatorum necessitatem adversus Alexandrinos propugnavit, mentio nulla est. Reliquorum aliqui ex Historia noti, de aliis nihil habetur.

Commemoratio mortuorum. *P. 36. l. 36.*

Orationes pro defunctis.

Si quidquam antiquissima omnium Ecclesiarum traditione stabilitum apud Christianos, et observatum est, commemoratio defunctorum fuit, ad altare Dei inter sacrorum mysteriorum celebrationem. Illam consuetudinem sua aetate ubique observatam, jam a veteri disciplina omniumque consensu confirmatam testatur Augustinus pluribus in locis, consentientesque habet veteres Patres omnes. Officia quoque antiquissima, non ea modo quae huc usque usurpantur sed Gottica, Gallicana, Mosarabica, Ambrosiana: Graecaeque Liturgiae, commemorationis illius formas exhibent, quae cum Orientalibus Copticis, Aethiopicis, Syriacis cujuscumque ritus Liturgiis, perfecte consentiunt, nihil

ut sit, de quo dubitari, aut in quo novitatem suspicari minus queat. Oratur autem Deus, *ut fidelium defunctorum animas quiescere jubeat in sinu Abraham, Isaac et Jacob; inter Patriarchas, Prophetas, et Martyres, inter choros Sanctorum suorum, in paradiso voluptatis et deliciarum, unde fugit dolor et gemitus.* Canones varii Conciliorum, recentiores quoque nonnullae de illa disciplina Constitutiones, leguntur in Collectionibus Syriacis et Arabicis: et in Historia occurrunt exempla bene multa Liturgiae, pro defunctis celebratae in illorum depositione: diebusque sequentibus, et anniversariis. Praeterea extat apud Syros, ut similes quoque in aliis Ecclesiis, liber singularis officia continens exequiarum, communia omnibus Laïcis; tum destinata exequiis Diaconorum, Sacerdotum, Episcoporum, Patriarcharum, in quibus variae preces sunt, in eamdem sententiam conspirantes. Editus est autem liber ille Romae, et Mss. codicibus satis accurate respondet. De Graecis non loquimur: quos nemo, nisi rerum Ecclesiasticarum imperitissimus, nescit veterem illam disciplinam semper et ubique retinuisse, et etiamnum observare.

Graecorum recentiorum opinio Syris incognita.

Verum pervulgata est adversus recentiores illorum Theologos controversia, quae animarum separatarum conditionem spectat, de qua inter Graecos et Latinos huc usque disputatur: quod scilicet Beatorum animae, usque ad supremum judicii diem coelesti felicitate non potiuntur, neque Deum vident, et illum errorem non modo Graecis, sed etiam Jacobitis Syris, nonnulli attribuunt, et inter illos praecipuus Orientalium accusator Thomas a Jesu, tanquam ex illorum Catechismo agnitum, quem tamen, ut erat linguarum imperitus, non nisi per interpretem legere potuerat. Inde concludit illos Purgatorium ignem non agnoscere: quod Coptitis pariter impingit; unde neque illos orare pro mortuis, temere omnino affirmat. Quid de talibus Orientalium Christianorum accusatoribus existimandum sit, de Thoma illo praesertim, alibi dictum est: atque uno verbo, testimonia hominis linguarum, et rerum imperitissimi, nemo adversus illos facile admitti debere judicabit. Certissime quippe constat omnes cujuscumque linguae aut sectae Christianos, ex antiquissima disciplina, orare pro mortuis in Liturgia, ut ex eo loco, quem illustramus, demonstratur: tum etiam eo maxime confirmatur, quod Liturgia nulla sit, inter tam multas quas habent Syri Jacobitae, quae mortuorum commemorationem non contineat. Cum tamen ex Actis Concilii Florentini notum sit, agitatam inter Graecos et Latinos fuisse quaestionem illam de statu animarum, neque illos qui unionem rejecerunt a pristina sua sententia recessisse, atque adeo Purgatorium ignem non agnoscere, in eodem errore versari Orientales Christianos causa non satis perspecta, affirmaverunt autores illi. Si de Melchitis loquuntur, potest etiam accusationis veritas periclitari, quamvis in illos solos cadere videatur, quos, cum Ecclesiae Graecae subjecti sint, in eadem, qua Graeci reliqui, opinione esse probabiliter potest judicari. Multi tamen sunt et fuerunt in Syria Christiani Melchitae, qui Syriace sacra celebrantes, aut Graece etiam, ut in locis aliquibus, quid Constantinopoli ageretur prorsus ignoraverint, unde neque turbatio illa quae ante et post Florentinum Conci-

L. 7. p. 1. c. 15. et l. 7. c. 23. Brerewood. c. 21.

lium Ecclesiam Graecam pervasit, vix unquam ad remotiores illos Christianos manavisse deprehenditur.

Graecorum doctrina nova et absurda.

Quae vero Graecos recentiores spectant, circa illam de animarum separatarum conditione doctrinam, etsi cum quaestione de Purgatorio ita cohaereant, ut simul Ferrariae et Florentiae tractata fuerint, non tam ex ipsius quaestionis natura originem habent, quam ex Graecorum contumacia, qui dum Latinos insectabantur, ut quod alicubi, calumniose nimium et imperite Symeon Thessalonicensis scripsit, in omnibus peccare illos, demonstrarent, ultra terminos antiquos progressi, totam illam Theologiae partem contaminaverunt. Illud satis fuse a nobis probatum est alibi, nec ea repetere operae pretium foret, cum ad Orientales non pertineant. Ignorant enim illi, quidquid alteri de hoc argumento verbosissime disputaverunt, de dilata usque ab supremum judicii diem sanctorum felicitate, et impiorum damnatione: multo magis quod in inferno forent etiam electorum animae, in gemitu, tristitia, tenebris salutisque spe dubia, et dum ne tertium illum locum, quem Purgatorium appellamus, agnoscant, sanctos coelo deturbant, nullus alius animabus fidelibus, praeter infernum relinquitur. Ex eo etiam per preces Ecclesiae animas eorum, qui in peccato, aut etiam in infidelitate obierunt, educi posse pertendunt: nec puduit eos, imo nec Dositheum ante paucos annos Patriarcham Hierosolymitanum, portentosae illius opinionis: quam fabulis Falconillae et Trajani, ita ex poenis inferni liberatorum, confirmat. Ita dum illam de Purgatorio controversiam adversus Latinos ambitiosius prosecuti sunt, et Origenis errores illis objiciunt, in eosdem ivere praecipites, ut loco citato explicare conati sumus.

Adv. Lat. p. 27.

Perpet. T. 5. l. 8.

Enchir. fidei p. 83.

Orientalibus ignota.

Omnia haec Orientalibus ignota sunt, a quibus antiquitus observantur duo disciplinae capita, quae, si livor abfuisset, ad dirimendam quaestionem sola sufficiebant. Primum est, invocatio sanctorum, ad quos preces dirigunt in Liturgiis, aliisque omnibus Officiis, ut per orationes ad Deum, cui in vita sua placuerunt, gratiam et misericordiam aliis adhuc in terra positis, obtineant. Alterum preces in ipsa sacra actione repetitae, pro defunctorum quiete. At interpellare pro aliorum salute illi non possunt, qui de sua plenam securitatem non habent. Quod si quis objiciat formulam illam, de qua paulo ante dictum est, in qua pro B. Virgine, Martyribusque, et sanctis aliis, similes prope ac pro reliquis defunctis orationes occurrunt, videnda quae ad eum locum diximus: neque tanti est istius Officii solius autoritas, ut cum omnibus Liturgiis, quae simile nihil habent, possit comparari. Preces vero pro mortuis, expressam habent illarum formam, quae primitus in Occidente ad altaria pronuntiatae sunt, omnesque ex eodem limpidissimo fonte Traditionis fluxerunt. At neque Latini veteres Graecis, neque Graeci Latinis ullam de illarum significatione litem moverunt, et eaidem illam apud utrosque fuisse verisimillimum est. Ex illarum igitur simplici intelligentia, in Oriente non minus quam in Occidente creditum fuit, prodesse mortuis vivorum suffragia, orationes, eleemosynas praecipue vero sacrificium Eucharistiae, illis autem qui ita vixissent ut possent haec ipsa illis utilia esse post mortem. Neque enim pro impoe-

nitentibus, multo minus pro infidelibus mortuis, unquam oravit Ecclesia, quod tamen Graeci recentiores fieri posse concedunt, idque ut confirment recurrunt ad fabulas Falconillae et Trajani. Qua vero ratione, quandove fructus orationum et bonorum operum ad fideles defunctos perveniret, divinae providentiae relictum est. Purgari porro peccata levia, aut graviorum reliquias per ignem, Augustinus dudum docuerat, ut etiam Caesarius, quos multi alii imitati sunt inter Latinos. Ex Graecis vero Patribus prae caeteris Gregorius Nyssenus, cujus verba, cum recentiores ad suam sententiam trahere desperarent, illum, ut Origenis erroribus affinem, ex testium numero rejecerunt. Quantis vero difficultatibus laboret hominum istorum Theologia accurate exposuit ultimus operum S. Joannis Damasceni editor R. P. Michael Lequien Ordinis Praedicatorum doctissimus Theologus, et nos quantum satis esset, de eodem argumento loco citato diximus.

Dissert. Damasc. LXVII. et seq.

Novitate sua suspecta est.

Omnis porro inauditae illius Theologiae Graecanicae ratio, sola sua novitate suspecta esse debet, cujus praeter alia, non leve indicium ducitur ex Orientalium silentio, qui illam prorsus ignorant. At quicumque ejusmodi opinionum praejudiciis liberi sunt, et orationem, Liturgiamque pro defunctis observant ex vetusta traditione, animas eorum, si Martyres et alios eximiae sanctitatis excipimus, purgatione indigere, simul agnoscunt. Non igitur temere a doctissimis Theologis dictum fuit, orationem pro mortuis cum doctrina Purgatorii ita esse conjunctam, ut una sine altera stare non possit. Nec opponi debet obstinata Graecorum recentiorum contradictio, illam licet disciplinam conservent. Quippe quamdiu in simplici illius observatione constiterunt, nulla inter eos et Latinos controversia intercessit. Verum cum ea quae subtiliter magis quam vere, a nonnullis jactabantur, impugnare conati sunt: multa per summam calumniam Latinis imputaverunt, quae nunquam universali Ecclesiae consensu recepta fuerant, aut fidelibus ad credendum proposita: ipsi in gravissimos errores prolapsi sunt, quibus carent Orientales. Sane in omnibus Liturgiis pro illis tantummodo Christianis, qui in fide obdormierunt, preces offeruntur, non pro infidelibus, nisi pro illis qui adhuc in saeculo constituti ad Deum converti, et poenitentiam agere possunt, de quorum salute non desperandum, et idcirco pro illis orandum, docent Jacobus Edessenus et Dionysius Barsalibi, quod Ecclesiasticae omnium saeculorum disciplinae conforme est. Cum oratur Deus, ut animas eorum qui in Christiana fide vixerunt, etiam laudabiliter, liberet a poenis inferni, a doloribus sempiternis, ab igne inextinguibili, non ita haec intelligunt, ut illorum animas, talibus subjacere suppliciis existiment. Verum statim rationem subjungunt, quia nullus hominum mundus a peccato est, praeter Jesum Christum: nullus timere non debet si Deus nobiscum non agat secundum misericordiam suam, sed secundum peccata nostra. Non igitur magis impingi illis similis error potest, quam Latinae Ecclesiae, quae rogat Deum ut liberet *animas fidelium defunctorum, de poenis inferni et de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus et ut transeant de morte ad vitam.* Cum etiam petunt Orientales a Deo, ut *animas fidelium collocet inter choros Sanctorum, in locis amaenis,*

unde fugiunt dolores, tristitia et gemitus, perpetuam felicitatem illis postulari nemo non intelligit, quae sub talibus metaphoris significetur. Nihil porro huc usque nobis occurrit in Theologorum scriptis aut in Homiliis, unde vel levissimum indicium capi possit, autores illarum orationum, quae ex sacris literis ut plurimum contextae sunt, quidquam aliud cogitasse, praeter illam felicitatem, ad quam facilius consequendam, viventium suffragiis et Ecclesiae voce adjuventur.

Quae objici possunt de consensu Orientalium cum Graecis.

Quod si nonnulli, ut Moses Barcepha, ad vulgarem Graecorum sententiam videntur parumper declinasse, cum *Paradisum in Eden ab initio plantatum, locum esse* dicit *ubi justorum animae recipiuntur ab adventu Christi, atque ibi collocatam fuisse boni Latronis animam; post universalem vero Resurrectionem nullius usus futurum,* Doctoris inter suos celebris opinionem agnoscimus, et privati potius judicium, quam Ecclesiae Jacobitieae fidem, cujus expositiones variae publica autoritate scriptae, simile nihil continent. Sed neque confirmatur inde Graecorum nova Theologia, imo potius evertitur: nam si tertius locus admittitur, in quo requiescant justorum animae, illas in quiete agere et, si non modis omnibus plena, certa tamen, timorisque de sua salute vacua felicitate perfrui, negari non potest. Accedit, quod ipsi quae in Latinis damnant, committunt, cum tertius ille locus, qui nec infernus sit, nec coelum, sed Paradisus terrestris, in quo sancti ad ultimum usque judicium plenam beatitudinem expectent, nullam habet in scripturis autoritatem, cum ignis purgatorius in ea fundetur, juxta Patrum multorum Graecorum et Latinorum sententiam. Si diversa aliorum de illis ipsis scripturae locis judicia fuerunt: at de re ipsa consensus illorum aperte patet, cum opinionem de utilitate orationum et sacrificiorum pro defunctis fidelibus, et disciplinam eamdem ubique servaverint, omissis variis quaestionibus, *curiosis potius quam ad fidelium aedificationem utilibus, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio.* Eas a popularibus concionibus secludi jubet Tridentinum Concilium: incerta etiam, vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari prohibet. Nihil tamen frequentius a quibusdam hominibus inculcatum Orientalibus fuit, quam haec omnia, quibus, si Tridentinos Patres audiissent, abstinere debebant inter populares suos, multo magis, de fide tractantes cum hominibus indoctis, quos Catholicam et Orthodoxam fidem docere satis erat.

Mos. Barc. de Parad. p. 1. c. 18.

Conc. Trid. sess. 25.

Agnoscunt Orientales et laudant Dialogos Gregorii Papae.

Unum addemus et quidam hujus generis argumentum, quod maximi ad illam quaestionem explicandam momenti est. Habent antiquitus Graeci versionem Dialogorum Gregorii Papae, quam per multa saecula cum aedificatione legerunt et probaverunt, etsi multa de Purgatorio in illis contineantur. Ex Graeca Versione, Arabica facta est, anno Graecorum MXCI. J. C. DCCLXXIX. cujus exemplar ante annos septingentos, scriptum in membranis, extat in Bibliotheca Colbertina. Ita neque Graeci, neque Arabes Christiani ignoraverunt quid vulgo doceretur in Romana Ecclesia, neque tamen ante Florentinam Synodum controversia de Purgatorio ulla fuit. Antea igitur perfecta erat de doctrina consensio, quae similiter utrimque observatae disciplinae respondebat. Turbata illa est, cum adversus quosdam Theologos, qui for-

tasse plura a Graecis exigebant, quam fidei regula praescriberet, disputarent: isti vero dum incautius accusatoribus suis resistunt, ultra illius terminos progressi in varios errores impegerunt, ut superius probatum est, disciplinamque corruperunt, dum orationum et sacrificiorum suffragia ad impoenitentes, ipsosque infideles extenderunt. Haec vero omnia cum Orientales ignorent veteremque disciplinam constantissime huc usque retinuerint, cur illis similes errores attribuantur, causa idonea nulla est.

P. 38. l. 5.

Credimus, accedimus, obsignamus, etc.

Consignatio et unio utriusque speciei.

Haec oratio, et quae cum illa conjungitur caeremonia, ea est quam Graeci vocant Ἅγιαν Ἕνωσιν, *unionem* scilicet specierum duarum, ut per eam demonstretur, id quod oratione quae Barsalibio tribuitur exprimunt, per quemdam modum professionis fidei, *hoc esse corpus istius sanguinis; hunc esse sanguinem istius corporis.* Cum vero plerique Codices Mss. Rubricis careant, quo ritu consignatio et unio ista fiat non explicatur, quamvis disciplina omnium Ecclesiarum Orientalium, similis omnino fuisse multis argumentis judicetur. Quomodo fiat apud Coptitas accurate exposuit Gabriel Patriarcha, cujus verba retulimus in Commentario ad hunc Liturgiae Basilianae locum. Simpliciter Nestoriani ex particula calici immissa et madefacta, reliquas et ipsum calicem consignant. In Graeca Jacobi Liturgia discrimen observatur a Syriaca: quod ἕνωσις et consignatio fiat in ista ante Orationem Dominicam: in Graeca post Orationem Dominicam. Ita autem Graeca se habent *Εἶτα κλᾷ τὸν ἄρτον ὁ ἱερεύς, καὶ κρατεῖ τῇ δεξιᾷ τὸ ἥμισυ, καὶ τῇ ἀριστερᾷ τὸ ἥμισυ καὶ βάπτει τὸ τῆς δεξιᾶς ἐν τῷ κρατῆρι, λέγων, Ἕνωσις τοῦ παναγίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, τοῦ κυρίου, καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Καὶ σφραγίζει τὸ τῆς ἀριστερᾶς· εἶτα τούτῳ τῷ ἐσφραγισμένῳ, τὸ ἄλλο ἥμισυ· καὶ εὐθέως ἄρχεται μελίζειν καὶ πρὸ πάντων διδόναι εἰς ἕκαστον κρατῆρα ἁπλῆν λέγων. Ἡνωται καὶ ἡγίασται, καὶ τετελείωται εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί. Καὶ ὅταν σφραγίζῃ τὸν ἄρτον λέγει· Ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρός, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, σφραγισθεὶς ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, καὶ σωτηρίας. Καὶ ὅταν δίδω τὴν μερίδα ἁπλῆν εἰς ἕκαστον κρατῆρα λέγει. Μερὶς ἁγία Χριστοῦ πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, πατρὸς καὶ ἁγίου πνεύματος, ᾧ ἡ δόξα κλ.* Hoc est ex veteri interpretatione. *Deinde Sacerdos frangit panem, dimidiumque dextra, sinistra vero dimidium tenet, et quod tenet manu dextra, immergit in calicem dicens.* Unio sanctissimi corporis, et pretiosi sanguinis Domini et Dei ac servatoris nostri Jesu Christi. *Et signat id quod tenet manu sinistra, deinde hoc signato, alterum dimidium signati, ac statim incipit dividere, et ante omnia distribuere in singulos calices, partem unam dicens.* Unitum est et sanctificatum et consummatum, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper. *Et cum signat panem dicit.* Ecce agnus Dei, filius

P. 238. et seq.

Patris, qui tollit peccata mundi, mactatus pro mundi vita et salute. *Et cum distribuit unam partem in singulos calices dicit.* Portio sancta Christi, plena gratiae et veritatis Patris et Spiritus sancti, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Non ita omnino, unionem specierum duarum faciunt plerique Orientales, sed parum refert: cum omnibus solenne sit, ut in Latina Ecclesia, particulam unam, vel plures calici immittere.

Ritus fractionis et unionis.

Quomodo Coptitae illam observent videri potest in illorum Liturgia, et in Commentario ad eum locum: plures autem quam Syri caeremonias adhibent, quarum tamen una est intentio et significatio. Ubi Oblata consecrata statim in multas partes dividitur ex majori, quam *Σπουδικὸν* vocant Graecae Liturgiae Alexandrinae, unde Coptitae suum *Isbodicon,* aut *Asbadicon* formaverunt, consignatio fit calicis, et aliarum particularum. In omnibus autem Liturgiis Orientalibus, eadem prope fractionis ratio est. Nam ab initio Oblata in multas partes dividitur: Particulae quae calici immittuntur et intinguntur, ex majore illa sunt quae in medio disco collocatur, et circa quam aliae ordine disponuntur. Alia autem est ratio fractionis, quae fit ad calicis consignationem et ad *Sanctam unionem τὴν ἁγίαν ἕνωσιν*, et aliarum. Nam prima fit statim atque dona proponuntur in altari: secunda in quibusdam Ecclesiis in ipsa consecratione, cum dicitur *et fregit,* cujus fractionis nullum extat in Syrorum ritu indicium. Tertia cum ex majori particula, alia demitur, et calici immittitur: plures, cum calices ministeriales illa admistione *confirmandi* sunt, ut antiqui Latini Rituales loquuntur. Quarta tandem cum tota Oblata consecrata in multas particulas dividitur, ut Sacerdotibus distribuantur, ante quam calix ipsis praebeatur, aut calici immittatur ad Laicorum communionem. Haec ita se habere ex aliarum Liturgiarum autorumque testimoniis intelligitur: cum Graeca Rubrica quam retulimus, aliquam habeat obscuritatem. Neque enim eodem momento confirmantur calices, quo fit Ἕνωσις in primo calice, cujus solius Syriaci Rituales meminerunt.

Unio quando fiat ritu Syriaco.

In eadem Graeca Jacobi Liturgia praemittitur Ἑνώσει non modo Oratio Dominica, sed proclamatio *Sancta sanctis:* in ritu Syriaco eidem subjungitur, quo in articulo potior videtur Syriaci, quam Graeci Codicis autoritas. Ut enim saepius observatum est, cum veteres omnes Liturgiae sint absque Rubricis, si quando in Codicibus reperiuntur, non semper recte dispositae sunt, quod in eo contigisse ex quo Graeca editio, et Latina versio expressa est, videtur omnino verisimile. Nam Ἁγία ἕνωσις, sive Unio duarum specierum, actio distincta est a fractione, quae fit ad distribuenda Sacramenta, quod Officiorum omnium Orientalium et Occidentalium testimoniis demonstratur. Neque, ut mox dicebamus, unica fractio est proprie loquendo, sed multiplex, et distincta. Primam quae fit cum Oblata altari imponitur, observare Syros ex Officio generali constat; secundam soli Coptitae faciunt: tertiam ad consignationem, omnes, ante quam fiat elevatio, cum dicitur *Sancta sanctis:* et mox quarta et ultima, cum majores particulae in minores franguntur, tum ad communionem Sacerdotum, tum ad confirmandos calices, tandem ad immittendas alias calicibus, ex quibus cum cochleari Eucharistia

intincta Laïcis datur. Unde qui Codici Graeco Rubricam adjunxit, duas diversas in unam videtur compegisse.

P. 38. l. 13.

Diaconus *dicit Catholicam.*

Catholica quid sit.

In Codice Florentino et in aliis bonae notae ita legitur, neque de veritate lectionis potest dubitari, cum illam agnoscat et explicet Barsalibi in suo Commentario. Illius vocis loco, alia reperitur in quibusdam Codicibus, quales fuerunt, quos expressit Romana editio: et illa vox est ברודיקי *Brodiki* vel *Prodiki.* Peregrinitas ejus statim agnoscitur: ex qua lingua in Syriacam migraverit, difficile dictu est. Sed parum refert, cum Versio Arabica ministerii Diaconici libro adjuncta, eam explicet per כרזא, quae *Proclamationem* significat, et orationem elata voce dicendam, ut *Catholica* dici debet: unde in aliis Syriacis exemplaribus vocatur ברזיתא. Dicitur etiam כולניתא: hoc est *generalis*, sive *Καθολική*, ut ait Barsalibi, cujus haec verba sunt. *Incipit Diaconus Catholicam: et illa generalis oratio est, quia de omnibus memoriam revocat. Quidam dicunt, Apostolorum temporibus non extitisse Catholicam illam, quae ab illis verbis incipit.* Iterum atque iterum: *Sed quod Patres qui illos subsecuti sunt, eam rite admodum adjecerunt, ut statim post Diptycha recitaretur, ne mens populi in profundo silentio, quo Sacerdos ministerium Sacramentorum perficit, alio evocaretur. Neque*, ut prosequitur, *una et eadem est Catholicarum forma: aliae enim plano cantu recitantur; aliae per modulose et responsoria. Aliae rectae sunt, aliae nullatenus approbandae.* Probat autem et eximiam esse affirmat, eam quam versione expressimus. *Ecce sacrificium hoc perfectum est.* Illam porro formam non mediocris antiquitatis esse inde patet, quod legatur in Constitutionibus Apostolicis, quarum antiquitas, de qua inter Theologos controvertitur, scissionem Ecclesiae per Jacobitas aliquot saeculis antecedit. *Ἔτι καὶ ἐτι δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ διὰ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προκομισθέντος, κυρίῳ τῷ Θεῷ, ὅπως ὁ ἀγαθὸς Θεὸς προσδέξηται αὐτὸ διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ ἐπουράνιον αὐτοῦ θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ταύτης, καὶ τοῦ λαοῦ, δεηθῶμεν. Ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς, παντὸς πρεσβυτερίου, πάσης τῆς ἐν Χριστῷ διακονίας καὶ ὑπηρεσίας, παντὸς τοῦ πληρώματος ἐκκλησίας δεηθῶμεν, ὅπως ὁ κύριος πάντας διασπρίσῃ, καὶ διαφυλάξῃ. Ὑπὲρ βασιλέων καὶ τῶν ἐν ὑπεροχῇ, δεηθῶμεν . . . τῶν ἁγίων μαρτύρων μνημονεύσωμεν· ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων δεηθῶμεν. Iterum atque iterum oremus Deum per Christum ejus, ut bonus Deus suscipiat illud sacrificium, per mediationem Christi sui, ad altare suum coeleste, in odorem suavitatis. Pro hac Ecclesia, et populo, oremus: pro omni Episcopatu, omni Presbyterio, omni Diaconatu et ministerio omnis plenitudinis Ecclesiae oremus: ut Dominus omnes servet atque custodiat....Pro Regibus et iis qui in dignitate sunt, oremus. Martyrum sanctorum memoriam faciamus: pro iis qui in fide defuncti sunt,*

oremus. Illas igitur orationes ex Apostolico instituto originem habere, non tam Constitutionum illarum autoritas probat, quam Orientalium omnium Liturgiarum consensus, quarum nulla, *Catholicam* illam precem non repraesentat. Illius Orationis meminit Joannes Chrysostomus his verbis *Διὸ καὶ ὁ ἱερεὺς ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης, ὑπὲρ τῶν προτέρων, ὑπὲρ τῶν νῦν εὐχαριστεῖν κελεύει. τῆς θυσίας προκειμένης ἐκείνης. Unde et Sacerdos, pro universo orbe, pro iis qui prius fuerunt, et qui nunc sunt gratias agere jubet, hoc sacrificio proposito.* *In Matth. Hom. 25. p. 179. Ed. Gr.*

In ea quam retulimus formula, occurrunt haec verba de Angelis, *Et ei* (sacrificio scilicet) *cum terrore ministrant*, quae in textu Syriaco ambiguitatis aliquid offerre videbuntur. Sententia simplicissima est quam aliae orationes magis perspicue exprimunt, coelestes spiritus coram altari, in quo Christi corpus est, ministerium suum, obsequii scilicet, et venerationis exhibere.

Fractio Oblatae.

Fractio hostiae.

De fractione Eucharistiae haec habet Barsalibi. Accipit Oblatam Sacerdos eamque frangit in duas partes quo significet verbum vere passum esse in carne immolatumque et fractum fuisse in cruce. Accipit deinde partem ex corpore, eamque intingit in sanguine et cum ea signat super corpus, etiamsi, cum parte quae est in manu ejus, prius leviter tetigerit, sive pupugerit eam partem quae est in disco. Ita significat transfossum lancea fuisse Christum in latere suo. Deinde cum totum corpus, sive omnes quae in disco sunt particulas signat, significat ipsum esse qui occisus, sanguine suo respersus est: ipsum qui dixit in coenaculo *Hic est sanguis meus*: et in cruce cum latus ejus lancea apertum est, exivit ex eo sanguis et aqua, quibus respersus est. Quando ex sanguine corpus signat in formam crucis, unionem facit animae cum corpore, significans quod postquam separata est anima Verbi a corpore ejus, reversa est, eidemque rursus unita: quamvis nullatenus divinitas ejus separata fuerit a corpore ejus aut anima. Panis est corpus Verbi Dei: vinum autem ejus anima: quia sanguis est typus animae, sicut scriptum est, quod omnis carnis anima, sanguis ejus est. Iterum postquam signum fecit ex sanguine super corpus, unit et conjungit ad invicem duas illas partes Oblatae: atque ita significat, Emmanuelem unum esse, neque divisum post unionem in duas naturas: significat etiam, quod postquam in cruce immolatus est, pacificavit per sanguinem crucis suae, univit et conjunxit coelestia cum terrenis: populum cum populis et animam cum corpore. Oblatam quoque dum in circulum circumfert, significat quod pro peccato totius orbis immolatus est in cruce. Primo circumfert illam ad dexteram: secundo a sinistra refert ad dexteram, ut significet quod Dominus a sinistra, sive ab errore ad dexteram nos reduxerit.

Accipit particulam ex corpore et mittit illam in calicem, ut intelligatur hunc esse sanguinem hujus corporis, et hoc corpus hujus sanguinis, non alterius, sed utrumque idem quod in cruce immolatum est: significatur etiam, quod licet in vasis duobus posita sint corpus et sanguis, tamen unum corpus dominicum est, Verbi Dei.

Postea corpus in plures particulas dividit, quia ita fecit Dominus cum corpus suum fregit et divisit in coenaculo: particula quoque sive Margarita quae in calicem mittitur, significat, hunc sanguinem esse hujus corporis, unumque et eumdem esse occisum, in sanguine et corpore.

Observat praeterea idem Barsalibi praeter illas particulas quibus consignatio fit et quae in calicem mittuntur, aliquas majores reservari tanquam praecipuas partes corporis dominici, quae dignioribus praebentur ad communionem: quod non satis videtur explicatum. Neque enim Orientales existimant particulam ullam alia esse digniorem: et istam opinionem refellit Echminensis in sua Canonum Collectione, docens in exigua particula aeque contineri Christi corpus, ac in tota Oblata. Verum cum, ut alibi ex Jacobo Edesseno, aliisque Syris autoribus observatum est, Episcopis, si qui adsint, et sacerdotibus particula praebeatur, tum calix ex quo sanguinem bibant, illae particulae in disco reservantur: reliquae intinctae, cochleari administrantur. Monet etiam Barsalibi ut dum particulae majores franguntur, etiam ad communionem infantibus distribuendam, Sacerdos det operam ut signum crucis, quod singulis impressum est conservetur. Nempe, ut alias observavimus, Panes Eucharistici sive Oblatae, multis cruciculis signantur, et particula illa quae crucem habet, est proprie loquendo ea quam נמירתא, *Carbonem, Margaritam, Sigillum* vocant. Quod igitur ait Barsalibi, de infantibus intelligendum qui glutire possunt et mandere, non de aliis: ut nequo particula ejusmodi integra semper data est: cum in minutissimas partes, etiam apud Graecos comminui Oblata soleat, et calici immitti, unde cochleari accipitur, et communicanti administratur.

P. 39. l. 9.

Sacerdos ante orationem dominicam.

Oratio ante *Pater noster.*

Brevis quaedam praefatio orationi Dominicae, ritu Orientali, quem Occidentales quoque retinent, praemitti solet. Ita dicimus, *Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere.* Pater noster, etc. Oratio quam Syri, hoc loco recitant expressa est ex Graeca, quae incipit. Ὁ Θεὸς καὶ πατήρ, τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ, cum levi discrimine, quod observatur quoque inter alias ejusdem linguae Liturgias. Jacobus Edessenus. *Cum Sacerdos omnes orationes absolverit, dat pacem populo,* hoc est *dicit* Pax cum omnibus vobis; *et ter signo crucis facto, benedicit, dicens.* Misericordiae Domini sint super vos. *Mox frangit et signat Eucharistiam, tum incipit orationem dominicam, quae deinde a populo integra recitatur:* In illis verbis agnoscitur hujus partis Liturgiae dispositio. Usi-

tatum porro est toto Oriente, ut Sacerdos celebrans prima verba orationis dominicae sola, alta voce pronunciet, reliqua secreto apud se recitat. Populus prosequitur. *Sciendum*, inquit Barsalibi, *quod Sacerdotem primo oporteat incipere orationem dominicam, quasi linguam corporis Ecclesiae: mox eam reliqui fideles prosequuntur.* Dicitur autem Syriace, quamvis plebs linguam non intelligat, ut apud Aegyptios veteris linguae aeque imperitos, Coptice. Nam licet habeant versiones Arabicas Orationis dominicae, quibus privatim uti solent, in Officiis publicis illis non utuntur: saltem nullum autorem aut librum Ritualem vidimus, qui, ut in lectionibus sacrae Scripturae consuetudo est, utraque, vulgari et antiqua lingua pronunciari Orationem dominicam, etiam obscure significet. Explicationes illius multas habent, quarum aliae Theologicae sunt, aliae ad plebis captum simpliciores: sed in Ecclesiis non leguntur.

Diaconus. *Inclinate capita vestra.* *P. 39. l. 27.*

Preces quae Orationi Dominicae subjiciuntur, Graecis accurate respondent, usurpanturque in omnibus Liturgiis. Monitio Diaconi ad populum, ut capita coram Deo inclinent, indicatur tantum per primas voces, in ipso Liturgiae contextu, sed extat in Officio Ministerii Diaconici. Nec habet quidquam, quod frequentissime non legatur in variis orationibus, in quibus agnoscere se testantur Orientales Christi corpus in altari positum; quod ex multis testimoniis alibi relatis certissime demonstratur, Habet hoc loco Graecus Codex orationem, quae Syris non est in usu. *Ἅγιε ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος*, sed quae occurrit alibi.

Inclinatio capitis quae hic praescribitur, ut *γονυκλισία* in Graeco exemplari, non refertur ad solennem, quae paulo post subsequitur Eucharistiae adorationem, sed ad suscipiendam benedictionem Sacerdotis, qua populus praeparetur ad Confessionem sinceram fidei, secundum illam formulam, *Unus pater sanctus*, etc. quam omnes Liturgiae repraesentant, et singulares alias de Incarnationis mysterio, tum de veritate corporis et sanguinis Christi vere praesentis in altari, et mox communicantibus exhibendi. Qui enim testimonia aliquot veterum, quae nihil minus quam adorationem Eucharistiae significabant, ad eam detorquere conati sunt, isto ritu longe probabilius uti poterant, quod tamen nulli, ut opinor, venit in mentem, quia plerique veteres Liturgias aut non consuluerunt, aut non intellexerunt: multo minus, qui, ut plerique Protestantes omniumque audacissimus, simulque disciplinae tam veteris quam novae imperitissimus Claudius, Eucharistiae adorationem veteribus Christianis aut Orientalibus aeque incognitam fuisse affirmaverunt: de qua disciplinae parte, et dictum est ad Copticas Liturgias, et mox dicetur.

P. 40. l. 14.

Sancta sanctis.

Elevatio Eucharistiae et adoratio.

Hom. 31. ad Pop. Ant. It. Hom. 60. ad Heb. 17.

Vix ulla caeremoniarum Liturgicarum pars est, quae cum ista possit de antiquitate contendere, praesertim in Ecclesiis Orientalibus. Nam de illa formula, qua, ut ait Chrysostomus, sancti ad Eucharistiae communionem soli vocantur, et illius et omnium aliorum Patrum Graecorum infinita extant testimonia. Illam disciplinam imitatae sunt et huc usque retinuerunt omnes Orientales Ecclesiae, cum Liturgia nulla sit Graeca, Syriaca, Aegyptiaca, Aethiopica aut alterius cujuscumque linguae, quae illam non repraesentet. De Aethiopica fortassis litem movebunt erudituli quidam, qui nullum de rebus Aethiopicis, Ecclesiasticis etiam, autorem habent praeter Ludolfum, de cujus imperitia rerum sacrarum, et mala fide, nimium fortasse multa aliquibus dixisse videbimur: pauca, ut apparebit ex Dissertationibus de hoc argumento nostris, dixisse nos agnoscetur. Nam formulam illam ita interpretatus est *sanctuarium sanctis*, quod absurdissimum est, nihilque significat, ut fusius ostendemus in Notis ad Liturgiam Aethiopicam.

Quomodo fiat.

Cum *sancta sanctis*, a Diacono, aut a Sacerdote inclamatum est, Sacerdos elevat Eucharistiam: praemissa secundum Graecum codicem ea quam diximus oratione. *Ἅγιε ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος: Sancte qui in sanctis requiescis.* In Liturgiis Aegyptiacis et Graecis Alexandrini ritus, elevatio similiter praescribitur, quae si ex rubricarum defectu non legitur in Syriacis plerisque, observatur tamen, ut ex Rituum Interpretibus et Theologis demonstratur. In Commentario ad Basilii Liturgiam multa de hac caeremonia jam dicta sunt, non modo quae ad Coptitas proprie spectant, sed etiam quae Syros, quorum illic nonnulla testimonia relata sunt. Cum enim ad illorum Liturgiam explicandam adjecissemus animum, nondum Syriacas interpretari et publicare constitutum nobis fuerat. Itaque non revolvemus illa quae jam dicta sunt eo loco, et ad omnes Orientis Ecclesias aeque pertinent, ea sola quae Syris propria sunt, attingemus. Eo loco Jacobi Edesseni, Dionysiique Barsalibi verba relata sunt, quae elevationem Sacramenti praescribunt accurate, qui Severi quoque Antiocheni autoritate disciplinam suam confirmant. *Signat Sacerdos ter signo crucis populum*, inquit Jacobus Edessenus, *eumque admonet quod sancta haec, puris et sanctis solis dantur. Tum elevat et ostendit Sacramenta omni populo, tanquam in testimonium: et clamant:* Unus Pater sanctus, etc. Severus Antiochenus, *Signat populum dicens*: Gratia sit vobiscum, etc. *Diaconus.* Cum timore aspiciamus. *Sacerdos.* Accedant qui sanctificati sunt. Sancta sanctis: *et elevat Sacramenta. Populus.* Unus Pater sanctus. Addit Barsalibi: *Sacerdotem elevare et circumferre Sacramenta clamando* Sancta sanctis: circumfert autem, ita ut loco non se moveat: Quamvis in plerisque Officiis, de elevatione calicis nihil praescriptum sit, illum tandem pariter cum disco attolli testatur in Commentario suo Barsalibi. Totam caeremoniam, qualis apud Coptitas observatur, diligenter explicavit Gabriel Alexandrinus Patriarcha cujus verba retulimus in Commentario, secun-

P. 215.

dum quam Sacerdos aliquamdiu partem illam Oblatae consecratae elevatam tenet, quo intervallo circumstantes usque ad terram procumbere venerabundos, deposita etiam capitum fascia, testantur Autores alii. In Graeca Alexandrina simpliciter. *Ὁ ἱερεὺς ὑψοῖ τὸ σποδιχόν. Sacerdos elevat Spodicon,* hoc est, ut alibi notavimus, *Δεσποτιχὸν σῶμα* videlicet, seu *Corpus Dominicum.*

Protestantes frustra et temere negaverunt elevari in Oriente Eucharistiam.

Cum igitur plerique, Protestantes praesertim, elevationem Eucharistiae certum haberi velint adorationis indicium, et praefracte illam tam a Graecis, quam ab Orientalibus observari negaverint, habent quod postulabant. Pigere sane deberet eos qui veritatem sectantur ignorantiae magistrorum suorum, qui rem quae solis oculis elucidari absque Theologia poterat, non viderint, quia elevationem quaerebant loco non suo. Volebant scilicet illam statim, postquam verba Christi pronunciata sunt, reperiri: aliter nullam esse existimabant, quod absurditatem habet cum summa originum Ecclesiasticarum inscitia conjunctam. Nam si elevationem Eucharistiae certum judicant adorationis argumentum, quod non ita constat, ut de eo dubitari non possit: parum refert quo tempore sacri Officii Sacramentum elevetur, modo id fiat. Cum vero turbari Reformationis specie Ecclesia coepit, debebant Reformatores Liturgias Graecas quae jam editae fuerant vel leviter inspicere: illam sane agnovissent, si non eo ipso loco, quo in Romana Ecclesia fieri solet, at paulo ante Communionem, cum inclamatur *Sancta sanctis.* Primos illos adversus Ecclesiam conjuratos, qui barbariem et inscitiam tam frequenter nostris Theologis exprobrabant, haec ignorasse nemo mirabitur, qui aliquam in studio antiquitatis Ecclesiasticae operam posuerit, cum multa alia minus recondita illos nescivisse constet, et tanquam superstitiosas Romanae Ecclesiae novitates, instituta pia prope omnia condemnasse, quae sancta veterum Patrum commendabat autoritas. At aetate posteriores, maxime Albertinum, virum infinitae lectionis, qui etiam sordidissimos scriptores excusserat, haec ignorasse, aut, quod pejus est, dissimulasse, excusationem nullam habet. Negaverunt tamen elevari aut adorari Eucharistiam, quamvis adoratam illam semper esse constet, etiam cum elevationis mentio nulla foret: et si in illa sola, cultus religiosi nota certa constituenda est, illam Graeci et Orientales in libris suis consignatam habeant, et cum religione observent. Ita Claudius Carentoniensis, cui credere si malint tot ejus sectatores, potius quam indubitatis autorum, librorumque Ritualium testimoniis, illorum res agitur: sed ut testi imperitissimo rerum illarum, potius quam libris vetustis et indigenis credatur, nunquam obtinebunt: quo enim jure talis testis audiri posset, etiam a corruptissimo judice. At eruditorum Protestantium, eorum maxime qui linguarum Orientalium peritia commendantur, judicium non refugimus: imo ad illos provocamus, ut si quid habent in reconditis illis suis thesauris Orientalibus, quo refelli quae diximus de elevatione et adoratione Eucharistiae perspicue possint, ea proferant, publicaeque luci tandem exponant, heroemque illum suum a falsi crimine, quo reum illum facimus coram tota Christiana republica, si possunt, vindicent. Id autem praestabunt si autori-

tates producant Episcoporum, Patriarcharum, Canonum, Ritualium, quibus Eucharistiam non adorari probetur; aut quae inclinationem totius corporis, genuumque coram illa flexionem prohibeant: vel tandem monitum Liturgiis inscriptum, quo, ut in Anglicana, caveatur, ne quis propterea Eucharistiam adorare vellet. Haec enim sunt argumenta quibus in causa tam seria uti quisque debet, non inanibus peregrinantium aut mercatorum narrationibus, a quibus tamen non semel magnus ille Claudius vapulavit. Nihil contra valent familiares Epistolae hominum in Anglia de Constantinopoli somniantium: non nebulonum per Europam discurrentium perjuria, multo minus gerrae Hottingerianae. Neque tamen aliis autoritatibus *παράδοξα* de Orientalibus sua stabilivit, Catholicorum, ut suis dictus est, maximus triumphator, quae valebunt apud eruditos et veritatis amantes, si quando judicatum fuerit meridie non lucere.

Significatio formulae *Sancta sanctis*.

De formula *Sancta sanctis*, jam nonnulla dicenda sunt. Illius significatio simplicissima est, nempe *Sancta*, hoc est mysteria verbis Dominicis et adventu Spiritus sancti consecrata, non esse danda, nisi sanctis, hoc est fidelibus Christianis pie et sancte viventibus, et immunibus a peccatis, quae animam uno ictu perimunt, et per poenitentiam debent expiari. Ita passim haec verba explicantur a Theologis Orientalibus juxta communem Graecorum Patrum doctrinam. Ita Gabriel Patriarcha Alexandrinus, Michael Antiochenus, et alii multi. In Ecclesia Alexandrina, verba ipsa ut multae aliae veteres formulae, Graece pronunciantur *Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις*: quae ob linguae Graecae imperitiam, non uno modo Arabice interpretata sunt. In quibusdam enim Codicibus verba Arabica significant, *hoc est sanctum sanctorum*, quae sententia pia licet et vera, verbis tamen non convenit. Syri in quorum nullis Codicibus illa a nobis Graece reperta sunt, felicius eadem sunt interpretati, sed ita ut quaedam addiderint, *sancta sanctis, in perfectione, puritate et sanctitate traduntur*. In plerisque aliis simpliciter legitur, *sancta sanctis*. Quid illis verbis intellexerit vetus Ecclesia, et quid *sancta* significaverint: *τὰ ἅγια μυστήρια*, non actio ipsa sacra, et celebratio Eucharistiae vocabantur, sed dona sive elementa panis et vini, in altari proposita et mox consecrata, quae, ut tunc Graeci *τὰ ἅγια δῶρα*, ita Orientales *sancta mysteria*, aut simpliciter *sancta* appellant. Haec denominatio, ut aliae, *corporis sancti et sanguinis pretiosi*, qua vulgo uti solent, omnes eorum qui Catholicam de Eucharistia doctrinam impugnant rationes evertit. Inhaerentem enim ipsis elementis sanctificationem significat, non illam metaphoricam, ex usu eorumdem elementorum cum fide, quam solum medium quo accipitur corpus Christi, esse volunt. Sancta sunt enim antequam suscipiantur; non in ipsa susceptione, sancta fiunt, hoc est corpus et sanguis Christi. Neque sanctitas illa simplex est benedictio, aut consecratio materiae ad gratiam aliquam sacramentalem conferendam destinatae, ut aquae, et olei, aut chrismatis. Illa enim sanctitatem quamdam per orationes Ecclesiae percipiunt, et ea ratione sancta aqua Jordanis, sive Baptisterii dicitur, sanctum Myron sive Chrisma, sanctum oleum: at sanctum absolute sive *sancta τὰ ἅγια*, de sola

Eucharistia dicitur, quia illam esse credunt rem sanctissimam, nempe corpus et sanguinem Christi, quibus nihil sanctius. Nunquam porro vocare dona consecrata solent *panem sanctum et vinum sanctum*, sed panem vitae aliquando, quem Christus ipse se esse dixit: tanta est Orientalium non modo in rebus Eucharistiam spectantibus, sed etiam in illis explicandis religio.

Unus Pater sanctus, etc.

P. 40. l. 15.

Omnibus Orientalibus communis est hoc loco fieri solita a populo Trinitatis Confessio, scilicet ut antequam admittantur Christiani ad Eucharistiae participationem; brevem de Trinitatis mysterio Confessionem pronuncient. Illius meminerunt Jacobus Edessenus, Barsalibi, Canonum Collectiones variae, et Rituum Interpretes. In Liturgia Coptica Graece dicitur, ut plerumque solennium orationum formulae. *Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος· ἓν πνεῦμα ἅγιον. Unus Pater sanctus; unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Amen.* Ita in Alexandrina Graeca Basilii: in Coptica, aliquando sola prima verba reperiuntur, sed plerique Codices melioris notae, illam totidem verbis repraesentant. Talis est Syriacarum omnium lectio, absque ullo discrimine. In Graeca tamen Jacobi, tota oratio ad Christum refertur. *Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστός, εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus, in gloriam Dei Patris, cui gloria in saecula saeculorum.* Ita quoque legitur in Graecis Basilii, Chrysostomique Liturgiis. Addunt Syri Doxologiam brevem, quam ex Libro Ministerii Diaconici transtulimus. Subjiciunt Coptitae eximiam illam fidei de Eucharistia Confessionem, de qua videnda sunt, quae in Commentario ad illorum Liturgiam observavimus. Quamvis enim nulla professio fidei simplicior et a metaphoris remotior inveniri queat, in Graecis, Latinis vel Orientalibus Officiis, non tamen antiquissima est, ut suo loco monuimus, cum praeter confessionem, quae veram corporis et sanguinis Christi praesentiam significat, addita sint nonnulla quae Monophysitarum doctrinam continent, qua sola ratione novitas eorum deprehenditur, cujus originem designavimus. Quod vero ad profitendam Eucharistiae fidem spectat, antiqua omnino est, neque alia a simplici illa et vetustissima formula, qua fideles Eucharistiam suscipientes utebantur. *Corpus Christi. Amen.* Illis enim tribus verbis idem intelligebant, quod postea pluribus explicatum fuit. *Corpus sanctum, pretiosum, verum, Emmanuelis filii Dei hoc est vere.* Amen. *Sanguis pretiosus verus, etc.* Nam cum haec verba Graece etiamnum dicantur apud Coptitas; antiquitatis ultra Muhamedana tempora, haec nota certa est. Syri a simplicitate non discesserunt, neque minus tamen praeclara in orationibus ante et post Sacramentorum perceptionem, ejusdem fidei testimonia in orationibus passim occurrunt: ut quae extant in Codice Colbertino, et in illo quem secutus est Boderianus, praeter alias quae leguntur in variis optimae notae Mss. Neque id factum sine exemplo, cum Graeci similes orationes suis Liturgiis adjunxerint: et

Com. ad Lit. Bas. p. 244.

Lit. p. 79.

P. 250.

pluribus verbis, quae vetus formula tribus exprimebat, recentiores explicaverint. Intellexerunt igitur, id quod Catholici pertendimus, per *sancta sanctis*, et *Corpus Christi. Amen*, significari, hoc quod ostenditur et communicantibus praebetur, esse ipsum corpus Christi, non quod Albertinus post mille et amplius annos excogitavit, *mysticum et metaphoricum, quod ipsi fideles non minus sint, quam elementa consecrata*, sed verum, in quo incarnatus, passusque, ascendit in coelum. Cum porro istae Confessiones fidei, non heri aut nudius tertius prodierint, sed ab undecim saeculis in actione, qua religiosiorem non habet Ecclesia, quotidie publice pronunciatae fuerint, verbis ita perspicuis ut dubitationem non admittant, si aliqua superesset in simpliciore formula, per alteras discuteretur. Verum istas nec Albertinus, nec Salmasius, nec alii Protestantes tetigerunt: quam bona fide, lectorum esto judicium. Qui enim ex istis Liturgiis habere se unde Catholicos refellerent, tam jactanter affirmabant, Salmasius ex Coptica Gregorii, Albertinus ex Aethiopica, Confessionem illam fidei quae in utraque statim subjuncta legebatur, explicare nobis debebant. Operae quippe pretium fuisset docere nos, verba propria et maxime significantia, plebi dicta, et demonstratione Sacramenti magnisque religionibus determinata, non illam doctrinam designare, quam, quisquis audit, intelligit: sed aliam penitus contrariam, eamque non ante ducentos annos natam, quam qui habeat in animo, quibuscumque verbis aliis, quam similibus exprimendam judicet.

P. 41. l. 13.

Sacerdos accipit corpus Christi.

Communio quomodo percipiatur.

In Commentario ad istam Copticae Liturgiae partem, ritum communionis satis fuse exposuimus, adeo ut pauca dicenda supersint, quia ut omnia quae ad communionis disciplinam spectant, uno conspectu exponerentur, non ea modo, quae ad Coptitas proprie spectabant, sed etiam multa Syris propria, simul explicavimus. Quod igitur Ecclesiis omnibus commune est, Sacerdos primus accipit corpus Christi, tum ex calice bibit sanguinem Christi. Deinde sacerdotibus qui sacrificio interfuerunt, sacram particulam ipse porrigit: calicem quoque dat ipse, vel Diaconus, ut ex eo bibant. Ita etiam alicubi observatum fuit ad communionem Diaconi ministrantis; vulgo tamen, tam ipsi quam Diaconis et reliquis ex Clero, particula intincta cochleari distribuitur, postea tandem Laïcis. Communis est Graecis, ut omnibus Ecclesiis Orientalibus haec disciplina, quam paucis verbis complexus est Meletius Piga Patriarcha Graecorum Alexandrinus *Τοῦτο δὲ παρ' ἡμῖν τοῖς ἀνατολικοῖς εὐτάκτως γίνεται, παρ' οἷς εἰσέλθονται εἰς τὸ θυσιαστήριον (τοῦτο γὰρ τὸ ἱερὸν βῆμα) οἱ ἱερεῖς μετὰ τοῦ ἀρχιερέως, ἢ τοῦ τὸν ἐκείνου τόπον ἐπέχοντος, στολὰς ἐνδεδυμένοι, ἱερὰς μεταξὺ ἱερουργοῦντες, καὶ λειτουργοῦντες· ἐκτεταμέναις ταῖς χερσὶ λαμβάνουσι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ· μετὰ δὲ ταῦτα, τὰ χείλη τῷ ἱερῷ προσπελάσαντες, καὶ προσάψαντες ποτηρίῳ, τὸ αἷμα ἀρύουσιν· ἀλλὰ ταῦτα ἠνωμένα ἄμφω, διά τινος ὀργάνου, ἁρμοδίως*

Opusc. Gr. Gennad. etc. p. 111.

τούτῳ τῷ λειτουργήματι προηντρεπισθέντος, εἰς τὸ στόμα ἐμβάλλεται τοῖς λαϊκοῖς. *Hoc autem* (scilicet communionis distributio) *apud nos Orientales praeclaro ordine fit, apud quos Sacerdotes cum Pontifice, vel eo qui locum ipsius tenet, ingressi ad altare, sive, quod idem est, sanctuarium, sive sacrum Bema, sacris amicti vestibus, dum sacro ministerio dant operam, porrectis manibus accipiunt corpus Christi, deinde labra sacro calici admoventes, sanguinem hauriunt: sed haec ambo conjuncta, instrumento quodam ad hoc ministerium, concinne accommodato, Laïcis in os ingeruntur.* Haec Meletius, qui nihil habet quod Graecis Orientalibusque Liturgiis et Ritualibus non confirmetur.

De eo ritu Protestantes siluerunt.

De illo ritu Sacramentum distribuendi, ne verbum quidem a Protestantibus, in tot de Communione sub utraque specie commentariis fieri videmus, quia scilicet ritualem illam materiam, etiam doctissimi inter illos prorsus ignoraverunt. Attamen, ut alibi fusius ostendimus, haec disciplina omnes illorum de calicis bibendi necessitate argumentationes funditus evertit: neque enim calicem bibere censendus est, qui minimam particulam intinctam vino consecrato, accipit in cochleari. Inde factum, ut etiam, cum inter Catholicos, quod aliquando contigit, de intincta communione diversae fuerunt sententiae: quibus illa non satis probabatur, eodem argumento pugnarent; cum ita calicem Domini bibi negarent. Consentiebant tamen, in utraque specie corpus et sanguinem Christi vere contineri: neque tantum de re ipsa, quantum de caeremoniali praecepto contentio inter illos erat. Nullus enim negabat intincta communione accipi verum corpus Christi, sed rite id fieri aliquibus non videbatur, quia ex instituto Christi calix eo modo bibi non videbatur. Protestantes vero negant corpus aut sanguinem suscipi, nisi panis edatur, et calix bibatur, quod Orientalibus nunquam in mentem venit, ut ex tota illorum disciplina manifestum est. Non igitur illam a Latina Ecclesia acceperunt, quae simile nihil observat, neque Episcopi aut Sacerdotes, de Laïcis calice defraudandis unquam cogitaverunt: neque Laïci de injuria contra praeceptum Christi sibi facta questi sunt, cum ex certis testimoniis constet eos non dubitasse, quin etiam in minima particula corpus et sanguis Christi continerentur, ut prae aliis accurate explicavit Echmimensis, et reliquis, quibus cura religiosa ad Eucharistiam distribuendam, usque ad minimas circumstantias commendata est.

Bona *Rerum Liturg. l. 2. c. 18.*

Observationes de Syrorum disciplina.

In Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam ex Syriacis autoribus nonnulla retulimus, ut disciplinae concordia magis elucesceret. Quaedam tamen hoc loco repetere, non inutile est, cum ad Ecclesiam Syriacam proprie spectent. Antiquissimum habemus ex illius Nomocanone testimonium, libri qui *Houdoio* appellatur, hoc est, ut vulgo loquuntur, *Directorium*, disciplinae vetustioris, secundum quam ita praescribitur. *Postquam acceperunt Sacerdotes corpus Christi, illi calicem bibent, sibique invicem bibendum praebebunt, postea saecularibus.* Nempe tunc ubique non minus in Ecclesiis Orientalibus quam in Latina, calix omnibus praebebatur, unde sequitur, *Sacerdoti non licet absque calice corpus sanctum tribuere: sed si fieri potest,*

ipse dabit corpus, Diaconus vero calicem bibendum praebebit, quod legitime et secundum Canones fiet, cum praeceperit Dominus in hunc modum: Edite ex corpore meo, et bibite ex sanguine meo. Nihilominus permittitur intincta communio his verbis. *Quod si id fieri non potest, corpus intingat Sacerdos, in calice quem Diaconus dextra tenet, communionemque det, ut in Occidente facere solent.* Diximus haec verba referri posse ad Latinos, vel ad Graecos, aut Aegyptios: nam ad quos proprie pertineant haud satis intelligitur. Illud quoque verisimile est, intelligi intinctionem particularum, quae calici immittuntur, quas Sacerdos celebrans educit ex calice quem Diaconus gestat, cum cochleari, cujus usus antiquissimus est. Nam praeter illam particulae majoris intinctionem, quae fit in unione et consignatione duarum specierum, in nullo ritu reperitur Sacerdotem particulas exiguas, quales sunt quae communicantibus distribuuntur, sola manu absque cochleari in calice intingere. Id enim facere vix posset, quin Sacerdos extremos digitos simul tingeret, quod ne fiat multis Canonibus cavetur, et si acciderit, poena canonica gravissima proponitur. Sed, ut saepe monuimus, omnes usque ad minutias caeremoniae in libris non quaerendae sunt. Illud modo certissimum haberi debet diversitates aliquot, si quae in administranda Eucharistia observari possunt in diversis Ecclesiis, tales esse, ut nulla alicujus momenti sit, omnesque vel cum Graecae vel cum Latinae etiam disciplina conveniunt, sive ea quae olim observata fuerit, sive quae etiamnum viget: nulla quae cum Protestantium Coenae variis formis possit conciliari. Nunquam enim quisquam inter illos de unione specierum, aut de fractione, qualis in Oriente fieri solet, cogitavit: multo minus de particularum intinctione aut de cochleari, vel calamo, qui tantum in Occidente locum habuit. Haec enim omnia, ut ipsi agnoscunt, ex realis praesentiae persuasione originem habuerunt, quam habuisse in animo illius disciplinae primos autores, omnino oportuit. Ita igitur credebant Christiani illi veteres, dudum antequam ipsa disciplina invalesceret: receptam vero illam in Oriente fuisse, ultra omnium schismatum memoriam vel ex eo satis constat, quod illam Orthodoxi, Nestoriani, et Jacobitae toto passim Oriente aeque retinuerunt, unde ante Concilium Ephesinum, et Calchedonense, disciplina et fides ex qua profecta erat, probabantur ab omnibus. Hinc funditus evertuntur inanes illae omnes Epochae, mutatae circa Eucharistiam fidei, in quarum substructione tantum stulti laboris etiam doctissimi Protestantes impenderunt. Quid enim poterat hoc in genere Paschasius, cujus ne nomen quidem ad Orientales unquam pervenit, aut Joannes Damascenus Graecis notissimus, sed Aegyptiis, Syris, omnibusque aliis, non ignotus modo, sed tanquam fidei perversae Nestorianorum et Jacobitarum impugnator, suspectissimus, et haereticus.

Variae distribuendae Eucharistiae forma.

At multis ante utrumque saeculis, et Eucharistiae specierum commistio, et cochlearis usus apud omnes receptus erat: et cochlear Latini semper ignoraverunt, ut Graeci calamum, cujus usus superest in solemni Missa Romanorum Pontificum, et in aliquot antiquissimis Ecclesiis, ut San-Dionysiana, secundo a Lutetia lapide. Apud omnes igitur Christianos constitit simul, varia

distributionis mysteriorum forma: ita ut calix non Ecclesiasticis modo, sed Laïcis primitus daretur, ut factum quoque diu in Occidente fuit. Eoque ipso tempore communio intincta dabatur apud Orientales Syros, duobus modis: nempe particula intincta a sacerdote in calice quem gestabat Diaconus: et eadem jam in calicem immissa, quae cochleari praeberetur. Primae formae alibi quam in citato loco ex Directorio Syrorum, nullum vestigium huc usque invenimus: sed cum non dubia sit libri illius autoritas, quin id quod describitur, in Syriacis Ecclesiis aliquando factum sit, vix potest dubitari. Manifestum est autem, particulam intinctam calicis usum, quem tantopere Protestantes urgent non repraesentare; nam calice secundum illam formam Laïci privabantur. Sequentia verba talia sunt. *Quod si nec illud poterit intingere, ob nimiam populi multitudinem, antequam separet*, (hoc est secundam in minutiores particulas fractionem facial) *margaritam intingat in calice, tempore fractionis, et ita det communionem, sicut in Oriente solemus facere.* Itaque jam, cum illa disciplina scripta est, indifferens erat dare bibendum calicem, aut intinctam communionem praebere, ex *margaritis*, sive minutioribus particulis, quae calici immissae et sanguine madefactae, cochleari praebebantur.

Sequitur in eadem Constitutione. *Sacerdotibus autem et Diaconis Episcopus vel Sacerdos communionem dabit cum cochleari. Episcopus vero, si per se communicare velit, ascendet ad altare et descendet Sacerdos: illeque communicabit, aut a Sacerdote communionem accipiet. Archimandrita autem et Archipresbyter a Sacerdote celebrante illam accipient.* Sane si vel minimae du usu cochlearis dubitationi locus esset, discuteretur illa per hoc testimonium, quod consuetudine aliarum omnium Ecclesiarum sufficienter confirmatur. Similis ubique est sacrorum mysteriorum reverentia, statim atque consecratio illorum perfecta est; et cum distribuuntur fidelibus, et erga residuas illorum particulas: ut in Commentario ad Basilii Liturgiam dictum est, tum alio in loco, ubi de cura religiosa Sacramenti apud Orientales observata fusius diximus; de qua erunt quoque adjicienda nonnulla, ex propriis Syrorum autoribus. *Perp. T. 4. l. 3. c. 5.*

Diximus, in Liturgiis raro quae singulares caeremonias spectant adscribi solere, idque codices prope omnes palam faciunt, cum aliunde peterentur, praesertim ex non scripta traditione, quaecumque ad rite celebranda Sacramenta pertinebant. Haec observatio erga istam quam exponimus D. Jacobi Liturgiam locum habet, non minus quam erga alias, quarum usus non adeo frequentatur. Verum illum qualemcumque defectum supplent, quantum opus erat, Officia generalia. In isto, quae ad ritum Communionis spectant satis accurate explicantur, ut agnoscere facile sit maxima Syriaci ritus cum Aegyptiaco, quem Gabriel Patriarcha et Abulbircat fuse referunt, similitudo.

Ritus communionis ex Officio Generali.

Praescribitur in Syriaco illo Officio, ut Sacerdos, postquam dicta fuerit brevis Confessio, *Unus pater sanctus*, quae aliquot orationes ad arbitrium recitandas, subjunctas habet, operiat mysteria velis suis, accipiatque cochlear, et particulam quam ipse pro communione sumere debet: illud super calicem colloceet, istam in disco. Tum descendit ab altari prostratusque coram illo,

pronunciat aliquot orationes praeparatorias ad communionem. In Aegyptiaco ritu Sacerdos celebrans loco non se movet; dum similis sententiae orationes secreto recitat. Quae autem particula ܓܡܘܪܐ sive ܓܡܘܪܬܐ *Gamouro* sive *Gamourto* vocatur; ea est quam Alexandrini Graeci *Στοιχεῖον*, hoc est *Δεσποτικὸν* supple *σῶμα* Arabice scribentes *Isbodicon*, vel *Isbadicon* vocant, de qua voce superius diximus: Neque una sola major prae aliis, quae elevabatur, et populo adoranda ostendebatur, ex qua etiam calix signabatur, sacerdosque communicabat, sed aliae minores: ita vocantur, nam illam vocem plurali numero Arabes usurpant, ut hoc loco Syri alteram.

Dum communicat Sacerdos dicit orationem, quam nemo, nisi realem transmutationem firmiter credat, possit pronunciare. In vetustis Codicibus non reperiuntur orationes similes, quod ad publicum minus, quam ad privatum Sacerdotis mysteria pie suscipientis Officium pertineant: neque enim aliter quam privatim recitantur, et ea sola ratione in ipsa sacra actione locum non habent, ut in Graecis Liturgiis, aut Latinis missalibus, nec idcirco perit illarum autoritas. Nam in Libro Ministerii Diaconici Syrorum Jacobitarum, et in Nestorianorum Officiis ut in eo quod Graeci vocant *Ἀκολουθίαν τῆς ἁγίας μεταλήψεως Ritum sacrae Communionis* et passim alibi, tales orationes occurrunt. Dicent forlasse nonnulli: recentiores cum sint, autoritatem illarum nullam esse, vel mediocrem: at etiam si ita foret, saltem illas, Ecclesiarum apud quas in usu fuerunt, suntque etiamnum, fidem repraesentare negari non posset, quod ad Claudii divinationes refellendas abunde sufficit. Sed novitas illa sexcentos, ut minimum, annos superat: cum inter preces illas una sit quae Dionysio Barsalibi tribuitur; vivebat autem ille cum Franci Hierosolymis regnabant; et illius aetatis comparatione, omnes Reformatorum doctrina et disciplina recentissimae sunt. Eam quoque reperimus in variis codicibus adscriptam cum autoris elogio, unde omnibus probatam illam fuisse constat. Alteram inseruit ipsi Liturgiae Dioscorus Gordyaeorum Episcopus, aeque significantem. Neque haec a Latinis accipere Jacobitae Syri potuerunt, quando quidem tales orationes non habemus, nec ulla inter illos et nostros homines illis temporibus communio aut societas intercessit, ut alibi satis probatum est.

Postea in Codice Colbertino, sequitur Mysteriorum distributio, de qua caeremonia, ut notissima, nihil singulariter praescribitur: verba tantum referuntur, quae Sacerdos celebrans tunc pronunciat. Ibi statim occurrit vox illa, de qua diximus ܓܡܘܪܬܐ *Gamourto*, quae perspicue sacras particulas hoc loco significat. Nam Barsalibi satis eam explicat, dum ita vocat particulam quae calici immittitur: alias quae ad communionem Ecclesiasticorum primae dignitatis reservantur et minores quae praebentur Laïcis: Margaritam quoque vocat, quae vox sacras particulas significat, utraque per Metaphoram. Vox Syriaca ܓܡܘܪܬܐ duplicem originem, utramque stilo Ecclesiastico familiarem, habere potest. Prior est simplicissima deducta scilicet a verbo ܓܡܪ, quod, ut Hebraice, ita etiam Syriace significat inter alia, *absolvere*, *consummare*, *perficere*. Eo significatu *Gamourto* idem erit ac Graecum *τελέωσις* vel *τελετή*, quibus vocibus Graeci Sacramenta novae legis, prae-

sertim vero Baptismum et Eucharistiam designant, ut ex recentioribus Theologis manifestum est. Ea quoque ratione, Nestorianorum Catholicus Elias, voce Arabica cujus vis eadem est, sacra mysteria appellavit in Expositione fidei Christianae. In prima illa acceptione vox Syra τελετὴν seu Sacramentum Eucharistiae significabit. Verum, ut supra observavimus, cum eadem vox *Carbonem* quoque significet, et ita appellatas constet, non a Syris modo, sed a Coptitis particulas panis Eucharistici consecrati, per metaphoram a visione Isaiae expressam, aeque huic loco haec significatio potest convenire. Secundum hanc significationem dicunt: *Carbo propitiatorius corporis et sanguinis Christi Dei*, quia apud Prophetam legitur: *Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Dicitur autem τελετή, seu carbo, corporis et sanguinis Christi, quia particula quae communicantibus praebetur, per unionem seu Ἁγίαν ἕνωσιν, de qua superius, et intinctionem, secundum communem Orientalium fidem, continet corpus Christi et sanguinem, ut etiam gutta quantumvis minima ex calice. Doctrinam enim *concomitantiae*, ut schola vulgo loquitur, non minus quam nos agnoscunt, ut de Graecis recentioribus perspicue constat, ex Epistolis Meletii Piga Patriarchae Alexandrini, a nobis editis. De Orientalibus, etsi rem ipsam Theologice non tractaverunt, non minus certum est ex constanti illorum disciplina, secundum quam, dum viaticum infirmis deferunt, solam panis consecrati particulam illis praebent. Infantibus, si illam deglutire non possunt, digito in calice intincto plenam corporis et sanguinis Christi communionem dare se non dubitant. Haec autem fusius exposita sunt in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam, et alibi cum de Communione sub una vel utraque specie tractatum est: quae repetere opus non est, cum valde similis ubique hac in parte sit Orientalium disciplina.

Isaiae c. 6.

Opus. Gr. p. 106. et seq.

Sequitur in eodem Officio communi Colbertino *Sacerdotem portare discum dextera, calicem sinistra: cumque progressus fuerit a parte septemtrionali ad australem, elevare dexteram, tum egredi mysteria* sive Sacramenta, hoc est extra sanctuarium deferri, *ad communionem Laicis et postea foeminis impertiendam.* Haec caeremonia accuratissime describitur in Rituali Gabrielis Patriarchae Alexandrini, ab Autore scientiae Ecclesiasticae, et aliis. Quamvis autem paucis verbis illam Syriaci Rituales definiant, qualis fuerit sufficienter intelligitur. Discus enim sacer particulas habet consecratas, quae elevantur, et ostenduntur. Ipsi autem Protestantes elevationem Eucharistiae cum ejus adoratione tantopere conjunctam judicant, ut quod illam caeremoniam in Graecis Codicibus multis non reperirent, non adorari ab illis Eucharistiam affirmaverint. Igitur etiam ex illorum sententia ubi elevatur, adoratur: atque adeo cum elevetur apud Syros, adorari quoque illam necesse est. Verum cultus ille religiosus tam perspicuis argumentis probatus est in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, et alibi, ut eadem repetere necesse non sit: cum talia sint, ut illorum vis et autoritas per frivolas cavillationes eludi nequeant. *Egrediuntur mysteria*, quia Laïcis intra sanctuarium communionem accipere non licet: multo minus foeminis,

quae separatae a viris singularem in Ecclesia stationem habent, et ad eas Eucharistia defertur, eo ritu quem fuse describit Gabriel Alexandrinus Patriarcha, cui similem eum esse quem Syri observant, ut existimemus, multa suadent: quod in diversam opinionem inducat nihil occurrit. Quanta enim religione sacra mysteria apud Syros tractari soleant, quanta cura sit particularum minimarum: quanta severitas erga illos quorum negligentia aliquid decidit, ex illorum Nomocanone cujus varia hoc in genere testimonia retulimus, satis apparet. Regulae illae si alicubi non observentur, ut ex Itinerariis probare Claudius conatus est, Sacerdotum peccatum fuit, non alienae ab omnibus aliis Ecclesiis fidei indicium. Porro ubi disciplina non minutatim describitur, ad communem, praesertim illis Ecclesiis, quae eamdem fidem profitentur, recurrendum est. Illa est ut Laïcis communio distribuatur per intinctam particulam quae Cochleari praeberi solet: et illud habent Syri ut ex praecedentibus observationibus intelligitur. Diaconus calicem gestat: aut si calices ministeriales adhibentur, ob communicantium multitudinem, alii Diaconi illos gestant: proceduntque simul extra sanctuarium, usque ad septum mulierum. Plura non habent Syriaci Rituales.

Observatio de Diaconissarum Officio.

Verum hic offert se observatio singularis quae Syros proprie spectat, circa Diaconissarum officia. Ordinationem aliquam in Ecclesia Graeca illas olim habuisse ex variis autorum testimoniis et Pontificalibus, probavit vir Clarissimus Joannes Morinus: et inter alias caeremonias observavit, calicem illis in manus dari, ut sanguinem Christi bibant, sed illas in altari eum reponere, nulli vero bibendum illum praebere. Inter Ordinationes Syrorum quas idem edidit, singularis nulla Diaconissarum reperitur, ut neque in Codice Florentino: tamen eamdem honoris praerogativam illas habuisse apud Syros dubitari non potest, imo majores nonnullas, quarum mentio est in Responsis Canonicis Joannis Episcopi Telalensis, cujus saepe testimonia referuntur in Nomocanone. Testatur enim *Diaconissis licere non modo calicem accipere de manu Sacerdotis, sed etiam posse illas absente Sacerdote, aut Diacono, sororibus suis in Monasterio Eucharistiam administrare, imo et pueris, modo quintum aetatis annum non attigerint: vasa etiam sacra abstergere et abluere, ipsis licere* adjungit. An igitur in communione mulieribus distribuenda pars aliqua ministerii Diaconici illis attributa fuerit, dicere non possumus: sed nihil simile observatum a nobis huc usque fuit, in disciplina Ecclesiae Alexandrinae, in qua Diaconissarum vix ulla memoria est: quae etiam inter Syros et Graecos ipsos dudum obliterata est. In ipso etiam Nomocanone, ubi frequentissime referuntur Joannis Telalensis testimonia, nulla istius Diaconissarum ministerii mentio est. Sed haec quaestio, si Deus vitam concesserit, alibi fusius explicabitur, in Commentario de sacris Orientalium Ordinationibus.

De sacr. Ord. P. 3. Exerc. 10.

Ms. Syr.

Multa Commentario suo inseruit Dionysius Barsalibi, quae cum ad Theoriam, sive significationem mysticam spectent, omisimus: ea enim aliunde satis nota est, eique non absimilis quam fuse exposuit in sua Theoria, Germanus Constantinopolitanus Patriarcha. Satis visum est ea observasse quae tum

ad disciplinam, tum ad fidem spectabant. Tandem omnes orationes et caeremonias, quibus illae quarum interpretationem damus Liturgiae constant, aut explicat aut designat ille Theologus: adeoque veram Officii Eucharistici formam in illis contineri certum esse debet.

DE SEQUENTIBUS LITURGIIS MONITUM.

Liturgias quae sequuntur in ordinem certum distribuere qui vel temporum rationi responderet, vel earum dignitati, quae ex frequentiori usu duceretur, non facile est. Codicum Mss. etiam antiquissimorum, certa dispositio nulla est, cum nullus inter plurimos quos tractavimus, omnes, quarum versionem damus, Liturgias contineat. Ex autorum quorum nominibus inscribuntur, antiquitate vel dignitate, conjectura capi nulla potest, cum titulorum fides exigua sit, et aliquas quae Apostolorum, aut sanctorum Patrum nomina praeferunt, recentiores esse constet. Itaque primo referetur Liturgia Jacobi brevior a Gregorio quodam Catholico ordinata, quod cum majori, quae omnium vetustissima est, maximam habeat affinitatem. Sequetur Liturgia Xysti Romani, quia in aliquot antiquis codicibus, ut in Romana Missalis Chaldaici editione primum locum tenet, et ad eam Officium commune accommodatum est.

LITURGIA

MINOR SANCTI JACOBI

FRATRIS DOMINI ORDINATA PER GREGORIUM CATHOLICUM ORIENTIS, INTER MONTES ARMENIAE MAGNAE AN. GRAECORUM MDCCCCIII. J. C. MDXCI.

Oratio ante Pacem.

Deus omnium Domine, praesta nobis indignis salutem hanc, ut absque dolo conjuncti per vinculum caritatis, salutemus invicem in osculo sancto et divino, offeramusque tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo et Spiritui sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo. Demus Pacem.

Sacerdos. Ipse qui es solus Dominus misericors, qui in excelsis habitas, et humilia respicis, mitte benedictiones ad eos qui inclinant colla sua coram te, et benedic illis per gratiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, etc. Amen.

Deus pater qui per amorem tuum erga homines magnum, misisti filium tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne Domine rejicias cultum hunc nostrum, sacrificii hujus incruenti; quandoquidem in miserationibus tuis et non in justitia nostra confidimus. Ne ad judicium nobis veniat mysterium hoc, quod ad salutem nostram institutum est: sed ad abolitionem peccatorum nostrorum, et ad gratiarum actionem referendam tibi, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto, nunc, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Gratia.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, nos opifici omnis creaturae gratias agere, eumque adorare et glorificare.

Elevans vocem. Quem laudant Virtutes coelestes; corporeae et incorporeae (creaturae) sol et luna et omnes stellae, terra et maria, primogeniti descripti in Jerusalem coelesti, Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Virtutes, Cherubim multioculi, Seraphim sex alis instructi, qui opertis faciebus et pedibus, volant alter ad alterum, sanctificant, clamant et dicunt.

Populus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Vere sanctus es, et sanctificator, rex saeculorum. Sanctus etiam Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus. Sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur abscondita tua. De terra hominem creasti, et in paradiso collocasti: cumque transgressus fuisset mandatum tuum, non deseruisti illum errantem, sed direxisti illum per Prophetas: tandemque unigenitum filium tuum misisti in mundum, qui incarnatus est de Spiritu sancto, et ex Maria Virgine: et renovavit imaginem tuam, quae deturpata erat.

Elevans vocem. Cum vero paratus esset ad suscipiendam mortem voluntariam, pro nobis peccatoribus, ipse qui peccatum non fecerat, accepit panem in manus suas sanctas, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit † et fregit, deditque Apostolis suis sanctis, et dixit. Accipite, manducate ex eo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem accepit, et gratias agens † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem Apostolis suis sanctis, et dixit. Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in meam commemorationem: quando communicabitis huic mysterio, mortem meam et resurrectionem meam commemorate, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine, etc.

Sacerdos. Mortem tuam commemoramus Domine, et resurrectionem tuam post dies tres, ascensionem quoque tuam in coelum sessionemque ad dexteram Dei Patris: nec non adventum tuum secundum, in quo judicaturus es orbem in justitia, et reddes unicuique secundum opera sua. Idcirco sacrificium hoc incruentum offerimus tibi, ut non secundum delicta nostra facias nobis, neque secundum peccata nostra retribuas nobis: sed secundum miserationes tuas multas, dele peccata nostra, servorum tuorum. Populus enim tuus et haereditas tua deprecatur te et per te Patrem tuum dicens:

Populus. Miserere. *Sacerdos.* Nos quoque.

Sacerdos. Invocatio Spiritus sancti.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos. Exaudi me. Miserere nostri, Deus Pater, et mitte super nos, et super oblationes istas, Spiritum tuum sanctum, qui est Dominus, aequalis tibi et Filio, throno, regno, et substantia aeterna: qui locutus est in Testamento veteri et novo tuo: qui descendit specie columbae super Dominum nostrum Jesum Christum in Jordane flumine, et tanquam linguae ignis super Apostolos, in coenaculo.

Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut illabens efficiat panem istum, † corpus vivificum, † corpus salutare, † corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem istum perficiat, † sanguinem Novi Testamenti. † sanguinem salutarem, † sanguinem ipsius Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sanctificent animas et corpora, communicantium illis, ad ferendos fructus operum bonorum, et ad confirmationem Ecclesiae sanctae, quae super petram fidei stabilita es, et a portis infernalibus superari non potest. Et libera eam a scandalis haereticorum usque in finem, ut referat tibi gloriam et laudem, et unigenito, etc. Amen.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi sacrificium hoc incruentum, pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta, toto orbe diffusa, ut largiaris illi donum Spiritus tui sancti.

Memento etiam, Domine, Patrum nostrorum piorum et Orthodoxorum, Patriarchae nostri Domini N. et Domini N. et Episcopi nostri Domini N. Presbyterorum quoque et Diaconorum, et totius Ordinis Ecclesiastici: cum infirmitate mea. Peccata juventutis meae ne memineris mihi, sed secundum misericordiam tuam vivifica me. Memento quoque fratrum nostrorum captivorum, infirmorum, variisque morbis laborantium, et eorum qui a malignis spiritibus infestantur. Aëri quoque et coronae anni benedicito, perficiens bonam voluntatem tuam, erga omne vivens.

Elevans vocem. Et libera nos, Domine, ab omni impugnatione hominum malorum: ab omni incursu et infestatione daemonum, et ab omnibus plagis quae peccatorum nostrorum causa venturae super nos forent. Conserva quoque nos in observatione mandatorum tuorum sanctorum, quia tu Deus misericors es, et tibi gloriam referimus, et unigenito, etc.

Inclinatus. Memento Domine Patrum et Fratrum qui nobiscum adstant et orant: et eorum qui a nobis migraverunt: ut eorum qui voluerunt offerre, nec potuerunt: unicuique concede honestas petitiones suas.

Elevans vocem. Memento Domine omnium quorum meminimus, et quorum non meminimus. Suscipe sacrificia eorum in amplissima regione coelorum tuorum. Retribue illis laetitiam salutis, et praesta illis auxilium a te: robora illos virtute tua, et arma illos fortitudine tua, quia tu es misericors, et tibi gloriam referimus, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum et Reginarum, qui veram religionem profitentur: auxilium illis da per armaturam spiritus: omnes qui illos oderunt subjice illis, ut nos tranquillam vitam agamus.

Elevans vocem. Quia tu es salvator et auxiliator, dasque victoriam omnibus qui sperant in te, Domine, tibique gloriam referimus et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quandoquidem tu vivorum et mortuorum dominaris, memento Patrum sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Virginum, Genitricis Dei, Joannis Baptistae, Stephani, Martyrum, simul cum omnibus justis.

Elevans vocem. Rogamus te, Domine, ut robur des impotentiae nostrae: adjunge nos coetui primogenitorum descriptorum in coelis. Eorum autem commemorationem facimus, ut etiam ipsi memores nostri sint coram te, et communicent nobiscum huic sacrificio spirituali, ad conservationem vivorum, ad confortationem eorum qui inter nos aegrotant, et ad requiem fidelium qui decubuerunt Patrum, fratrum et magistrorum nostrorum, per gratiam, et miserationes unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Praesulum verorum, eorum qui a Jacobo principe Episcoporum, usque ad hanc diem, orthodoxam fidem in Ecclesiis tuis confirmaverunt.

Elevans vocem. Doctrinam illustrium illorum doctorum, qui portaverunt nomen tuum sanctum, coram populis, regibus, et filiis Israel, in animabus nostris confirma: haereses nobis perniciosas comprime: et praesta nobis ut consistere absque reprehensione possimus coram tribunali tuo tremendo: quia sanctus es, et sanctificator sanctorum; tibique gloriam referimus, et unigenito filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, omnium ex Ordine Ecclesiastico, qui in fide Orthodoxa pridem obierunt et quieverunt: et cujuscumque, pro quo sacrificium obtulerunt, et eorum qui nunc nominantur.

Elevans vocem. Domine, Domine Deus spirituum et omnis carnis, memento omnium eorum, qui in fide recta a nobis migraverunt: quietem praesta corporibus, animabus et spiritibus eorum, et libera eos a damnatione quae finem non habet. Cumula eos laetitia, in regione quam illuminat splendor vultus tui, delens praevaricationes eorum, nec intrans in judicium cum illis, neque enim quisquam purus est a peccato coram te, nisi solus unigenitus filius tuus, per quem etiam et propter quem speramus misericordiam consequi, et nobis et illis. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Remitte et parce Deus peccatis quae commisimus, cogitatione, verbo et opere, manifestis et occultis, quae tibi manifesta sunt.

Elevata voce. Finem nostrum autem absque peccato custodi, Domine, et congrega nos sub pedibus electorum tuorum quando, ubi, et quomodo volueris, solummodo absque confusione propter peccata

quae commisimus, ut in omnibus, glorificetur, et celebretur nomen tuum honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Sacerdos frangit et signat: Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui a Cherubim benediceris, et a Seraphim sanctificaris, quique a millies millenis, et decies millies decies millenis, exercituum spiritualium extolleris, qui oblationes, et fructus qui in odorem suavem tibi oblati sunt, sanctificas et perficis: sanctifica etiam animas, corpora et spiritus nostros, ut corde puro et facie non confusa, invocemus te, pater coelestis, oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Domine, ne inducas nos in tentationem, etc. et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem et unigenito.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra Domino.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Inclinaverunt tibi capita sua servi tui pauperes, quia divites sunt misericordiae tuae: mitte Domine benedictiones, et sanctifica animas, corpora et spiritus omnium nostrum, et fac nos dignos communicandi mysteriis vivificantibus Christi Salvatoris nostri: referemusque tibi gloriam et laudem et unigenito.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint.

Diaconus. Cum timore. Kyrie eleison.

Populus. Unus pater.

Oratio gratiarum actionis.

Sacerdos. Gratias agimus tibi, Domine, propter multitudinem miserationum tuarum, per quas meruimus communionem mensae tuae coelestis. Ne condemnemur, Domine, propter susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum; verum praesta nobis, ut communicemus spiritui tuo sancto, et cum omnibus justis qui a saeculo fuerunt inveniamus partem et haereditatem, referamusque tibi gloriam et gratiarum actionem, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Post susceptionem.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Deus magnus et admirabilis, qui propter salutem generis nostri humani inclinavisti coelos, et descendisti: propitius esto et miserere nobis, ut perpetuo glorificemus te Deum Patrem, Filium tuum et Spiritum tuum sanctum, nunc, etc. Amen.

Benedic. Domine. *Sacerdos.* Benedic omnibus nobis.

DE JACOBI BREVIORI LITURGIA OBSERVATIO.

Istius Liturgiae unicum habuimus exemplar ex Bibliotheca Colbertina, recens procul dubio, quandoquidem ejus antiquitas centum viginti annos vix attingit, ut intelligimus ex titulo, qui eam ordinatam esse docet anno Graecorum seu Seleucidarum MDCCCCIII. qui respondet anno J. C. MDXCI. Absque ea temporis nota fuisset, existimari poterat, brevioris istius Liturgiae Officium ordinatum fuisse a Gregorio Abulfaragio, ex multis aliis operibus Ecclesiasticis notissimo, de quo plura dicentur in Observationibus ad illius propriam Liturgiam. Eamdem enim ipse dignitatem Catholici seu *Mofriano*, obtinuit in Ecclesia Syra Jacobitica, ac recentior iste Gregorius. Sed cum Abulfaragium anno Graecorum MDXCVII. J. C. MCCLXXXV. mortuum esse constet, ex Codice Mediceo, Gregorius iste alius omnino fuit. Cum vero obscurissima

sit successio Patriarcharum Antiochenorum, multo magis Catholicorum, de eo nihil nobis dicendum suppetit, nisi per conjecturam. Extat in Bibliotheca Regia Codex Arabicus, quo continentur sermones Ethici Simeonis Monachi, filii Khalil, scriptusque notatur anno Graecorum MDCCCXCVII. J. C. MDLXXXIV. cum esset tunc Patriarcha Antiochenus, Mar Ignatius, cognomine Daoud Chah: Mofrian sive Catholicus Orientis Mar Basilius, cognomine Filatus: Metropolita Hierusalem, Gregorius cognominatus Karkari. Is igitur quoniam tempora conveniunt, potuit ex Metropolita Hierosolymitano ad Catholici dignitatem promoveri, quae superior est in Ecclesia Jacobitica Syriaca: in qua maximo, non minus quam apud Graecos, veterum Canonum contemtu, translationes Episcoporum a multis saeculis frequentissimae sunt.

Causa quae autorem movit, ut Jacobi Liturgiam in compendium contraheret, servatis orationibus necessariis, haec potissimum fuisse videtur. Variis Ecclesiasticis Constitutionibus tam apud Syros, quam apud Alexandrinos Jacobitas praecipitur, ut in sacramentis administrandis Liturgia celebretur: neque ullum prope est quod absque Liturgia fiat. Cum vero illa ritu Orientali satis prolixa sit, in Baptismo praesertim, qui aegrotanti aut moribundo infanti administraretur, accidere poterat, ut priusquam omnes orationes et caeremoniae perficerentur, moreretur baptisandus. In eo periculo praecipitur Sacerdotibus ut preces multas omittant, necessarias tantum pronuncient. Tanta porro est plerumque Sacerdotum Orientalium imperitia, ut in orationum delectu falli graviter possint; nec minor multorum temeritas. Vidimus enim Codices aliquot Liturgicos, ab ipsis descriptos, in quibus addiderant et sustulerant multa: et talem consarcinaverat Sacerdos quidam Mesopotamenus Abdelahad, sive Dominicus, qui Lutetiae diu vixit et diem suum obiit. Illud vero exemplar, quod Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Parisiensi, tanquam formam Liturgiae Orientalis obtulit, neque cum Mss. neque cum Romana editione consentiebat. Memini quoque Eliam Bagdadensem, quem toties Ricardus Simon loquentem inducit, cum Liturgiam celebraret ex Missali Maronitico, tria vel quatuor folia praeteriisse: respondisseque mihi, fecisse id, ne prolixitas orationum taedio esset circumstantibus. Videtur itaque Gregorius edita breviori Liturgia, et imperitiae et temeritati Sacerdotum consultum voluisse: laudando sane consilio.

Cum vero illa contineat preces et caeremonias omnes necessarias, ex viri qui secundam in Patriarchatu Jacobitarum Antiocheno dignitatem obtinebat sententia, quale de partibus Liturgiae judicium illius foret, hinc licet existimare. Itaque verba Christi sacramentalia, non minus quam Invocationem, necessaria judicavit, neque ea compendio tradidit, ut in quibusdam Liturgiis factum videmus, quo ex vitio idem Criticus probari credidit, Syros eodem errore laborare, quem Graecis recentioribus impingit, ex vulgari opinione. Agnoscitur quoque quid de invocatione Spiritus sancti sentiant, cum veterem quae in omnibus Codicibus cujuscumque linguae vel ritus lectionem, haec Liturgia repraesentet: quid etiam senserint de verbo נהוא quod est Graecorum ἀναδείξῃ, cum illud expresserint per נעבד *faciat, efficiat* ποιήσῃ, loquendo

de panis specie per משמלי τελειώσῃ *perficiat*, de calice. Ita enim Gregorius, cavillandi ex grammaticis observatiunculis occasionem praecidit, dum vocibus usus est, quae obscuritatis nihil haberent: et si qua fuerat in majori Liturgia, illam sustulit. Nihil praeterea in breviori ista occurrit observandum.

LITURGIA
SANCTI XYSTI PAPAE ROMANI.

Primum Oratio ante Pacem.

Tranquillitatem et pacem, et caritatem usque in saeculum, perpetuo concede Ecclesiae tuae et ovibus gregis tui, Domine: et referemus tibi gloriam, et laudem, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sanctissimo, bono, adorando et vivificanti, tibique consubstantiali: nunc et semper in saecula.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Mediam. Stemus decenter, oremus, confiteamur et adoremus, etc.

Sacerdos. In te, Domine, benedicamur omnes, et digni efficiamur ultimo illo bono, quod paratum est hominibus pacificis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Abalienationem a praestigiis peccati, et familiarem habitudinem ad opera justitiae, praestent nobis haec mysteria sancta, per oblationem, quam tibi offerimus, Domine, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Date Pacem.

Sacerdos dat Pacem altari ac illud osculatur: datque pacem Diacono, et dicit.

Pax tibi, altare Dei, et Pax mysteriis super te positis.

Et Diacono dicit. Pax tibi, Diacone Spiritus sancti.

Diaconus respondet. Pax tibi, Sacerdos venerande.

Sacerdos. Tu es petra dura quae emisisti duodecim rivos aquarum ad duodecim Tribus Israel.

Dant pacem in Ecclesia. Diaconus dicit.

Stemus decenter orantes: stemus cum timore, etc.

Sacerdos leviter commovet velum, et dicit.

Caritas Dei Patris: et gratia unigeniti Filii et communicatio et inhabitatio Spiritus sancti sint cum vobis omnibus, fratres mei, in aeternum.

Simulque signat ter populum signo crucis. Reversusque ad altare ter signum crucis facit, revolvitque vela, quibus discus et calix operiebantur, et dicit ter.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto: mysterio adorando et glorioso, in quo non est divisio: nunc et semper in saecula.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum sint mentes, intellectus et corda omnium nostrum.

Populus. Habemus ad te, Domine.

Sacerdos. Gratias agamus Domino cum timore, et adoremus cum tremore.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Corde, animo et lingua gratias agimus tibi, Pater, Fili, et Spiritus sancte, qui es unus Deus verus.

Elevans vocem. Cum turmis invisibilibus, et ordinibus innumerabilibus, spiritualiter et seraphice adjungit se populus omnis tuus fidelis, Domine, qui ter te glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater: Sanctus quoque Filius tuus unigenitus: Sanctus etiam Spiritus tuus sanctissimus: quia per dispensationem filii tui, liberasti mundum ab errore peccati.

Elevans vocem. Qui cum paratus esset ad passionem salutarem, in pane qui ab eo benedictus, sanctificatus, fractus, et distributus fuerat, Apostolis sanctis, corpus suum sanctificans dedit nobis dicens: accipite et manducate ex eo: Hoc est nempe corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et dividitur ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum, ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et in calice qui ab eo signatus, sanctificatus, et datus iisdem sanctis Apostolis fuit, sanguinem suum propitiatorium, dicens: accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic nempe est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum dedit nobis ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Adjunxit simul hanc admonitionem dicens: quotiescumque pani huic communicabitis, mortem et resurrectionem meam commemorabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos elevans vocem. Non oblivioni tradenda sunt nobis miracula stupenda dispensationis tuae salutaris, cum signis terribilibus adventus tui, quo retribuetur unicuique secundum opera sua, Domine: eapropter Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri Deus Pater omnipotens, miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque Domine, infirmi et peccatores servi tui, gratias agimus tibi et laudamus te pro omnibus, et propter omnia.

Populus. Te glorificamus.

Sacerdos. Praecipue vero et primario sanctam et benedictam semper Virginem B. Mariam Dei genitricem commemoramus.

Diaconus. Memento illius, Domine Deus: et per orationes illius puras et sanctas, parce nobis et miserere nobis. Quam timenda est haec hora: quam terribile tempus istud, dilecti mei, quo Spiritus sanctus de excelsis sublimibus coelis advolat, descendit, incubat et requiescit super Eucharistiam hanc propositam, eamque sanctificat. In silentio et timore state et orate. Orate pacem nobiscum, et tranquillitatem nobis omnibus: clamemus et dicamus ter: Kyrie eleison.

Sacerdos inclinatus. Propitius esto mihi, Domine, universoque gregi tuo et haereditati tuae: placitasque habe, et sanctifica oblationes istas, per illapsum Spiritus tui sancti: qui a te [3] procedit ab aeterno, et a Filio tuo accipit substantialiter.

Et genua flectens, dicit. Exaudi me Domine: exaudi me Domine: exaudi me Domine: et miserere mei.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos elevans vocem. Et veniat Domine Spiritus tuus vivus et sanctus; et requiescat super oblationem istam, servorum tuorum: sitque suscipientibus eam ad expiationem delictorum, ad remissionem peccatorum: ad resurrectionem benedictam a mortuis, et ad vitam novam et aeternam in regno coelorum. Et panem hunc, perficiat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, perficiat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et nos istos qui illis communicaturi sumus, faciant participes coelestis voluptatis apud te, Domine, et referemus tibi, etc.

Diaconus. Oremus et deprecemur, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, pastoribus Ecclesiae tuae, lingua potens, quae vinci non possit a doctrinis pessimae haereseos.

Elevans vocem. Et ora haereticorum, quibus blasphemant adversus nos obstrue, illosque conticescere fac, Domine: et referemus tibi, etc.

Diaconus. Iterum et iterum commemoramus omnes fratres nostros.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, remunerator eorum qui bona operantur, et liberator eorum qui in afflictionibus detinentur.

Elevans vocem. Gemitum afflictorum; clamorem pauperum, lacrymas oppressorum, et dolores eorum qui persecutionem patiuntur ne despicias, neque sileas, Domine: ut referamus tibi, etc.

Diaconus. Iterum commemoramus omnes Reges fideles, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, murus fortis omni civitati, regioni et regno, eorum qui secundum fidem rectam in te credunt, et ad te confugiunt.

Elevans vocem. Et eos qui numerant turres Sion spiritualis tuae per circuitum, terre et dissipa Domine, ut referamus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Iterum et iterum, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, confortator et adjutor eorum, qui confugiunt ad memoriam matris Christi tui: ut etiam sanctorum amicorum tuorum.

Elevans vocem. Et ad bona illa praeparata, quae illis a te reservata sunt, nos quoque et defunctos nostros fideles, pervenire fac, gratia tua Domine et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Iterum commemoramus Doctores, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, decor incorruptibilis, illorum qui praeclare rexerunt gregem tuum, quique in vera pietate ad te profecti sunt.

Elevans vocem. Et a vicinitate paternitatis eorum piae, per quam facti sumus filii gratiae tuae, et fratres unigeniti filii tui, ne removeas aut repellas nos Domine: et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Iterum commemoramus omnes defunctos, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, quietis autor, et propitiator defunctis fidelibus, qui redemti sunt per mortem unigeniti filii tui.

Elevans vocem. Ut per te, Domine, a morte salvati, et ex infernis erepti, atque e pulvere excitati, praevaleat sūper nos et super eos gratia unigeniti filii tui, per quem nos quoque misericordiam, quae propter eum est, consequi speramus et remissionem peccatorum, tam nobis, quam ipsis.

Populus. Quietem praesta, etc.

Sacerdos. Et in renovatione futura per resurrectionem generalem, ad convivium beatum regni tui nos et illos pervenire fac, per gratiam tuam, Domine: ut in hoc, sicut in omnibus, glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti tui.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, sint cum omnibus vobis, fratres mei, in sacculum.

Populus. Amen.

Sacerdos frangit et signat, dicens.

Credimus, accedimus, obsignamus Eucharistiam hanc, corpus Verbi Dei vivi, et sanguinem salutis et laudis signamus cum [5] particula propitiatoria, et plena mysteriis supernis, in nomine Patris vivi, ad vitam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et Filii unigeniti et sancti ab eo geniti, et cum eo similiter vivi: advitam. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et Spiritus sancti, principii, perfectionis, et sigilli omnium quae sunt et fuerunt in coelo et in terra: unius virtutis, unius potestatis, unius voluntatis, unius Dei veri; benedicti, excelsi et indivisi, a quo est vita in saecula saeculorum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Aperi Domine Deus, ora et labia nostra: sanctifica etiam corpora et animas omnium nostrum: purga quoque mentes et linguas nostras, ut deprecabundi clamemus ad te, Pater misericordiarum et Deus coelestis: oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. Omnia etiam quae nos deteriores aut imperfectiores faciunt, in ea commuta citius, Domine, quae nos meliores et digniores efficiant: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Omnes gratiae tuae, omnesque benedictiones tuae, et omnia dona tua divina, veniant, illabantur et effundantur super Ecclesiam tuam, et super gregem tuum, Domine, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Unusquisque.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Trinitatis sanctae et gloriosae, increatae, essentialis et aeternae, adorandae et consubstantialis, sit cum omnibus vobis, fratres mei, in saecula.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos elevans corpus, dicit. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine Deus potens Sabaoth, pleni sunt coeli et terra gloria tua. Elevare super coelos, Deus, et super omnem terram gloria tua. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis. Sicut oculi servorum ad dominos suos, et sicut oculi ancillae ad dominam suam, ita sunt

oculi nostri ad te, Domine, donec miserearis nostri. Miserere nostri, Domine. Miserere mei et libera me ab homine malo. Memento mei in regno tuo, cum advenies, fili Dei.

Elevans vocem. Sanctum sanctis, in perfectione et puritate et sanctitate datur. *Et dicunt.* Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.

Sacerdos elevans calicem dicit. O Domine in veritate credimus et credimus, sicut credit in te Ecclesia sancta, quod sit unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, qui unum sunt, in saecula.

Populus ad singulos versus, dicit. Ipsi gloria, Amen.

Sacerdos signat cruce populum, et dicit.

Gloria Patri qui sanctificavit, et Filio qui propitius fuit, et Spiritui sancto, qui illapsus est, et qui est principium, consummatio et sigillum omnium quae sunt et fuerunt in coelo et in terra: qui advolavit per miserationes suas, et demittens se per clementiam suam, venit et consecravit oblationem nostram, obsignavitque Ecclesiam, et filios ejus per virtutem magnam crucis: ipse demittat dexteram misericordiae suae, super regionem istam et omnes habitatores ejus fideles, praestetque requiem bonam defunctis ejus: spemque et custodiam viventibus in ea, et omnes qui in ea sunt, protege, Domine, sub alis misericordiae tuae.

Diaconus. Cum statis Sacerdotes, etc.

Sacerdos signans oblatam, dicit. Benedic, Domine, oblatam istam in sanctuario: benedicque agrum ex quo producta est. Praesta etiam requiem, et parce illis, pro quibus oblata et consecrata est, in saecula.

Sacerdos frangit oblatam, et dicit. Praesta, Domine, manibus meis infirmis, ut accedant et frangant corpus tuum sanctum, et filiis Ecclesiae sanctae dividam illud, cum fide vera. Benedictus es Domine Jesu Christe, panis vivus qui de coelo tuo descendisti, et factus es vita suscipientibus te, in saecula. Omnem fidelem qui nobiscum communicavit, participem illum fac, Domine, regni tui coelestis in saecula. Non in condemnationem, aut accusationem sit nobis corpus tuum et sanguis tuus Domine, in die judicii, in saecula. Domine Jesu Christe da nobis confidentiam coram te, quando revelaberis cum Angelis tuis in gloria magna, in saecula. Vivi et mortui

inveniant per illud, misericordiam in die judicii in saecula. *Et dicunt.* Laudate Dominum in sanctis ejus, etc.

Diaconus. Deprecamur.

Sacerdos frangit corpus, et tres particulas ponit super discum, aliam manu retinet et signat ex ea calicem, et deinde particulas quae sunt in disco in formam crucis, et dicit.

Inspergitur sanguis Domini nostri super corpus ejus sanctum: ipsi gloria, et super nos misericordia ejus in saecula. (*In al. codicibus.*) In nomine Patris et filii, et Spiritus sancti in saecula. Amen.

Et immittit particulam quam manu tenet in calicem, et dicit. Univisti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua, vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem tuam cum vita tua: accepisti nostra et dedisti nobis tua, ad vitam et salutem animarum nostrarum.

Sacerdos cum communicaturus est, dicit hanc Orationem inclinatus.

Te gesto, Deus, manibus meis et complector pugillo, Domine saeculorum, quem creaturae non continent: teque omnipotens in os meum pono. Praesta mihi, Domine, ut comedam te sancte, et per comestionem illam tui, expientur delicta mea, et per bibitionem sanguinis tui auferantur prava desideria mea: per te quoque dignus efficiar propitiatione delictorum et remissione peccatorum in die judicii, in saecula. Praesta nobis, Domine Deus, ut sanctificentur corpora nostra per corpus tuum sanctum: illuminenturque animae nostrae per sanguinem tuum propitiatorium, sintque nobis ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum. Amen.

Et cum bibit calicem, dicit. Et per potum calicis tui extinguantur passiones meae: et per te diginus efficiar propitiatione delictorum, et venia peccatorum, resurrectioneque benedicta a mortuis, et vita nova, in saecula saeculorum. Amen. Per sanguinem tuum vivum et vivificantem expientur delicta mea, et remittantur peccata mea, Jesu Verbum Dei qui venisti ad salutem nostram.

Cum distribuit communionem, dicit.

Particula propitiatoria, etc. *ut in Officio generali.*

Adjunguntur in aliquot codicibus orationes Gratiarum actionis diversae, quae non magis ad hanc Liturgiam quam ad alias pertinent: quarum nonnullae extant in generali Officio, aliae post Liturgiam Jacobi.

IN LITURGIAM SANCTI XYSTI NOTAE.

I. Liturgia S. Xysti.

In Missali Syriaco Romae edito in quo quatuordecim Liturgiae continentur, omnium prima occurrit ista, et ad illam accommodatus est Ordo generalis. Suspicari statim quisque posset factum id a Maronitis, ex zelo potius Orthodoxae fidei, communionisque cum Romana Ecclesia, quam ex Codicum Manuscriptorum autoritate. Verum tres, quorum duo satis antiqui sunt, eamdem habent dispositionem, cujus tamen nulla satis idonea ratio potest deprehendi. Nam multi Codices vetustiores Liturgiam istam non habent, neque ad illam Commentarium suum accommodavit Dionysius Barsalibi Amidae Episcopus, sed ad Liturgiam Jacobi quae omnium vetustissima videtur: tum quod Graecae ejusdem tituli prae reliquis similis sit, tum quod alias simplicitate superet, quae non levis est antiquitatis nota. Cur porro Xysti nomine, Jacobitae Liturgiam habeant, causa alia vix occurrit, quam ea propter quam Julio Papae aliam adscripserunt: nempe quod sententias quasdam ex pseudepigraphis transtulerunt in Collectanea sua, ex quibus commodas aliquot suis erroribus, animadvertere sibi visi sunt. Nulla sane apud alias Ecclesias reperitur Liturgia Xysti nomine, ex qua exprimi ista potuerit, aut ad ejus formam effingi. Ad Maronitas pertinere nullatenus existimanda est, quamvis in aliquot recentissimis exemplaribus nomen sancti Maronis legatur praecipuo in Diptychis loco, adjuncto elogio, quod laudes omnes complectitur, perpetuae cum Romana Ecclesia conjunctionis. Addita quippe haec fuisse ab hominibus patriae suae amantibus manifestum est: at Romae parum probata fuerunt, cum ex ipso Liturgiae contextu sublata fuerint, et praefatio Latine scripta, quae Maronis laudibus plenior erat, pariter expuncta; nam in paucissimis exemplaribus reperitur. Enimvero si quales majores suos Maronitae recentiores fuisse volunt, tales extitissent, perpetui scilicet Jacobitarum et Nestorianorum impugnatores, Orthodoxaequae fidei defensores acerrimi:

quos Jacobitae, tanquam Ecclesiae suae lumina, venerantur, illos Maronitae anathemati subjecissent, nec eorum nomina cum honore in Diptycha retulissent. At in eo ipso Missali libro, quem ut regulam celebrandae Eucharistiae esse voluerunt, occurrunt haereticorum laudes, nominatur in Diptychis Barsomas a Concilio Calchedonensi damnatus, tandemque aliquot Liturgiae locum habent quae ab Episcopis Jacobitis scriptae fuerunt, aut appellationem traxerunt: qua de re alibi dictum a nobis est. Cum autem ista Liturgia in plerisque exemplaribus primum locum occupet, multa quae per compendium in aliis Liturgiis designantur, integra habet: at cum ad illam non magis quam ad reliquas pertineant, quae observavimus ad illam sancti Jacobi, velut ad omnium praecipuam, sufficienter explicant, quidquid luce opus haberet. Ita in solis illis quae huic Liturgiae propria sunt immorabimur.

2. *Accipite edite, etc.*

Insigne hoc loco vitium codices hujus Liturgiae prope omnes occupavit, cum omittantur verba Christi, non minus ad consecrationem panis, quam ad calicis. Quod porro observavimus ad Liturgias paucissimas, quae non dissimilem lectionem praeferunt, omissa illa fuisse non tam certo consilio, quam librariorum culpa, id verissimum arbitramur. Haec quoque nostra conjectura probatur duorum codicum, non antiquissimorum quidem, sed qui a Missionariis, aut Romanis censoribus reformati non fuerunt, testimonio. In uno quippe illorum locus ille ut illum interpretando expressimus, se habet: in altero ad marginem verba quae deerant adscripta sunt. Non reformatos vero fuisse codices illos, probat intacta Invocationis Spiritus sancti lectio, quam uterque repraesentat: cum eam in reliquis Liturgiis, una Jacobi excepta, quod per incogitantiam accidisse verisimile est, interpolatam agnoscamus, ut in hac ipsa fecerunt, quibus editionis cura commissa est. Formam verborum Christi, ut in aliis, novam dederunt, verbatim ex Latina nostra conversam, contra exemplarium omnium cujuscumque linguae fidem: de qua reformatione dictum est ad eumdem Jacobi Liturgiae locum. Quod vero desint verba Christi in ista, ut in una Petri dicta, Dionysii Barsalibi, et paucis aliis, ex Graecorum opinione manasse existimavit Ricardus Simon, et fuse explicavit in Notis ad Itinerarium Montis Libani, specioso quidem, sed nullius firmitatis argumento. Nam cum Graecis Orthodoxis nullam a Concilii Calchedonensis tempore communionem Jacobitae habuerunt: neque Graeci dum Invocationem Spiritus sancti cum reliquis Ecclesiae precibus, ad consecrationem elementorum valere existimant, verborum Christi vim et efficaciam negant, quamvis frequentissima sit Theologorum recentiorum haec adversus illos criminatio. Quae porro ad deterendam sacrorum illorum verborum vim et dignitatem possent pertinere, non divinando et ad alienam sententiam ea detorquendo, quaerenda sunt: sed in scriptis illorum agnoscenda et demonstranda, quod nemini illorum qui Graecos eo nomine impu-

gnaverunt, huc usque praestitum est. Pugnent quantum libet Graeci, cum Theologis Ecclesiasticae disciplinae parum peritis, modo cum veteri Ecclesia consentiant, salva illorum doctrina est. At illam veterem, quae cum hodierna una est et eadem, orasse super dona jam consecrata, qui in tanta literarum sacrarum luce non agnoscat, is Orientalium Rituum judex idoneus esse non potest. Sed de his quantum opus erat in Observationibus ad Basilii Copticam Liturgiam dictum est.

3. *Invocatio Spiritus sancti.*

Formula illius integerrima est, et aliis valde similis; imo in eam congestae sunt voces prope omnes, quarum ad illam exprimendam usus frequentissimus est, et quae, cum eamdem in stilo Ecclesiastico significationem habeant, synonymae videri possint. Unde aliquae saepe non adhibentur, cum ab aliis sufficienter exprimatur efficax sancti Spiritus operatio in dona proposita. Vox נגמור *perficiat* respondet Graecae τελειώσῃ, quae consecrationem non minus, quam illius complementum et consummationem significat: nempe postulatur a Deo, ut proposita dona, plena sanctificatione, et transformatione confirmet, ut legitur in vetustissimis orationibus Missarum Gotticae, Mosarabicae et Gallicanae. At illarum autores, et qui illis ad sacra celebranda utebantur, non magis, quam Syri reliquive Orientales de controversia cum Graecis nata post annos mille, cogitabant. Neque existimandum est, inculcari transmutationem et consecrationem, ea ratione, quod verba Christi pronunciata non fuerint: cum absque illis, seu, ut Barsalibi loquitur, absque Evangelica narratione, quae eadem verba complectitur, consecrationem non fieri, constans Orientalium doctrina sit. Quippe in reliquis Liturgiis quamvis illa religiose pronuncientur, Invocatio nihilo minus subjungitur iisdem verbis atque sententiis.

4. *Qui a te procedit ab aeterno et a filio tuo accipit substantialiter.*

Illa verba quae processionem sancti Spiritus a Patre et Filio non obscure designant, interpolationis suspicionem creare possent, si similis Theologia in aliis Liturgiis, quarum integritas certa est, non occurreret. In Liturgia Ignatii Patriarchae Antiocheni, et in nonnullis aliis idem legitur cum hoc solum discrimine quod alibi legitur, *et a filio quae substantiae sunt accipit,* aut *quae essentialia sunt*: et in verbis diversis una est eademque sententia. Hinc apparet illud quod de Spiritu sancto a Christo dictum est, *ille de meo accipiet*, non de donis in fideles conferendis, sed de processione per Filium, Orientales interpretatos fuisse. Et sane cum errores Francorum enumerant, Petrus Episcopus Melichae, Paulus Sidoniensis, Abulbircat, Eb-

nassalus et alii, non doctrinam illam, sed additionem particulae *Filioque* symbolo factam reprehendunt.

5. *Cum particula propitiatoria.*

Vox גמרתא quae hoc loco occurrit *perfectionem, τελείωσιν*, et *τελετὴν* significat, ex prima origine: significat etiam *Carbonem.* Utraque significatione usurpatur ad designandam particulam Eucharistiae, ut hoc loco et in Ordine Generali, ut etiam apud Barsalibi: eademque acceptio ejusdem vocis est in Officio consecrationis Disci sacri sive patenae Eucharisticae quae Tomo 10. edita est. Figurata haec acceptio, ut illic notavimus, ex Isaia sumta est.

LITURGIA SANCTI PETRI,

PRINCIPIS APOSTOLORUM.

Primum Oratio ante Pacem.

Sacerdos. Excelse qui es in saecula, et solus potens, caritas perfecta et amor naturalis: Deus pacis et Dominus tranquillitatis: da nobis omnibus, nosque dignos effice, ut in inspiratione vitae, a misericordia tua, amplectamur invicem in osculo, quod sit sine dolo, et digni efficiamur tranquillitate quae a te est, et quae pacificis datur: per adventum miserationum Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nunc quoque Domine, illumina vultum tuum super nos, et salva nos ab omnibus inimicis qui oderunt nos: dele etiam et dimitte iniquitates nostras: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Inclinationem collorum nostrorum tibi et coram te offerimus, ut percipiamus a te benedictionem, quae praeparata est humilibus corde, quia tu es judex cogitationum, et scrutator mentium Domine, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quia per abundantiam divitis misericordiae tuae, Deus Pater, ad salutem nostram misisti filium tuum, ut eum qui errore peccati seductus fuerat voluntate sua, deduceret: et liberaret a fovea mortis et Satanae: et ipse per se ipsum purgationem fecit leprae illius: tu etiamnum Domine illumina vultum tuum, et salvi efficiamur hoc tempore, quo simul cum mysteriis istis sanctis, quae tibi offeruntur, deprecationes nostras tibi offerimus, ut nobis non sint in condemnationem, neque in reatum, sed in cordis confortationem, et aspersionem conscientiae mundae, et ad remissionem omnium iniquitatum nostrarum: per amorem erga homines tuum, et unigeniti tui qui ab aeterno a te genitus est, Spiritusque Paracliti, vivificantis, tibique connaturalis et consubstantialis, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est ut te glorificemus, te adoremus, te laudemus, te exaltemus opificem omnium creaturarum visibilium et invisibilium, ab illis enim voces laudis tibi offeruntur.

Elevans vocem. Glorificant te Domine ordines Angelorum, legiones Archangelorum, catervae virtutum immaterialium, quae indesinenter extollunt voces jubilorum absque reversione, cum effusione scientiae, et timore, et cum sapientia, variis sanctificationibus distincta, extollunt voces, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Quis enim infinite sanctus est, aut a quo quaeremus fontem sanctitatis; aut in quo est origo perennis sanctorum nisi in te, Pater ingenite, et in Filio tuo, nato, adorando, qui e sinu tuo prodiit, et in Spiritu tuo, qui non temporaliter a te procedit? per sanctitatem incomprehensibilem conscientiae habita in nobis, sanctifica nos, et dirige nos. Non tenuiter, sed beate: et secundum amorem tuum erga homines purgati simus a passionibus, et mundati a vinculis peccati, ut doctrinam mysticam unigeniti Filii tui suscipiamus, et tecum sit delectatio nostra.

Elevans vocem. Et cum epulum illud de corpore et sanguine sancto praepararet, nobis impertiendo, et propinqua esset salutaris ejus passio, panem accepit super manus suas ab omni macula immunes, et elevavit eum, et aspectu visibili, tum etiam insensibili benedictione dignatus est, et benedixit eum, † sanctificavit eum † et fregit † deditque discipulis Apostolis suis dicens: mysteria haec viatica vobis sint, et quandocumque comedetis istud ad modum alimenti, credite et certum habete, quod hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem postquam coenaverunt, miscuit vino et aqua, † et benedixit eum, † et sanctificavit, † et dedit discipulus suis Apostolis dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes: hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, in veniam delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut autem fructum suavissimum divinae illius operationis perciperent, praecepit illis in hunc modum: quotiescumque simul congregati eritis, memoriam mei facite, et panem hunc propositum edentes, et mistum quod in hoc calice praeparatum est bibentes, mortis meae commemorationem agetis, et resurrectionem meam confitebimini donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos. Adventum miserationum tuarum expectamus Domine, Dominus noster, refugium peccatorum, quo examen fiet justorum et peccatorum, per retributionem bonorum et malorum; quando ad judicium vocabis omnes homines, et eos qui te in veritate coluerunt,

vera voluptate perfundes: eos autem qui declinaverunt a semita vitae. in gehennam ignis comburendos mittes. Ne suffundas nos pudore peccatorum nostrorum, neque rei simus communionis mysteriorum sanctorum istorum, quia imaginis tuae nomine ornati sumus: neque de nobis gaudeat rex aëris, cum malignis catervis suis, quia sanguine tuo redemti sumus: sed oriri fac super nos lumen illud tuum, quod die secundi adventus tui emittes super timentes te, et salus cito nobis sit. Ecclesia namque tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, ac tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri, et mitte ad nos e solio tuo regio, et ex throno tuo infinito, Spiritum tuum sanctum, et Paraclitum, ejusdem cum tua majestate naturae; consubstantialem, vitae largitorem, throno et aeternitate aequalem: qui operatur in Prophetis. et Apostolis, martyribus et confessoribus, regibus, rectoribus, sacerdotibus et omnibus ordinibus Ecclesiae fidelis. Qui apparuit in columbae specie super Dominum nostrum Jesum Christum in Jordane fluvio: qui descendit super Apostolos tuos sanctos in specie linguarum ignis. Et nunc requiescat, et maneat super oblationes nostras, et super nos infirmos, ut possimus percipere afflatum et radium adventus ejus, et illabatur super nos et super has oblationes propositas, easque sanctificet.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Ut illabens, efficiat panem quidem hunc † corpus salutare, † corpus vivificum, † corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam illis qui suscepturi sunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam calicem hunc, instituat † potum coelestem, † sanguinem salutarem, † sanguinem vivificum, sanguinem

Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem eorum quae insipienter commissa sunt, et relaxationem peccatorum suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nobis autem qui illorum participes futuri sumus, sit ad purgationem animarum et corporum, ad mores Evangelicos, et ad confirmationem Ecclesiae sanctae Catholicae, quae fundata est super petram fidei, de qua dixisti, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam, liberans illam ab haeresibus et a scandalis operantium iniquitatem, in saecula saeculorum.

Sacerdos inclinatus. Suscipe confessionem nostram o Rex noster, et per eam conciliatus, tranquillitatem dona populo tuo, et pacem gregi tuo, et conservationem Pastorum Orthodoxorum: praecipue vero Patriarchae nostri Domini N. et D. N. Episcopi nostri, cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis. Verbum praeclarum concede illis, ut pie gregi tuo ornamento sint, et a doctrina errorum eum prohibeant.

Elevans vocem. Fac eos stantes cum vultu potenti, et verbum veritatis recte administrantes exhibe illos, ut summa diligentia illorum, pace quae a te est, vita illorum abundet, et greges tibi acquisitos pascant alimentis alienis ab omni fraude, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum dignare Domine meminisse eorum, qui praeceperunt nobis, ut in hac hora memoriam eorum haberemus in nostris apud te orationibus: et eorum qui has oblationes obtulerunt, eorumque pro quibus oblatae sunt: nec non illorum qui offerre quidem voluerunt, sed non potuerunt.

Elevans vocem. Memento Domine, et illorum qui in animo statuerunt, ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam et Apostolicam juvarent verbo doctrinae vitae, et operibus quae ad veritatis tuae agnitionem conferrent, eisque refugium et adjutor esto, liberans eos ab omni daemonum, malorumque hominum et inexorabilium malignitate: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, illorum et illarum, qui regnum temporale obtinent fidelium, ut tam nos quam illi tranquillam et quietam vitam agamus, in omni timore Dei et castitate.

Elevans vocem. Et mentes eorum, qui regnum super populum tuum ambiunt, ad te inclina, Domine, et ad bona propensos perfice illos: ut nos pariter Sacerdotium cum illis, in ea tranquillitate, quae cum eorum conservatione constet, administremus, et cum illis tibi gloriam referemus, et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Dignare etiam Domine, meminisse, sanctae et praeclarae semper Virginis Beatae Mariae, et cum ea, Prophetarum et Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Piorum, Sacerdotum et Justorum, qui in fide vera perfecti extiterunt, et B. Joannis praecursoris et Baptistae, et S. praeclari Stephani primi Diaconorum, et protomartyris, atque omnium sanctorum.

Elevans vocem. Deprecationem tibi offerimus, o princeps Deus, ut illis qui in angustia constituti exitum non habent, latitudinem praestes: et illis qui absque rectore sunt, gubernationis tuae beneficium conferas. Fac nos dignos parte eorum qui tibi in veritate servierunt, placueruntque tibi, et quorum memoria in aeternum subsistet, ut cum eis digni efficiamur referendi gloriam et laudem sine fine, tibi et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine illorum qui in domo sanctorum nos praecesserunt, occubuerunt et quietem acceperunt, Patrum sanctorum, Doctorum Orthodoxorum, maxime vero Ignatii, Dionysii et reliquorum sanctorum, ut per orationes et deprecationes eorum liberemur a dolis ejus qui ex adverso est, et ab hominibus nequam.

Elevans vocem. Et illorum qui luculenter detulerunt annunciationem tuam vivificam, in omnem terram quae sub coelo est, et Ecclesiam tuam sanctam confirmaverunt, per fidem Orthodoxam memento, et per orationes eorum puras, nos quoque per misericordiam tuam, et spem quae a te est, inter coetus eorum aggrega.

Sacerdos inclinatus. Per hoc sacrificium quod manibus nostris peccatricibus tibi offertur, Domine, memoriam fac patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui pridem defuncti et ex hoc mundo profecti ad te pervenerunt: omniumque fidelium defunctorum hujus, et cujuscumque loci, praecipue vero illorum pro quibus offertur haec oblatio.

Elevans vocem. Domine, Domine amator hominum, in sinu Abrahae colloca, et quiescere jube eos, qui in fide orthodoxa humanae vitae periodum compleverunt, et vita hac temporali exsoluti

sunt: auferens et dimittens omnes iniquitates illorum et nostras, per tuum erga homines amorem, quia impossibile est illis qui vel unico momento, aliquam temporalem voluptatem perceperunt, ut non rei inveniantur, nisi ei, qui ex sinu tuo prodiit ab aeterno, Dominus et Salvator noster Jesus Christus, per quem etiam nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, et nobis et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Libera, solve et dimitte Domine, errores et insipientias servorum et ancillarum tuarum secretas et occultas, abstrusas et publicas, praeteritas et futuras, quando tibi placebit nos et illos liberare a confusione in conspectu tuo: et ad delicias tuas beatas perveniant, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti, nunc et semper, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Benedictiones Dei sint, etc.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit Eucharistiam, mox dicit Orationem ante
Pater noster.

Deprecamur te Deus pater, curator noster, consolator moestitudinis nostrae, et confortator infirmitatis nostrae: qui ultra omne tempus super thronum tuum requiescis, et a virtutibus coelestibus potenter glorificaris: qui legiones ignitas ardore tuo infinito succendis; qui primitias et oblationes has nostras, quae a nobis tibi haud indigenti oblatae sunt, sanctificare, perficere et suscipere dignatus es, per praesentiam unigeniti Filii tui, et illapsum Spiritus sancti: munda nos ab omni macula, et immunitatem ab omni impuritate (da nobis) ut uno spiritu recto, et caritate inextincta, quae filios decet, absque confusione, clamemus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. Deus benigne ne inducas nos in tentationem probationis, quam sustinere non possimus: sed secundum miserationes tuas multas adjuva nos, dans nobis exitum tranquillum, qui nos eripiat et liberet ab omnibus plagis furoris, et a foetore diabolico, quia tuum est imperium, et potestas regnumque tuum permanet in saecula saeculorum, et tibi gloria. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Benedic, Domine Deus, servis tuis istis, quorum colla tam animarum quam corporum inclinata sunt, quique te deprecantur. Fac nos et illos Domine, dignos benedictionibus mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum, et venia peccatorum nostrorum, et illorum: ut pure et sancte communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui. Educ ex nobis odorem operum bonorum, et referemus tibi gloriam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Laudamus.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Omnem veram gratiarum actionem, et maxime sinceram tibi offerimus Domine, propter donum illud quod nobis quamvis indignis dedisti. Ne statuas nos, Domine, cum pudore peccatorum nostrorum, neque reatum incurramus ob susceptionem mysteriorum horum sanctorum, sed refugium et adjutor esto nobis, et a spiritibus inimicis qui luctantur nobiscum libera nos, per eorum commistionem, et simul referemus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Emitte Domine manum tuam potentem, et invisibilem, et benedic servis tuis istis in templo tuo congregatis: conserva illos per crucem tuam, et perfice illos per abundantiam benedictionum tuarum: ut nos et illi, nunc et in saeculis futuris et infinitis referamus tibi gratiarum actionem, et Patri tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus nobis.

Finis Liturgiae Petri Principis Apostolorum.

IN PETRI LITURGIAM

NOTAE.

De titulis Liturgiarum, et quam parum illis tribuendum sit, sive ad autoritatem illis conciliandam, sive ad illam convellendam, dictum est in Dissertationibus. Sane nullam Ecclesia Graeca vetus, Petri nomine Liturgiam habet, et quam sub eo nomine edidit olim Joannes a S. Andrea, illa Graeci alicujus recentioris lucubratio est, qui mixtam ex Canone Romano et Liturgia Chrysostomi, Liturgiam composuit. Duas autem ejusdem tituli Anaphoras repraesentat Editio Romana Missalis Chaldaici: unam adjuncto hoc epitheto Papae Romani: in alia Principis Apostolorum: tertiam diversi Codices Mss. exhibent: imo nonnulli ita variant, ut quatuor distingui possint. Inter eas nulla primae antiquitatis notam praefert, sed omnes in Jacobitica communione scriptas fuisse, manifesto apparet. Non idcirco tamen nullius autoritatis esse existimandae sunt, cum illas agnoscant pro suis Jacobitae, atque ita testimonia fidei illorum luculenta ex illis ducantur: neque enim in cognoscenda, quam Orientales servant, fidei disciplinaeque circa Eucharistiam traditione, minus valent Officia sacra mediae aut posterioris aetatis, quandoquidem in celebrandis Sacramentis quotidie repetita, vivam illarum Ecclesiarum vocem repraesentant. Hinc patet nihil illos agere, quicumque similes Liturgias rejiciendas contendunt, tanquam suppositas autoribus, quorum nominibus insignitae sunt: modo illas Christianis apud quos reperiuntur probatas et usurpatas fuisse constet.

In ista Liturgia nihil singulare occurrit praeter haec pauca.

1. Mysteria haec viatica vobis sint.

Quamvis haec verba ipsa Christus non dixerit, nec illa dixisse Orientales pertendant, frequenter tamen Sacerdotem, quasi ex persona Christi, quam in consecranda Eucharistia sustinet, loquentem inducunt, ea quae ad Christianorum institutionem necessaria sunt, et ad mysterii ipsius quod celebratur fidem inculcandam. Exempla varia occurrent in sequentibus Liturgiis: in ista, ex persona Christi dicitur, Mysteria seu Sacramenta, viatica nobis esse, quae vox apud Syros, ut apud Graecos et Latinos ex usu Ecclesiastico communionem praesertim, quae moribundis datur significat: quo sensu legitur in antiquissima Syriaca versione Canonum Nicaenorum. Mysteria, sive Sacramenta exprimunt Syri per vocem ארזא, quae utraque significat. Dicunt igitur quod, licet per modum alimenti sumantur, credendum tamen firmiter sit, eadem esse corpus et sanguinem Christi Domini. Adjunctione autem illorum verborum corrumpi formam sacramentalem non facile probari potest, cum ipsa verba sacramentalia sequantur, integritatemque suam retineant.

2. Invocatio Spiritus sancti.

Tota orationis series et ipsa verba, uno excepto, eadem sunt ac reliquarum hujus orationis formularum, quae occurrunt in omnibus cujuscumque linguae Liturgicis codicibus. Nempe cum in parte Invocationis quae super corpus Christi pronunciatur, legatur *faciat* נעבד *ποιήσῃ*, ad calicem usurpatur נמטם. .Ea vox a Graecis accepta proprie significat *ordinare*, *instituere*, *recte constituere*, *perficere*. Si quid per eam significare Syri voluerint dubitetur, absque ulla ex linguae utriusque originationibus Critica, responderi statim potest, illam ejusdem potestatis et significationis esse, ac alias quae in reliquis Liturgiis eodem loco, illius vice substituuntur. Illae porro sunt נעבד *faciat*, *efficiat* *ποιήσῃ* נהוא *ἀναδείξῃ*. נגמר *τελειώσῃ*, quarum praecipuus et frequentior usus est. Hic vero Syri aliam adhibent Graecis quoque usurpatam quae est *μεταβιβάσῃ*, et illam vix aliter exprimere poterant. Talium autem vocum, et omnium quae sunt usus Ecclesiastici significatio, peti debet, ut in aliis locis observatum est ex Graeca potius quam ex Syriaca origine. Si haec non sufficiunt, at illud saltem negari non potest, peti eumdem effectum super panem, ac super calicem, quacumque voce explicetur: de altero dicitur ut *faciat* de calice quoque intelligendum est ejusdem esse significationis verbum: quod reliquarum omnium Liturgiarum testimoniis confirmatur.

LITURGIA I. PETRI II.

Oratio ante Pacem.

Sacerdos. TIBI et coram te, Domine, inclinamus colla animarum, corporumque nostrorum, ut a te accipiamus benedictionem, et auxilium infirmitati nostrae; quia tu adjutor et refugium omnium es, et tibi gloriam et laudem referimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto. *In Ed. Rom. p. 89. Cod. Seg. G. 11.*

Sacerdos elevans vocem. Tu etiamnum, Domine, illumina faciem tuam super nos, et ab omnibus inimicis, qui odio nos habent, libera nos: dele, et dimitte universas iniquitates nostras, et referemus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus pacis, et Dominus tranquillitatis Domine, da nobis omnibus, dignosque nos effice, ut spiritu a misericordia tua non diviso, amplectamur invicem, in osculo doli experte et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter. Date pacem.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere aequum, et justum est, ut te laudemus, et extollamus, opificem omnium creaturarum, tam superiorum quam inferiorum.

Elevans vocem. Laudamus te, Domine, cum Angelis, et Archangelorum legionibus, qui vocibus laudis inclamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, et magnae misericordiae Domine, qui per amorem tuum erga homines filium tuum misisti in mundum: et ipse in Virgine Maria incarnatus est ad salutem nostram.

Elevans vocem. Qui cum vellet gustare mortem, et Pascha vespere perficeret, accepit panem in manus suas, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit, deditque turbae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite et [2] manducate. Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur et dividitur in expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem miscens vino, et aqua, † benedixit, † sanctificavit, † et dixit eis: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc praecepit, et monuit illos, quod quotiescumque mysteria haec perficietis, mortem, et resurrectionem meam commemorabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Adventum tuum salutarem et secundum illum, commemorantes, Domine, laudem cum deprecatione majestati tuae offerimus, ut in timendo illo, et terribili judicii die, in quo justorum, et peccatorum examen institues, non secundum peccata nostra, tradas nos ardori fletuum et poenarum, neque propter nequitias, et insipientias nostras cruciemur, et poenis afficiamur, imo propitius esto, Domine, miserere nostri, et averte faciem tuam a peccatis nostris et adjuva nos: propter hoc Ecclesia tua et grex tuus deprecantur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: mitte super nos et super has oblationes, Spiritum tuum sanctum, mysteriaque haec sanctifica, nobisque auxilium tribue et veniam.

Elevans vocem. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens [3] efficiat panem hunc corpus Christi Dei nostri. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint communicantibus ad corporum et animarum emundationem ab omnibus maculis, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Suscipe deprecationem, et supplicationem nostram, Domine, et concede tranquillitatem populo tuo, et pacem gregi tuo, et custodi veros pastores, cum Sacerdotibus, et Diaconis, omnemque Clerum Ecclesiae tuae adjuva.

Elevans vocem. Statue eos, Domine, firmos, et potentes: et auxilio, et tranquillitate quae ex te est, confirma illos, ita ut deprecatores, et intercessores pro nobis sint apud te, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Rursus Domine dignare meminisse illorum, qui praeceperunt nobis ut memores eorum essemus, et eorum qui, cum offerre vellent, non potuerunt.

Elevans vocem. Memento etiam Domine eorum qui Ecclesiam tuam sanctam adjuvant: esto eis latibulum et domus refugii, liberans eos ab omni daemonum hominumque nequam machinatione, quia tu Salvator es omnium, et tibi gloriam, et laudem referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium, [4] et immitte cordibus eorum consilia pacifica circa populum tuum.

Elevans vocem. Mentem eorum qui regnare super nos volunt, fac Domine pacificam, et ab invidorum hostiumque manibus nos libera: ut referamus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum Domine dignare meminisse Virginis sanctae Mariae, et cum ea omnium Prophetarum, et Apostolorum: cum Martyribus, et Confessoribus, reliquisque omnibus sanctis.

Elevans vocem. Orationibus, et deprecationibus eorum adjuva nos Domine, et parce nobis: sorteque eorum dignos nos effice, ut cum illis, et inter illos referamus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine et illorum, qui in sanctorum domo jam obdormierunt, et quieverunt, sanctorum Patrum, et Doctorum; ut orationibus, et intercessionibus eorum, ab adversarii dolis eripiamur, nec non ab hominibus perversis.

Elevans vocem. Et eorum qui sedulo Evangelium tuum in omni terra circumtulerunt, et Ecclesiam tuam sanctam in orthodoxa fide confirmaverunt: per Orationes eorum puras, omnes adjuva, et in misericordia tua confirma, ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta, Domine, per sacrificium hoc quod peccatricibus meis manibus tibi offertur, memoriam bonam patribus, fratribus, et magistris nostris, et omnibus fidelibus defunctis istius; et cujuscumque loci.

Elevans vocem. Domine, Domine hominum amator, in sinu Abrahamaeo colloca eos qui in vera fide vitam suam consummarunt, auferens dimittensque omnes iniquitates, et praevaricationes illorum, et nostras: quia nullus est a peccatis immunis, nisi Dominus Deus, et Salvator noster Jesus Christus, per quem, et misericordiam consequi, et remissionem peccatorum nobis, et ipsis speramus, propter eum.

Populus. Dimitte.

Sacerdos. Ignosce, Domine, et dimitte errores, et insipientias servorum ancillarumque tuarum, tam occultas quam manifestas, et nos eripe a confusione coram te, ut in nobis propter nos, et nostri causa glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui vivi, et sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae.

Diaconus. Credimus.

Sacerdos frangit oblatam. Oratio ad Pater noster.

Deprecamur te Deus pater, consolator, et confortator infirmitatis nostrae, purifica nos ab omni immunditia iniquitatis, et peccati, et suscipe has oblationes, quas pro peccatis nostris, tibi offerimus, ut uno eodemque spiritu, clamemus ad te, oremus, et dicamus, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Deus benigne, ne inducas nos in tentationum experimenta, quia virtutem non habemus ad sustinendum: sed pro misericordia tua magna, eripe, et salva nos ab omnibus plagis furoris; quia tua est potentia, et regnum, et tibi gloriam, et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Inclinate.

Sacerdos. Benedic Domine Deus servos, et adoratores tuos, qui animarum, et corporum colla coram te demiserunt, et te deprecantur. Dignos effice illos Domine, misericordia tua, et venia suorum, nostrorumque peccatorum, quia multae misericordiae et omnipotens tu es, et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. *Oratio post communionem.*

Confitemur tibi, Domine, et gratias agimus tibi hujus muneris causa quo nos beasti, licet indignos. Ne imponas nobis peccatorum nostrorum pudorem, sed eripe nos a spiritibus adversariis, qui nobiscum colluctantur, et una voce referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos. Demitte, Domine, manum tuam, et benedic servis tuis illis, qui hic congregati sunt, custodi eos signo crucis tuae, et esto eis latibulum, et refugium ab universis hostibus publicis, et occultis, et perfice eos effusis benedictionibus tuis, ut nos, et ipsi referamus tibi gloriam. *Populus.* Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

Diaconus. Benedicam.

IN LITURGIAM PETRI II.

NOTAE.

1. Petri.

Quae ad priorem Liturgiam dicta sunt de titulo, cum Petri nomine, non minus ad istam pertinent. Quod plures Petri nomine Jacobitae habeant, fecit non modo Apostolorum principis dignitas, sed quod Antiochenae Ecclesiae, cujus amplissima Dioecesis Syriam et alias provincias, ubi Syriaca lingua vigebat complectebatur, Petrus fundator fuerat. Cum tamen praeter duas quae sub ejus nomine editae sunt Liturgias, alias habeant eo nomine, fieri potuit ut non Apostolum designarent, sed Gnaphaeum, Jacobiticae haereseos pertinacissimum propugnatorem. Illum enim ut et Petrum quemdam alium, Apamiensem fortassis, in Diptychis cum honore collocaverunt: et inter eos quorum doctrinam sequi se profitentur, ante Ordinationem Sacerdotes et Episcopi, isti numerantur.

2. Accipite et manducate.

In plerisque hujus Liturgiae Codicibus Mss. tam illis quos habuimus ex Bibliothecis Seguieriana et Colbertina, quam in illis quos viderat Faustus Naironus, forma verborum Christi ita concipitur: *Accipite et manducate, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Et in forma calicis benedicendi. *Accipite et bibite ex eo vos omnes, in remissionem peccatorum et vitam aeter-*

nam. Ea sola ratione satis constat Liturgiam istam a Latinis hominibus, illis praesertim quos realis praesentiae fidem in Oriente propagasse Protestantes volunt, interpolatam non fuisse. Nullo enim veterum exemplo, verba Christi. *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei, etc.* omittuntur, reclamantibus reliquis omnibus cujuscumque sectae aut linguae Orientalibus Christianis. Quippe si tres aut quatuor Syriacas Liturgias excipimus, quae eodem vitio laborant, nulla est quae hoc loco sacra illa verba non repraesentet: quodque notandum maxime est, cum una illarum ea sit quae Dionysium Barsalibi autorem habet, ipse in Commentario ad Jacobi Liturgiam, pronunciari debere a Sacerdote eadem verba docet perspicue. Vere igitur questus est de Maronitis ad quos Visitator Apostolicus missus fuerat Hieronymus Dandinus, quod in aliquot eorum codicibus id vitium observasset: quamvis non essent illi Maronitarum proprii, sed Jacobitarum. Interpres et commentator Itinerarii Dandini Ricardus Simon, cum excerpta aliquot Liturgiarum ejusmodi a Fausto Nairono accepisset, longam ea occasione disquisitionem instituit, quae colorem aliquem veritatis habebit apud nonnullos, sed ab illa abest quam longissime. Quod enim Invocationem sancti Spiritus quae paulo post subjicitur iisdem verbis, atque in Liturgiis Graecis extat, videret ab Orientalibus, magna cum reverentia pronunciari, existimavit vir eruditus, ut Graecos, ita Orientales qui eamdem Orationem habent, totam consecrandi vim illis attribuere: nullam aut exiguam verbis Dominicis. At neque Graeci, neque ipse Marcus Ephesius, quem erroris architectum esse volunt, in ea unquam opinione fuerunt, sed illud modo probare aggressi sunt, non solis verbis dominicis Eucharistiam consecrari. Neque Catholicam doctrinam, sed aliquorum Theologorum placita impugnabant, eorum scilicet, qui verbis istis extra sacram actionem, absque ritibus, et caeremoniis praescriptis, quocumque modo aut loco ea proferrentur, consecrationem perfici contendebant. Sed neque vel una Graeca Liturgia est aut fuit, quae careret sacris illis verbis: et quamvis Graeci ita errassent, res eorum agebatur, non Syrorum Jacobitarum, a quibus vehementissime dissentientes, circa Incarnati Verbi mysterium et Concilii Calchedonensis autoritatem, discere non poterunt quidquam quod ad religionem pertineret, cum alteri alteros ad communionem non admitterent: multo minus, ea quae Graeci tunc ignorabant. Nam qui hujus cum Latinis controversiae, ante Cabasilae tempora meminerit, nullus reperitur. Frustranea igitur est similis interpretatio: neque magis firma Fausti Naironi, hominis nihil minus quam Theologi, conjectura, quod vitium illud irrepserit ex Missa Praesanctificatorum. Nam singulare illius Officium, quantum ex comparatione multorum Codicum perspicere licuit, non habent Syri: et Graecanicum neque verba Christi habet; neque Invocationem Spiritus sancti. Alia igitur nodi hujus solutio quaerenda est, simplicior, verior, et minus operosa.

Verisimile igitur est Liturgiam istam, quae brevissima est, ab aliquo descriptam qui verba sacra per compendium expresserit, ut multas alias orationes communes, quae ut notissimae vocibus tantum initialibus designantur. Imperitus deinde librarius quispiam, illis verbis omissis, *Hoc est corpus*

meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, continuam conjunctis postremis, cum *Accipite et comedite*, orationem effecerit, qui error reliquos codices pervaserit: id quippe facile accidere poterat, inter homines non Theologiae modo, sed ipsius linguae imperitos. Conjecturam hanc firmare possunt, codices non quidem valde antiqui, sed apud Syros ipsos scripti, nec emendati a Missionariis et censoribus, cum nomina haereticorum inter sanctos referant, et alia contineant non pauca, quae Catholicis probari non possint. Illorum judicium si tale fuisset, quale suspicatus est Dandini interpres, de ejusdem loci emendatione parum fuissent solliciti. Imo unum habuimus non infimae vetustatis in quo verba illa referuntur, quemadmodum illa in versione expressimus. Intactam in aliis codicibus remansisse eo facilius fuit, quod rarior istius Liturgiae usus est.

3. *Invocatio Spiritus sancti.*

Formula haec ut eam interpretatione nostra expressimus, legitur in Codicibus omnibus Mss. quorum nullus eam, prout in editione Romana legitur, repraesentat: nempe ut adventus et illapsus Spiritus sancti ad solum fructum perceptionis Eucharistiae pertineat. Quae de significatione ipsius Orationis dici solent, ea cum fusius in notis ad Liturgias Basilii Copticam, et Syriacam Jacobi exposuerimus, reponere necesse non est. Quod autem paucissimis verbis Invocatio in hac Liturgia constet, cum in plerisque aliis, maxime recentioris aevi, longe pluribus exprimi soleat, simplicitatis et antiquitatis argumentum est, fortasse non contemnendum.

4. *Memento Domine Regum fidelium.*

Illud quoque indicium est, licet non plane certum vetustatis, quae Christianorum Imperatorum temporibus aequalis sit. Neque tunc aliter orari poterat aut debebat pro illis principibus qui Christianam religionem profitebantur. Attamen remansit in multis recentioribus Liturgiis antiqua ista formula, ex consuetudine vetusta potius quam ex malo consilio, quod sub Barbaris dominis consultori pessimum esse potuisset.

Reliqua nihil habent obscuritatis, aut indigent novo Commentario cum pleraque explicata sint ad Jacobi Liturgiam.

LITURGIA
S. JOANNIS EVANGELISTAE.

Oratio ante osculum pacis.

Sacerdos. Domine Deus fortis qui es caritas vera, tranquillitas imperturbabilis, et spes quae non confundit; tu Domine Deus pater: concede servis tuis istis, qui coram majestate tua stant, caritatem, benignitatem, tranquillitatem et pacem perpetuam, et praesta nobis omnibus, ut cum puritate cordis et sanctitate animae, demus pacem nobis invicem in osculo sancto, et spirituali, quod placeat nomini tuo sancto: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen. *Diaconus dicit Mediam.*

Sacerdos elevans vocem. Et nunc coram majestate tua, Domine, inclinamus colla animarum nostrarum, et corporum nostrorum: jube et mitte nobis, de excelsis gloriosis sanctuarii tui, gratiam praeclaram, benedictionemque imperturbabilem et inamissibilem, ut te glorificemus et exaltemus, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum sanctissimum et bonum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui Filium tuum, in fine temporum misisti ad salutem nostram: ipse autem mysteria haec sancta et vivifica tradidit nobis. Ne, Domine, facias nos alienos ab hoc ministerio, nec avertas faciem tuam a nobis, propter multitudinem peccatorum nostrorum. Tu enim solus, sanctus es, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Diaconus. Date Pacem.

Populus. Misericordiae Dei.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Digne te decet laus, Domine coelestium et terrestrium.

Elevans vocem. Te enim glorificant et laudant virtutes supernae, et coelum in quo consistunt, ignei te cum timore celebrant, Cherubim cum commotione te benedicunt: Seraphimque sancti, majestatem tuam sanctificant, qui veloci motu alarum et pennarum suarum, volantes alter ad alterum, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Domine, Deus potens, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, una natura indivisa: qui est sanctus et sanctificans omnia virtute divinitatis suae. Pater qui misit Filium suum ad salutem nostram: et Filius qui descendit et incarnatus est, passus et crucifixus propter imaginem suam quae corrupta fuerat: Spiritusque vivus et sanctificans sacrificia divina.

Elevans vocem. Cum autem ad passionem salutarem voluntate sua venisset, propter salutem nostram, panem super manus suas sanctas, in oculis turmae discipulorum suorum accepit: aspexit in coelum, gratias egit, † benedixit, † et sanctificavit, † fregit deditque Apostolis suis sanctis et dixit: Accipite manducate ex eo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro omnibus in me credentibus frangitur et dividitur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam futuram in saecula.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et post coenam suam illam mysticam, etiam ex vino et aqua accepit calicem, gratiasque egit super illum, † et benedixit, † sanctificavit, † et dedit turmae Apostolorum suorum et dixit illis: Hic est calix sanguinis mei, Novi Testamenti, accipite, bibite ex eo omnes: iste effunditur pro vita mundi, ad expiationem delictorum. remissionem peccatorum, omnibus in me credentibus in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita facietis in meam commemorationem: quotiescumque enim manducabitis Sacramentum hoc, et hunc sanguinem bibetis, mortem meam annunciabitis donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, etc.

Sacerdos. Commemorationem dispensationis tuae salutaris facientes, Christe Deus noster, imploramus et deprecamur bonitatem tuam, ut cum venies in gloria cum Angelis tuis sanctis, et constitues thronum gloriae tuae, praecipiesque terrae, ut pariat omnes defunctos ad standum coram te in timore et tremore: cum collocabis agnos ad dexteram tuam et hoedos ad sinistram tuam, et unusquisque exspectabit competentem sibi retributionem, et habitacula sibi destinata: ne Domine audiamus a te vocem illam acerbam, et mortiferam: ne dicas nobis, Domine, recedite a me maledicti, abite in ignem, quia ego non novi vos. Ne, Domine, simus alieni a familiaritate tua: ne avertas, Domine, faciem tuam a nobis: ne aspicias, Domine, nos indignanter in ira: ne, Domine, ascendant peccata et crimina nostra in cor tuum sanctum: ne, Domine, intres in judicium nobiscum: neque agas erga nos, tanquam erga eos quorum spes praecisa est: neque ultionem facias de nobis, quasi inimicis. Non tanquam alienos repellas nos: ne projicias nos, Domine, a facie tua, qui nomen tuum sanctum cognovimus, et divinitatem tuam confessi sumus. Sed fac nobiscum secundum promissiones tuas veras, et non fallaces: dimitte delicta nostra, propitius esto peccatis nostris: et fac misericordiam super haereditatem tuam, et super oves pascuae tuae, quemadmodum poenitens Ecclesia tua supplicat tibi, et tecum Patri tuo, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos inclinatus. Domine clemens, et multae misericordiae, miserere mei, et mitte super me et super oblationes istas, Spiritum vivum et sanctum, vivificantem, et omnia sanctificantem, largitoremque sanctitatis: ipsum qui in Prophetis sanctis locutus est, et Apostolos sanctos, martyresque coronavit: ipseque illabatur super haec mysteria et sanctificet illa.

Populus. Exaudi me, Domine.

Sacerdos elevans vocem. Ut illabens, efficiat panem quidem istum, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem istum, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sanctificent corpora et animas eorum, qui illis communicabunt, ad mundationem cordium eorum, purificationem cogitationum eorum, et ad sanctificationem animarum eorum, quae est in regno coelorum et vita aeterna.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus coram te, Domine Deus, hoc tempore hujus sacrificii, ómnes Ecclesias tuas sanctas: et Pastores Orthodoxos qui in illis vivunt: praecipue vero DD. N. et N. cum reliquis Episcopis Orthodoxis. Iterum etiam commemoramus Sacerdotes et Diaconos veros, reliquosque domesticos tuos, qui observant mandata tua. Iterum etiam obsecramus te, Domine, pro tranquillitate et confirmatione totius mundi: pro benedictione anni, et fructuum ubertate. Iterum obsecramus te, pro infirmis, afflictis, et illis qui a malis spiritibus infestantur: ut visites eos, visitatione tua. Iterum obsecramus te Domine pro omnibus qui invocant nomen tuum, et confitentur te esse verum Deum.

Elevans vocem. Salva et libera, Domine Deus vere, gregem tuum ab omnibus plagis noxiis, acerbis et mortiferis, ut etiam ab omnibus contumeliis gentium barbararum quae nomen tuum sanctum non noverunt, et divinitatem tuam non agnoscunt. Rege illum dextera tua valida et omnipotente, ut confiteatur tibi, et unigenito Filio tuo, te Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, eorum qui obtulerunt hodie oblationem, super hoc altare: et eorum qui voluerunt offerre, sed facultatem non habuerunt: atque unicuique illorum secundum mentem suam da, Domine.

Elevans vocem. Memento Domine, ad altare spirituale, coeloque sublimius, omnium qui te cognoverunt: et voluntatem tuam bonam adimpleverunt: et suspice per gratiam tuam, oblationes, decimasque eorum, et fac illos dignos gloria nominis tui sancti, et unigeniti Filii tui, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, [2] Regum fidelium: apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium eorum: da etiam illis victoriam de hostibus suis, per fortitudinem tuam magnam.

Elevans vocem. Tu es enim dator fortitudinis et largitor victoriae, omnibus qui credunt in te, et vere diligunt te.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum commemoramus coram te, Domine, omnes sanctos et patres, cum Prophetis, Apostolis, Martyribus, et Confessoribus: atque Dei Genitrice et omnibus sanctis.

Elevans vocem. Et illorum sanctorum amicorum tuorum memoriam agentes, obsecramus et deprecamur te, Domine, ut per illorum orationes puras et sanctas, digni efficiamur locum inter eos habendi, et sortem quae illis obtigit: per gratiam tuam, et per misericordiam, amoremque erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Praesulum, Doctorum, et Pastorum Ecclesiae tuae sanctae Orthodoxae.

Elevans vocem. Eorum qui per doctrinam veram et Dominicam, constituerunt Ecclesias tuas sanctas, et ab illis deturbaverunt omnes haereses perniciosas, et per dogmata sua, veritatem fidei verae publicaverunt. Obsecramus te, Domine, ut per intercessiones sanctas illorum, confirmemur in doctrina vivificante illorum: ut nos et ipsi referamus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, per gratiam tuam, eorum qui a nobis separati sunt, et ad te migraverunt: qui acceperunt corpus et sanguinem tuum pretiosum, et obsignati fuerunt signaculo tuo, a tempore primae institutionis Christianae, ad hunc usque diem.

Elevans vocem. Tu es enim creator animarum et corporum, et te exspectant qui decubuerunt, et spem tuam vivificantem respiciunt. Suscita illos, Domine, in die illo novissimo: tranquillusque sit erga illos vultus tuus: et dimitte per misericordiam tuam delicta et defectus eorum: quia eorum qui super terram fuerunt nullus reperitur mundus a sordibus peccati, nisi Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus; per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae propter eum est, et nobis et ipsis. *Populus.* Quietem praesta.

Sacerdos. Parce, et dele, Domine Deus, peccata et maculas nostras, et illorum, quaecumque male et inique a nobis et ab illis commissa sunt: concede nobis puritatem et sanctitatem, statumque vitae inculpatum, et fiduciam perfectam coram te, absque lapsu in peccatum: ut semper glorificetur, laudetur, et honoretur nomen tuum prae-

clarum et benedictum: simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti. *Populus.* Sicut.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae.

Sacerdos frangit hostiam et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Tu qui orationes suscipis, et respondes petitionibus, Deus Pater: qui per Filium tuum dilectum docuisti nos, ut coram te staremus, et cum puritate et sanctitate te oraremus. Tu, Domine Deus, concede nobis, ut cum puritate animae, mentis abstersione, et castimonia, clamemus ad te, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Salva, Domine Deus, animas servorum tuorum a tentationibus asperis, et ab omni machinatione Daemonum, hominumque improborum, et implacabilium, quia tu potens omnium es: et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Sacerdos. Et illis qui coram te inclinati sunt, Domine, benedic per gratiam tuam, et miserationes tuas multas, et fac illos dignos mysteriis tuis vivificantibus, et participatione societatis cum congregatione sanctorum tuorum, ut referant tibi laudem, etc.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos elevans mysteria dicit. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos dicit Orationem post Communionem.

Quid retribuemus bonitati tuae, Deus noster benigne, pro salute ista quam dedisti nobis? Gloriam debitam offerre quis possit etiam imperfecte? Quantum igitur possibile est, adoramus, glorifica-

mus, et laudamus te, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum vivum et sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Te Christe Deus noster, adoramus, laudamus et glorificamus, deprecantes bonitatem et misericordiam tuam, pro liberatione et salute totius mundi: pro custodia viventium, et quiete defunctorum fidelium: pro saturitate esurientium, et alimento necessitatem patientium: pro visitatione infirmorum, et consolatione omnium afflictorum. Tu igitur per gratiam tuam visita, et vivifica per miserationes tuas multas: et benedic populum tuum: custodique haereditatem tuam per crucem tuam victricem: quia tibi debetur adoratio, et Patri tuo, et Spiritui vivo, nunc et semper.

IN JOANNIS EVANGELISTAE LITURGIAM

NOTAE.

Praeter istam Liturgiam nulla hoc titulo apud Orientales extat una excepta Aethiopica, quae cum ista commune nihil habet, cum Ritum Alexandrinum sequatur: ista Syriacum. Cum vero plures Antiocheni Jacobitarum Patriarchae Joannis nomen habuerint, facile fuit ut Evangelistae titulus huic Liturgiae ornandae adhiberetur, quem praefert in permultis codicibus, quos Romani editores secuti sunt. Sed hoc parum refert, cum ab Evangelista scriptam illam non fuisse, certissimum sit. Notam vero dudum inter Jacobitas fuisse, praeter antiqua exemplaria, probant excerptae ex eadem orationes aliquot in Liturgia quae dicitur Doctorum sanctorum, a Joanne Magno Patriarcha Antiocheno ex diversis aliis collecta. Interpolata non minus quam reliquae fuit, in Romana editione, duobus locis, nempe in forma verborum Christi, et in Invocatione Spiritus sancti: veram lectionem in interpretatione restituimus ex Codicibus Mss. antiquis Seguierianis et Colbertinis, recentioribus quoque nonnullis, et nostro qui vetustis similis est.

Memento Domine Regum fidelium, etc.

Nulli erant Reges fideles Apostolicis temporibus: atque ea ratione sola evertitur argumentum quod ex titulo duci posset ad antiquitatem istius Liturgiae stabiliendam, praesertim cum Apostoli pro Regibus etiam infidelibus, Christianos preces offerre docerent. De illa formula dictum est saepius, quae id solummodo significat quod Liturgiae in quibus occurrit, ex illis expressae sint quae sub Christianis Imperatoribus in usu erant.

LITURGIA

DUODECIM APOSTOLORUM

SANCTORUM, QUAM ORDINAVIT LUCAS EVANGELISTA MAGNI PAULI DISCIPULUS.

Primum Oratio ante pacem.

Domine Deus misericors et sancte, qui per unigenitum Filium tuum mensam hanc spiritualem et sanctam praeparasti nobis, suscipe a nobis oblationem sacrificii hujus incruenti, et concede nobis donum Spiritus tui sancti, et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus alta voce pronunciat Mediam.

Sacerdos elevans vocem. Tranquillitas tua et pax tua, Domine, et dilectio tua vera, gratia tua, miserationes tuae, naturales divinitati aeternae tuae, sint nobiscum et inter nos, omnibus diebus vitae nostrae: et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Coram te Rex regum: et Domine dominantium adoramus, rogamusque et deprecamur te: respice nos misericorditer et praesta nobis, ut cum puritate cordis et sanctitate animae, accedamus ad altare tuum sanctum et referemus, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, tibi gloriam dare, quia sanctus es, et largitor vitae. Dignum enim est ut te glorificemus: tibique debetur gloria, nosque decet laudare te, tibique gratias agere, quia benedictus es, simul cum Patre tuo, et Spiritu tuo vivo et sancto.

Elevans vocem. Coram te enim stant circum Cherubim habentes facies quatuor: Seraphim sex alis instructi: quorum duabus tegunt facies suas: duabus pedes: duabus volantes alter ad alterum, voces puras et concentus divinos. clamant, vociferantur, et dicunt ter.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine, plene miserationibus, et propitiatione, et misericors. Sanctus etiam unigenitus Filius tuus. Sanctus quoque Spiritus tuus sanctus et vivificans. Sanctus es tu et largitor bonorum: quia propter salutem nostram unigenitus Filius tuus carnem assumpsit ex Virgine Maria, et per dispensationem suam divinam salvavit et liberavit nos a captivitate. Qui cum pro nobis homo factus esset, absque mutatione, ad crucem venit: et ante passionem suam vivificam, accepit panem in manus suas sanctas, † benedixit, † sanctificavit, † fregit et comedit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem, postquam coenaverunt, miscuit ex vino et aqua, † benedixit, † sanctificavit, † et cum gustasset, dedit illum discipulis suis dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hoc est Testamentum Novum in meo sanguine, qui pro vobis, et pro multis effunditur ad expiationem delictorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, memoriam mei facietis donec veniam.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Idcirco nos infirmi et peccatores servi tui, dispensationis tuae memoriam agentes, rogamus et deprecamur te, amator hominum, cum exorieris in fine temporum, et juste retribues unicuique secundum opera ejus, parce et misericors esto adoratoribus tuis, et salva haereditatem tuam. Et propterea, nunc etiam Ecclesia tua deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te, etc.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Memento. *et mox dicit.* Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri Domine: miserere nostri, et mitte nobis de coelo sancto tuo, Spiritum tuum vivificantem, et requiescat super oblationem hanc, faciatque eam corpus vivificum, nosque expiet, mundet et sanctificet.

Benedicit et dicit. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per illapsum suum, faciat panem istum, corpus Christi Dei nostri. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et mistum, quod in hoc calice est, sanguinem Christi Dei nostri, ut sint nobis Sacramenta haec sancta, et vivifica, ad expiationem delictorum, ad remissionem peccatorum, et ad sanitatem animae et corporis, et ad roborationem mentis nostrae. Sed neque unus pereat de populo tuo fideli: verum praesta nobis omnibus, ut pure spiritu tuo gubernati, vitam degamus, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, etc. *Populus.* Amen.

Diaconus dicit Orationem convenientem, et eam quae est pro mortuis.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine omnipotens, sacrificium hoc divinum, pro omni grege tuo: praecipue vero pro beatis Patribus nostris, Patriarcha nostro D. N. et pro Episcopo nostro Domino N. servo tuo, et reliquis Episcopis Orthodoxis, ut cum vita inculpata, gubernent oves tuas in puritate et sanctitate: offerantque tibi populum fidelem, gregem spiritualem, placitum honori nominis tui, et simul referemus tibi gloriam, etc. Memento Domine Sacerdotum,

rectorum, Diaconorum purorum et Subdiaconorum. Memento, Domine, populi tui, praecipue illorum qui obtulerunt tibi oblationes istas, et parce congregationi isti, quae coram te collecta est.

Elevans vocem. Ut perpetuo, incorrupte vivant coram te, et praeparentur ad bona quae a te illis promissa sunt, per misericordiam erga illos: esto illis propitius, tanquam Dominus bonus et multae gratiae: referemusque tibi gloriam, etc.

Inclinatus. Memento, Domine, Regum fidelium qui benefici sunt populo tuo, et clementes sunt erga oves redemtas sanguine tuo. Da illis fortitudinem quae a te est, neque superentur ab inimicis suis.

Elevans vocem. Et Angelos tuos sanctos mitte, Domine, ad auxilium eorum: libera etiam eos a dolo tyrannico et a Belial spirituali, ut praeserventur ab insidiis et machinationibus hostium Ecclesiae tuae fidelis: ut in tranquillitate, pace et concordia studiose et perseveranter referamus tibi gloriam, etc.

Memento, Domine, et illorum qui a saeculo tibi placuerunt, praecipue sanctae, gloriosae, semper Virginis Genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae, Stephani principis Diaconorum et protomartyris; cum reliquis Prophetis, Apostolisque sanctis, et patribus piis qui obierunt. Memento etiam, Domine, omnium defunctorum fidelium qui pridem obierunt et ad te pervenerunt. Suscipe oblationes istas, quae pro illis hodie tibi offeruntur, et quiescere illos fac in sinu beato Abrahami. Cum spe misericordiae tuae quietem acceperunt omnes defuncti, et miserationes a te exspectant, Deus noster adorande. Praesta illis ut mereantur audire vocem illam vivificam, quae vocet illos, et adducat, utque sint invitati ad regnum tuum. Concede etiam nobis exitum tranquillum, per gratiam tuam, et abole insipientias nostras, per misericordiam tuam.

Elevans vocem. Unus enim fuit qui visus fuerit super terram, sine peccato, unigenitus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, propitiator magnus generis nostri; ipse per quem et nos misericordiam obtinere speramus, et remissionem peccatorum nostrorum et illorum.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Nobis etiam et illis esto propitius, et condonator peccatorum Domine, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur, laudetur, et honoretur nomen tuum gloriosissimum et benedi-

ctum: simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus vivi et sancti, nunc. *Populus.* Sicut.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sint. *Populus.* Et cum.
Sacerdos. Credimus et accedimus.
Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Domine misericors, et mitis, qui supra omnia extolleris et laudibus celebraris, exaltaris, et glorificaris: tu Domine praesta etiam nobis pauperibus et infimis servis tuis, ut pure et sancte oremus, clamemus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. O Domine, o benigne, ne despicias nos, ita ut praevaleat adversum nos tentatio, sed libera nos a malo rebelli, et a viis ejus tortuosis et perversis: quia tuum est regnum, et unigeniti Filii tui, et Spiritus sanctissimi tui, boni, adorandi et vivificantis.

Populus. Amen.

Diaconus. Inclinate.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Sacerdos elevans vocem. Benedic, Domine, populo tuo fideli, qui coram te inclinatus est: eripeque nos omnes a damnis: et praesta nobis, ut mysteriis divinis pure et sancte communicemus, et per illa expiemur et sanctificemur: referemusque tibi laudem et gratiarum actionem et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum.
Sacerdos. Sint. *Populus.* Et cum.
Diaconus. Unusquisque.
Sacerdos. Sancta sanctis.

Oratio post susceptionem Sacramentorum.

Gratias agimus tibi, Domine Deus, obsecrantes et deprecantes te: praesta nobis, ut sit nobis communio haec divina, ad expiationem

delictorum, remissionemque peccatorum, omniumque praevaricationum nostrarum: ut etiam ad gloriam nominis tui sancti, et unigeniti Filii tui.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Sacerdos. Domine Deus salutis, qui propter nos homo factus es, et per sacrificium personae tuae, salvasti nos: salva etiamnum nos a corruptione perniciosa, et fac nos templum nomini tuo sancto, quia populus et haereditas tua sumus: teque decet gloria, honor, et potestas cum Patre tuo et Spiritu tuo vivo et sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedic omnibus.

Diaconus. Benedicam Dominum.

FINIS.

IN LITURGIAM SANCTORUM APOSTOLORUM

NOTAE.

Mira est Codicum hujus Liturgiae diversitas, quae ex comparatione variorum Manuscriptorum conciliari nequit. Versionem elaboravimus ad exemplar, quod cum ea Liturgia quae nomine Duodecim Apostolorum sanctorum edita Romae est in Missali Chaldaico a pag. 98. usque ad 105. satis convenit, etsi in locis aliquibus differat: non illis modo, quae reformationem passa sunt, sed in aliis. At in Cod. Colb. 3922 alia est eodem titulo cum insigni discrimine. Unde manifestum est nullam aut exiguam esse titulorum fidem.

1. Forma verborum Christi ita ut eam vertimus, legitur in Codice Ms. nam in editione Romana, ut aliae mutata est. In hac parte duo observanda sunt: primum quod in verbis ad panis consecrationem pertinentibus, Christus edisse ex illo dicitur, ut in sequentibus, gustasse calicem: quod in Copticis et Nestorianis Liturgiis legitur, ut in aliquot Syriacis Jacobiticis. Ad calicem verba dominica referuntur ex Luca Evangelista. *Hoc est Testamentum Novum in meo sanguine*, quae fortassis ratio fuit cur Lucae in aliquot exemplaribus haec Anaphora tribuatur. In alia ejusdem nominis, deficiunt verba

Christi ad consecrationem panis, ex omissione ut videtur, qualem notavimus in ea quae tribuitur Dionysio Barsalibi: aliter se habet forma calicis: ita scilicet. *Hic est sanguis meus, in Novo Testamento:* cum in Evangelio scriptum sit, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.*

2. Haec oratio pro Christianis Regibus non extabat in Codice quo Romani editores usi sunt, et ex Mss. eam adjecimus: de ea nihil observandum occurrit, praeter illa quae in aliis Liturgiis ad similes formulas notavimus.

LITURGIA

MARCI PRAEDICATORIS, ET EVANGELISTAE.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater qui Filium tuum dilectum misisti ad salutem nostram: qui infirmi, egeni, et morbidi eramus, qui per sanguinem suum dominicum, nos perditos reduxit ad ovile tuum spirituale: deprecamur te Domine, ut suscipias e manibus nostris peccatricibus, sacrificium hoc timendum, spirituale, et incruentum, et per illud veniam concede peccatorum, insipientiarum, et criminum, quae a nobis commissa sunt: per beneplacitum voluntatis tuae, et per gratiam, et misericordiam, et amorem erga homines, unigeniti Filii tui, per quem, et cum quo te decet, gloria, et honor, et imperium, cum Spiritu tuo vivo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Coram te, Domine Deus, inclinamus colla animarum corporumque nostrorum, et oramus, petimusque a clementia tua, ut largiaris nobis divitias gratiae, benignitatis, et misericordiae tuae: auxilia tua nos adjuvent omnibus diebus vitae nostrae, per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Domine Deus omnipotens, qui es caritas vera, et sancta, praesta nobis ut omnibus diebus vitae no-

strae constringamur, et delectemur in caritate tua divina: et dantes nobis invicem pacem in osculo sancto, simus tibi oves praeclarae absque macula, et ab omni confusione liberae. Per Jesum Christum Dominum nostrum unigenitum Filium tuum, per quem, et cum quo te decet gloria, honor, et potentia cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere te Domine decet omnis gloria, omnis gratiarum actio, omnis laus, omnis honor, omnis exaltatio: te opificem omnium, Deum et Patrem, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo vivo, et sancto nunc, etc.

Elevans vocem. Te enim vere Domine, benedicunt, glorificant, laudant, et honorant Angeli et Archangeli: Principatus, et Potestates: Throni, et Dominationes: Virtutes incorporeae: Cherubim, et Seraphim, cum omnibus coelestibus, uno aequali cantu gloriae, concinentes, clamantes, vociferantes et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Deus Pater omnipotens, cum Filio qui ex te est, et Spiritu tuo sancto: qui cum a te periissemus per praecepti transgressionem, misisti ipsum unigenitum Filium tuum, ad auxilium nostrum: qui per passiones suas salutares reduxit nos ad haereditatem nostram pristinam, et vivificavit nos sanguine suo divino.

Elevans vocem. Cum ergo ad passionem nostri causa venisset in carne, per gratiam suam: ipse in quo peccatum non inventum est, accepit panem in manus suas sanctas, et aspexit in coelum, et gratias egit, † et benedixit, † et sanctificavit, † et fregit, et dixit discipulis suis. Hoc est corpus meum, accipite, manducate ad remissionem peccatorum vestrorum et omnium fidelium verorum, et ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter, et calicem vino, et aqua miscens, † benedixit, † et sanctificavit, † deditque discipulis suis, et dixit. Hic est sanguis meus Testamenti Novi, accipite, bibite ex eo vos omnes, ad remissionem peccatorum vestrorum, et omnium fidelium verorum ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et cum haec mea praecepta perfeceritis, mortem et resurrectionem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam celebrantes, Domine Jesu Christe, totius dispensationis tuae salutaris pro nobis, a conceptione, nativitate, et baptismo tuo sancto, passionis tuae salutaris, mortis tuae vivificae, triduanae sepulturae tuae, gloriosae resurrectionis tuae, ascensionis tuae in coelum, et sessionis tuae ad dexteram Dei Patris, et adventus tui tremendi, et timendi, supremi et dominici, quo judicaturus es homines, et retribues unicuique secundum opera sua: deprecamur te Domine in hac hora timenda, et in hoc tempore tremoris, et metus. Propitius esto, et miserere omnium nostrum per miserationem tuam, et ignosce delictis nostris per gratiam tuam. Dimitte peccata nostra per misericordiam tuam, et aufer insipientias nostras, in die abundantis misericordiae tuae; dealba maculas nostras hyssopo tuo. Propter hoc enim Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, ac tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Accipue.

Diaconus. Quam terribilis est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Domine miserere nostri, et exaudi nos hoc tempore: et mitte ad nos e coelo tuo excelso, et sublimi, Spiritum tuum sanctum, consubstantialem tibi, et honore aequalem, qui super unigenitum Filium tuum apparuit in Jordane fluvio in columbae specie, et super Apostolos tuos sanctos, in linguis igneis in coenaculo descendit, et nos perficiat per abundantiam gratiae tuae, vasa electa, quae utilia sint, ad ministerium honoris tui.

Sacerdos elevans vocem. Exaudi me Domine, exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut benedicens, et sanctificans, corpus Christi perficiat panem istum. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Elevans vocem. Ut sint nobis haec mysteria sancta ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum; ad fiduciam habendam coram throno tuo terribili, et ad consistentiam absque confusione: ad honorem, et aedificationem Ecclesiae tuae sanctae, et ad conservationem filiorum ejus sine peccato: et referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem.

Sacerdos inclinatus. Domine Deus, coram te inclinor hoc tempore, et deprecor clementiam tuam, adjuva me; parce mihi, et ignosce mihi peccata mea; insipientiasque meas, et iniquitates omnes quae a me perpetratae sunt, tanquam homine carne vestito. Suscipe etiam de manibus meis sacrificium hoc praeclarum, et incruentum, et extolle cornu Ecclesiae tuae sanctae, toto orbe diffusae, et custodi pastores ejus Orthodoxos. Praecipue Dominum N. Patriarcham nostrum, et Dominum N. Episcopum nostrum, et Metropolitas, et Episcopos Orthodoxos in tranquillitate, et pace omnibus diebus vitae suae: Sacerdotes quoque decoros, et veros, et Diaconos modestos, et puros, et omnem Ordinem altari tuo sancto deservientem honora, et custodi illos ab omnibus dolis per gratiam tuam.

Elevans vocem. Confirma Domine per clementiam tuam, Ecclesiam tuam sanctam in praeclaro statu eorum qui in ea Sacramenta administrant, piorum, et rectorum. Episcopos ejus sapientes effice per gratiam tuam, et Sacerdotes in gloria perfectionis mysteriorum tuorum sanctorum, et Diaconos ministerii tui spiritualis, in puritate, et sanctitate, et populum tuum fidelem et sanctum, tales exhibe, ut perseverent secure in morum Christianorum observatione, ut festo spirituali exultent, et referant tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Et sacrificii hujus divini, coram te propositi, memento Domine: sanctifica per clementiam tuam, et perfice nos illius beneficio ad implendam voluntatem tuam bonam, et vivificam: illos vero qui his oblationibus communicabunt, ignosce, et salva eos ab omnibus malis per caritatem tuam.

Elevans vocem. Et simul cum illis Domine, memento omnium qui invocant nomen tuum sanctum. Prope adstantes benedic, absen-

tes reduc, infirmos visita, debiles confirma, valetudine adversa laborantes robora, et eos qui a daemonibus tentantur, libera: vinctos educ, oppressos adjuva, pereuntes ad timorem tuum voca, et ad tui cognitionem, et omnibus iis qui obtulerunt oblationes, vota, primitias, ac decimas in Ecclesia tua sancta; tu Domine retribue illis bona, et praeclara; quia tu miserator, et veniae largitor es: et te decet honor, gloria, et potentia in unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Regibus timentibus Deum, pacem praesta Domine: judices custodi in timore tuo, et omnium fidelium filiorum Ecclesiae sanctae recordare, depelle ab eis bella tam domestica quam extranea: tranquilla civitate perfruantur, et custodi eos signo victricis crucis tuae.

Elevans vocem. Persecutionem patientes, et captivos gregis tui, dirige, et salva, per misericordiam tuam Domine: navigantes adducito ad portum securitatis: peregrinis esto domus reditus: in viam profectis esto itineris comes: Religiosis, et Monachis, et iis qui speluncis terrae delitescunt, finem religiosi hujus propositi concede, et quia omnes cum summa cura adjuvas Domine, ex omnibus referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Ad altare tuum coeleste et ad istud Domine, memento nunc Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Annunciatorum, Praedicatorum, et Evangelistarum: praecipue sanctae Matris Dei semperque Virginis Beatae Mariae, et Joannis praecursoris Baptistae, et Stephani primi Diaconorum, et primi Martyrum reliquorumque sanctorum omnium.

Elevans vocem. Et tanquam bonus, et veniae largitor Domine, agmen triumphatorum illorum adjunge ad auxilium infirmitatis nostrae, ordines illorum beatos, turmas eorum admirabiles, occursum eorum praeclarum, festum eorum laetabundum, statum eorum laetum, ad ordinem doxologiae eorum praeclarae, et per intercessiones eorum suscipiantur oblationes, decimae, et orationes nostrae, coram throno praeclarae majestatis tuae, et cum iis, et inter eos referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem.

Sacerdos inclinatus. Doctorum probatorum et verorum Episcoporum, sanctorum inspiratorum a Spiritu sancto qui dudum in fide orthodoxa obierunt, memento Domine per misericordiam tuam: praecipue vero, et nominatim, Ignatii, Dionysii, Clementis, Marci, Pauli:

cum reliquis omnibus qui persecutionem passi sunt, pro confirmatione Ecclesiarum suarum sanctarum.

Elevans vocem. Fidem eorum sinceram in animabus nostris planta, o Domine, omni tempore, praeclaram morum institutionem eorum in nobis confirma: rectitudinem legum irreprehensibilium quas ab ipsis didicimus, in mentibus nostris firma: eorum praecipue qui omnibus spoliati patienter tormenta sustinuerunt pro constitutione Ecclesiarum tuarum sanctarum: eorum qui jugiter rivos lacrymarum ex oculis profuderunt pro salute nostra qui peccatores sumus, et eorum vestigiis insistentes, adjunge nos societati ordinum illorum beatorum, ut cum illis pure canamus tibi hymnum convenientem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo.

Sacerdos inclinatus. Et eorum qui pia commemoratione digni sunt, memento per misericordiam tuam Domine, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorumque castorum, Anagnostarum, Lectorum, Cantorum, et omnium defunctorum fidelium, praecipue patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et omnium qui petierunt orationes tenuitatis nostrae: et omnium qui participes facti sunt dignitatis Ecclesiasticae cujuslibet, quique necessitatibus omnium egenorum societatis nostrae communicaverunt, et iis quorum meminimus, fac memoriam bonam.

Elevans vocem. Rogamus te, Domine Deus, Patrum sanctorum Abraham, Isaac, et Jacob, et omnis coetus justorum, et piorum; ut illis quietem tribuas, illis inquam omnibus, qui a nobis profecti ad te migraverunt, et ad sedes tuas beatas pervenerunt. Dele, ignosce, et remitte omnia peccata eorum, nota, et ignota, voluntaria, et involuntaria, quia nullus visus est super terram absque peccatis, nisi solus Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: per quem et nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae propter eum est, et nobis, et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Dele Domine, per misericordiam tuam omnia peccata nostra, et illorum, occulta; et manifesta quae solus nosti, nosque, et illos dignos effice, ut ex vita hac temporali migrantes absque peccato aut reatu, stemus coram te, et cum illis, et inter eos, mereamur referre tibi gloriam indesinentem, et festum agamus tibi in choreis triumphalibus, illic in vita illa longa, temporali, et aeterna

commorantes: ut in hoc sicut in omnibus laudetur, et celebretur nomen tuum maxime honorandum, et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Et dicit. Credimus.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater misericors, et benigne, bone, longanimis miserator, et mitis: quem adorant, et laudant Angeli et Archangeli, et omnes Ordines materiae expertes: qui ministerium hoc divinum sanctificas, et perficis absolute, secundum beneplacitum tuum, et per gratiam unigeniti Filii tui, et per illapsum Spiritus tui sancti. Nunc quoque nos omnes sanctifica, ut simus tibi Filii novi, spirituales, puri, et sancti; ut corde puro, et anima nitenti, audeamus invocare te patrem laudandum, et amatorem hominum, oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Conserva nos Domine Deus, ab omnibus tentationibus animae, et corporis: deprime, et dejice Diabolum hostem nostrum sub pedibus nostris: et concede nobis uberem misericordiam, quae ex te est, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo benedictus es et laudandus, cum Spiritu tuo vivo, et sancto, nunc.

Populus. Amen.

Diaconus. Inclinate.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Respice Domine in haereditatem tuam, quae coram te nunc prosternitur, et inclinatur. Dirige gressus nostros in semitis rectis tuis: et praesta ut communicemus huic sacrificio, quod coram te est, et sit nobis, et omnibus ex illo accipientibus, in sanctificationem animae et corporis, per Christum Jesum

Dominum nostrum, cum quo te decet gloria, et honor, et imperium cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae sint.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis, etc.

Populus. Unus Pater.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Confitemur tibi, adoramus te, et gratias agimus tibi, multae misericordiae, et gratiae, nunc cum nos dignos fecisti, comedendi corpus sanctum unigeniti Filii tui, et bibendi sanguinem ejus, purum, et sanctum. Fac Domine, ut pignus hoc in nobis maneat, et sit nobis in propitiatiqnem, et vitam novam, non in condemnationem, et mortem aeternam, ut propter omnia tua erga nos beneficia, gloriam perpetuam referamus tibi, et unigenito Filio tuo, Spiritui que tuo sanctissimo, et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Diaconus. Iterum et iterum.

Sacerdos. Christe Rex gloriae, commendamus tibi regimen vitae nostrae: fac ut omnes nec tentati, nec spoliati ab hoste simus, et effunde super nos misericordiam tuam incomprehensibilem, et unicuique nostrum quod ipsi necessarium est, concede. Omnem adorantium te congregationem robora, et adjuva: senes confirma per potestatem tuam magnam; juvenes contine in observatione sollicitudinis (erga illos) tuae: pueros educa; et instrue doctrina tua divina: et omnes obsigna invicta cruce tua, ut referamus tibi gloriam, et laudem.

Populus. Amen,

Sacerdos. Benedic nobis omnibus.

Diaconus. Benedicam.

Aliae Orationes ex Cod. Mss.

Quis reperiri posset inter homines qui possit digna rependere gratiae tuae, Domine? qui nobis malis, et abjectis dedisti donum

hoc divinum, et sanctum, et fecisti nos dignos communicandi corpori, et sanguini unigeniti Filii tui, qui nos per se ipsum salvavit: cum quo te decet, etc.

Alia. Deus adorande, et sancte Jesu Christe, benedic, et parce Sacerdotibus oeconomis Ecclesiae tuae sanctae, et Diaconis administrantibus mysteria tua divina, et omnibus fidelibus veris, qui communicaverunt huic sacrificio. Ale, et cura orphanos, adjuva viduas, confirma pauperes et angustiatos spiritu, satia esurientes, et omnes qui invocant nomen tuum sanctum. Custodi illos in omni loco absque delictis, et peccatis, ut ab omnibus, et per omnia, et propter omnia laudetur nomen tuum sanctum, etc.

AD MARCI
LITURGIAM SYRIACAM
NOTAE.

De titulis Liturgiarum dictum est alibi, quantum opus fuit, et probatum satis, ex eo solo argumento nullam ejusmodi Officiis autoritatem accedere, praesertim cum major omnino sit ea, quae ex usu Ecclesiarum nascitur, quam quae ex sola autorum, etiam sanctorum, dignitate. Ut autem quid de ista sentiendum sit agnoscatur, eas Liturgias referemus quae Marci nomen prae se ferunt. Prima et antiquissima Graeca est, edita a Joanne de sancto Andrea Ecclesiae Parisiensis Canonico, ex *ἀπογράφῳ* Codicis Graeci antiqui et bonae notae, qui sive Guillelmi Sirleti Cardinalis fuerit, sive ab eo solum visus et exscriptus, superest in Bibliotheca S. Basilii Graecorum Monachorum Romae, translatus cum multis aliis ex Monasterio Cryptae-ferratae, cura R. Patris Generalis viri piissimi et doctissimi, cujus beneficio Romae illum tractavimus, et integriorem apographo reperimus. Haec autem Liturgia, Copticae quae Basilio adscribitur primaevum exemplar est, et olim non alia utebatur Alexandrina Ecclesia ut alibi probavimus. Aliam nomine Marci extare apud suos Jacobitas Aegyptios scripsit Abulbircat, et ejus fragmentum vidimus in quibusdam codd. At in melioribus non extat: et suspectissimum est autoris testimonium, qui tamen alio loco se explicat, dum ait eam esse quam Cyrillus perfecit. Ita quae Cyrillo tribuitur a quibusdam Marco adscripta est:

et id quidem facile fuit apud Alexandriam, sedem D. Marci: in Antiocheno Patriarchatu non item, ubi Graecae alicujus, quae cum Syriaca ista conveniret, usus aliquando nullus fuit. Quod vero hoc usque incompertum fuerat, nempe primaevum esse exemplar Graecum, Liturgiarum quae Alexandriae usurpantur, palam facit Codex rarissimus Bibliothecae Regiae in quo Graecus textus Liturgiarum Basilii et Gregorii, quae a Coptitis sua lingua usurpantur, descriptus est cum versione Arabica: ab ea quam Coptici Codices vulgo adjunctam habent omnino diversa. Eam quae Marci dicitur Codex ille non exhibet: sed Romanus ex quo procurata editio est, eam esse demonstrat, quae in Coptico exemplari Cyrilli appellatur. De illis omnibus alibi satis dictum est.

De ista illud primo observandum est, eam esse omnino ritus Syriaci, et ab aliis quae eodem nomine designantur, omnino diversam. Illas autem intelligimus, quae apud Coptitas usurpantur, aut olim usurpatae fuerunt, Graecam scilicet vetustam quae ex Cod. Crypta-ferratensi edita est, et Copticam quae Cyrilli nomen habet.

Dudum porro est cum ea quam exhibemus Jacobitae utuntur, cum extet in Mss. Colbertinis, et nonnullis aliis: ejus meminerint Maronitae doctissimi Gabriel Sionita, et Abraham Echellensis: tandemque inter alias edita sit in Missali Chaldaico, sive Maronitarum anno MDXCIV. Romae pag. 205. et sequentibus. Non est tamen, ut de aliis monuimus, unde quisquam existimet ad Maronitas eam magis pertinere quam ad Jacobitas, quidquid recentiores ex ea gente, de hoc argumento scripserint. Omnia quippe Officia sacra, si ea excipimus quae recentissime, hoc est a reformata per Missionarios Apostolicos Libanitica Ecclesia, introducta sunt, Latino ritui magis quam Orientali similia, Jacobitis propria sunt.

Romanae editioni in hac ut reliquis Liturgiis interpolatio multiplex accidit a Maronitarum et Censorum obscurorum manibus, qui cum in Scholastica Theologia fortassis perspicacissimi forent, in disciplina Ecclesiastica plane hospites: ea mutaverunt, quae cum altera illa constare non posse videbantur, imo haeresin sapere, quam in precibus longe multorum saeculorum usu consecratis, latere non posse certissimum est, nisi potiorem existimemus aliquot Theologorum, quam Ecclesiae autoritatem. Grassati sunt praecipue in Invocationem Spiritus sancti, quam nos ex Codd. Mss. fide restituimus.

Cur Syri Jacobitae Liturgiam singularem Marci nomine habeant ratio certa in re adeo incerta dari nulla potest, praesertim cum nulli plures habeant quam in ea communione reperiuntur, cum Nestoriani non alias habuerint huc usque, ultra tres apud eos celebratas: totidem Alexandrini ejusdem sectae, Syrarum numerus, ad quadraginta perveniat. Verisimiliter fortassis existimare possumus, ex antiquissima Antiochenae sedis Jacobiticae cum Alexandrina conjunctione factum, ut S. Marco quaedam Liturgia dicaretur, in ejus festo recitanda.

LITURGIA
S. CLEMENTIS ROMANI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus qui es mare ineffabile caritatis, et abyssus imperscrutabilis pacis, fons bonorum, et largitor dilectionis, qui mittis pacem ad illos qui eam suscipiunt: aperi nobis hoc tempore mare caritatis tuae, et irriga nos fluentis ditissimis, ex ubertate gratiae tuae, et ex fontibus suavissimis benignitatis tuae. Fac nos filios tranquillitatis et haeredes pacis, accende in nobis ignem caritatis tuae, et fervorem amoris tui. Sere in nobis timorem tuum, et confirma infirmitatem nostram veritate tua. Constringe nos tecum, et nobiscum invicem, una, firmaque nec dissolubili concordia. Praesta etiam ut vacui dolo, et puri ab omni livore, salutemus invicem in osculo et amplexu pacis et caritatis non fictae, ut cum corde puro et anima munda, hic quidem arrhabonem vitae membris nostris misceamus, et illic in futuro saeculo invitati simus ad festum illud perpetuum deliciisque abundantissimum: et triumphaliter celebremus te, o beate, in regno tuo, quod in aeternum permanet, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos elevans vocem. Deus invisibilis, et incomprehensibilis, ineffabilis et infinite, qui in sanctis sanctorum excelsis habitas, in secreto habitaculo, quod manibus factum non est, supra coelos coelorum, et supra quidquid superius illis est; qui

destruis omnem altitudinem passionum extollentem se adversus scientiam tuam, et captivans omnem cogitationem ad formam humilitatis et adnihilationis tuae. Tu beatissime, et dives donorum sublimium aspice nos e coelis tuis sublimibus et splendidis, et ex habitatione regni tui aeterni. Mitte nobis dona gratiae tuae divinae, inhabitationem Spiritus tui sancti; quia tu dives misericordiarum et magnificus in donis, et amplissimae clementiae, tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Domine Deus potens, qui vides abscondita, et futura etiam penetras, fons vitae et origo beata beatitudinis et bonitatis; largitor puritatis, et a quo sanctitas habet originem; thesaurus rerum preciosarum, et fons sapientiae: pater lucis aeternae, quae est ante omnia saecula in te essentialiter, aequalis potentia et gloria. Te deprecamur sanctissime Domine, sanctifica mentes et cogitationes omnium nostrum, munda animas et corpora omnium nostrum, refraena inordinationem cogitationum nostrarum. Indue nos stola nova intertexta ornatu morum honestorum: et per Spiritum tuum sanctum perficientem omnia, qui in omnibus mentibus puris habitat, et in animabus mundis sedem habet, sanctifica nos per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos. Te enim decet gloria et tibi debetur laudatio: te decet hymnus et exaltatio quocumque tempore, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, Deum verum, unius naturae excelsae, unius substantiae, qui in personis tribus adoraris et laudaris ab omnibus, quae per sapientiam creasti et ordinasti.

Sacerdos elevans vocem. Benedicimus te factorem saeculorum et creatorem naturarum, largitorem vitae et Dominum creaturarum

visibilium et invisibilium. Coeli coelorum, et quaecumque in illis sunt, cum naturis igneis et spiritualibus te glorificant. Sol et luna cursibus suis te venerantur: stellae splendore suo te praedicant: tonitrua sonis suis terrent, ad mandatum tuum: motus in aëre virtutem tuam significant: aquae in nubibus nutu tuo coguntur: terra et quaecumque super eam sunt, a te pendent, atque a te sustentantur: naturae rationales, et ratione carentes, illae quae intelligentia, et quae solo sensu praeditae sunt, per te vivunt, et potestati regni tui obediunt. Habes Domine in coelo illo excelso quod est scabellum sub pedibus tuis, ministros innumerabiles, et infinitum numerum laudantium te, qui in regionibus materiae expertibus, laudi majestatis tuae, et ministerio tuo toti addicti sunt, personas scilicet quae ex igne et Spiritu creatae sunt: quae canticis omnium musicae generum, laudes tuas cum clamore celebrant, milleni et decies milleni, qui ab aeterno fructus laudationis tibi deferunt, agmina et ordines spiritualium in suos ordines distributorum, qui hymnos jucundos tibi offerunt: coetus Angelorum, ordinesque Archangelorum, qui tibi uni Deo laudem novam et indesinentem referunt: Throni et Dominationes in firmissima et non perturbabili securitate constituti, qui cantica triumphalia concinunt tibi, summopere timendo. Archangeli et virtutes, Potestatumque principes, qui gloria Thronorum exornantur, laudesque et encomia dignissima prout decet dirigunt ad infimos gradus solii tui. Principatus spirituales qui coram te cum timore consistunt, indesinenter sanctificant tonitru sanctitatis tuae. Currus igneus animalium quadruplici facie distinctorum, similitudinibusque diversis donorum gloriae diversorum, decorem regni tui clamant: agmina Cherubim multis oculis praeditorum, in circulum voces benedictionis in regionem tuam absconditam extollunt: Seraphim multis alis instructi, qui facies suas iisdem alis suis protegunt a splendore tuo, et pedes suos pennis quoque suis tegunt, ut non adurantur ab ardore ignis tui inaccessibilis, et volantes undequaque laudant, et ad alterutrum alis plaudentes benedicunt, et alter alteri conformati glorificant: et unus ab altero hymnum suscipientes, oribus igneis, linguisque flammeis, una voce triplicatae sanctificationis laudant, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater, Sanctus es Deus Fili, Sanctus es Spiritus sancte, Trinitas sancta et indivisa, unus

Deus solus et sanctus es, in natura: qui in personis tribus adoraris, et in unitate substantiae glorificaris. In quibuscumque locis et mundi partibus, non sufficiunt ad extollendam virtutem majestatis tuae. Qui plasmasti hominem ad imaginem majestatis tuae, rationemque ipsi indidisti, praescripsistique tanquam limitem a Domino constitutum, ne praeceptum tuum transgrederetur: qui cum errasset, contemsissetque legem tuam, sententiam mortis incurrit, et in exilium infirmitatis depulsus est. Tu vero creator ejus, bonus et misericors, non abjecisti curam ejus, quam habebas, sed omnia ad salutem ejus instituisti, eo usque ut filium tuum aeternum et unigenitum tuum miseris in mundum, qui dispensationem suam salutarem propter eum explevit.

Elevans vocem. Cum ergo paratus esset, secundum voluntatem suam ad gustandas passiones, ad ascendendum in crucem et patibulum, mortemque subeundam pro vita totius mundi, ea vespera qua consummationem mysteriorum, et mirabilium perfecit, panem accepit in manus suas puras et sanctas, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque initiatis hoc ejus mysterio, Apostolis sanctis dicens: Accipite, et manducate ex eo, quia Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur et datur, ad veniam omnium fidelium, plurimorum pro quibus immolatur, et dividitur, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Post coenam illam mysticam, miscuit calicem vitae ex vino et aqua: et ad te Deus Pater oculos elevans, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit turbae discipulorum suorum electorum, Apostolorumque sanctorum et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus, qui confirmat testamentum mortis meae: qui pro vobis effunditur et pro multis datur, et dividitur ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quando autem huic pani communicabitis, et calicem hunc vitae usurpabitis, commemorationem mortis meae facietis, memoriamque resurrectionis meae perficietis donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos elevans vocem. Oculo intellectuali cordis describimus periodum dispensationis tuae sapientissimae, Christe Domine noster, et ea omnia quae operatus es per incarnationem tuam salutarem pro

salute nostra, commemoramus: generationem tuam ex Patre abscondito: nativitatem tuam ex Virgine inexplicabilem: ortum tuum eximium et praeclarum: elevationem tuam in cruce salutarem et admirandam: adventum tuum mundo vitam praestantem, excitationem tuam plenam miraculo: resurrectionem tuam gloriosam, plenamque omni gaudio: elevationem tuam in sublimia: excellentiamque sessionis tuae ad dexteram genitoris tui; praeterea etiam revelationem regni tui gloriosi, quae futura est in adventu tuo secundo: quando tu cum gloria ineffabili exoriens, et in turbis igneis legionibusque flammeis circumgestatus, tanquam fulgur timendum et validum, ex sublimi gloriae tuae prodibis: quando statuetur solium terribile majestatis, et sedes electis tuis collocabuntur: quando populi et nationes congregabuntur, et ad locum judicii sistentur, ut suscipiat unusquisque secundum opus suum: atque retribuetur unicuique secundum actiones suas, quando libri aperientur, et opera, verba, et actiones discutientur: quando recitabuntur crimina, et tanquam sol splendidus, palam fient abscondita, clarissime: quando mare ignis exundabit, aestuabitque fumus flammarum, descendetque fluvius ignis ardentis, ad probationem, et examen omnis carnis; quando angustiae amarissimae erunt iniquis: et praeparata erunt bona et deliciae justis: quando misericordia auferetur, et impii tradentur gehennae, atque pii vitam novam in aeternum haereditabunt. Quando vox valida audietur quae partem unam ab altera separabit, transferetque agnos ad dexteram, et haedos ad sinistram. Te deprecamur plenum misericordia, Domine, in hora illa decretoria, multiplica clementiam tuam erga adoratores tuos, in tempore illo terribili, et tristitiae pleno. Propitius esto erga animas servorum tuorum; in hora illa terroris, effunde misericordiam tuam super eos, qui per crucem tuam salvati sunt. In tempore illo timoris, miserere illorum qui confitentur passiones tuas: tangat te cura illorum, qui fiduciam habent super amorem tuum erga homines, et parce peccatis eorum; commoveatur benignitas tua, erga illos qui invocant nomen tuum sanctum et remitte delicta illorum. Ne auferantur miserationes tuae per iram tuam, neque deficiat nobis gratia tua, propter multitudinem malitiae nostrae. Ne excludas clementiam tuam, propter iniquitatem nostram: ne mutetur natura tua, propter magnitudinem insipientiarum nostrarum. Non eligant nos Angeli tui sancti, et tanquam fasciculos zizaniorum, in ignem nos projiciant. Non increpes ministros regni tui, propter sordes vestimentorum, ne-

que tanquam contemtores majestatis tuae nos in tenebras exteriores ejiciant. Ne extinguatur lumen lampadum nostrarum, ita ut extra fores thalami nuptialis tui remaneamus. Ne justitia tua nobis adversetur, neque in tenebras exteriores, et stridorem dentium projecti cruciemur. Exhibe auxilium gratiae tuae erga malitiam nostram: effunde pelagus miserationis tuae super nequitiam nostram, et ablue nostra crimina. Emitte abundantiam clementiae tuae et amoris tui erga homines, et dele quae in nobis odio digna sunt: contine Domine fortitudinem tuam, et blando erga nos aspectu mutetur indignatio tua, vultusque tui serenitatem demonstra nobis, ut victores in causa peccatorum nostrorum coram sede majestatis tuae appareamus: numeremur etiam inter vocatos ad regnum tuum, et inter invitatos discumbentes apud te collocemur, et splendore lucis tuae eximiae cum voluptate perfruamur. Propterea Ecclesia tua orat, et grex tuus deprecatur, et vocibus triumphalibus te interpellat, misericordiamque, et clementiam a te flagitat, et obsecrat te dicens.

Populus. Miserere.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos. Nos quoque.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Obsecramus te sanctissime Deus, mitte ad nos ex habitaculo regni tui aeterni, et ex regione praesentiae tuae excelsae, Spiritum tuum sanctum, consubstantialem tibi, et operatione aequalem, [2] qui a te absque initio procedit, per unigenitum Filium tuum et qui quocumque tempore datur iis qui tibi accepti sunt, eosque qui te vident et intelligunt perficit et consummat: ut illabens, requiescensque, habitet super oblationes istas: quibus sanctificatis per virtutem gratiae tuae perficiat haec mysteria, atque illa suscepturos.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et panem quidem istum, efficiat, corpus vivificum, † corpus coeleste et salutare, † corpus salvans animas nostras, et corpora nostra, † corpus ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Similiter et mistum quod in hoc calice est, efficiat † sanguinem purificantem et sanctificantem, † sanguinem vivificum et salutarem, † sanguinem salvantem animas et corpora nostra, sanguinem ipsius Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam illum suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Ut per communionem horum Sacramentorum vivificantium, ad delicias vitae coelestis aditum habeamus, mereamurque evadere mortem secundam: neque tanquam rei ad judicium subeundum praeparemur coram throno gloriae tuae: et beatitudinem illam ab Angelis annunciatam pastoribus, spiritualem scilicet, in terra coelesti suscipiamus, ea in regione ubi tabernacula lucis fixa sunt: in domo nuptiali exornata, et in convivio vitae spiritualis, cum illis victoribus, qui festum illic peragunt, feliciter celebremus te, et inter agmina eorum, canamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Ecclesiae tuae sanctae, confirma fundamenta ejus in fide recta, et conserva eam in tranquillitate perpetua, et in pace abundanti. Pastores et Doctores Orthodoxos qui praesunt in ea, castimonia morum exorna: praecipue vero Dominum N. Patriarcham: et Dominum N. Episcopum nostrum, et da illis ut cum decore pascant eam. Memento etiam Domine, Sacerdotum Ecclesiae tuae, et Diaconorum templi tui, et omnium Ordinum, qui ad ministerium tuum segregati sunt. Memento etiam Domine mei peccatoris insipientis, et pauperis servi tui, mei inquam peccatoris servi tui, quem nubes obscurae delictorum circumdant. Per aspersionem hyssopi tui munda me, et tanquam nivem dealba me, purgatum a maculis et naevis peccati. Memento etiam Domine omnium fidelium qui in exiliis sunt, et eorum qui pro fide orthodoxa agonem sustinent.

Sacerdos elevans vocem. Et Ecclesiam tuam Domine, quam possedisti ab initio, et redemisti per sanguinem unigeniti Filii tui benedic, et depelle ab ea conflictationes haereseon perniciosarum, quae a spiritibus peccati suscitantur, et ad eam demergendam in abyssum impietatis, excitantur. Propulsa ab illa Domine scandala, et rixas, et praeserva eam a virgis, flagellisque tuis, atque a ten-

tationibus, quibus per infirmitatem succumbat. Libera eam a fame amara, a captivitate, et mortalitate. Da etiam illi tempora tranquilla, et abundantia, praeclaramque aëris temperiem, segetum fructuumque proventum, cum accumulatione omnium bonorum; quia tu bonus es, et super omnes largiter effundens munera tua, gratiamque tuam dispensans, tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui in virginitate pure vivunt, conjugatorum castorum, orphanorum et viduarum, pauperum et egenorum, et eorum qui adjuvant Ecclesiam tuam. Illorum etiam qui addicti sunt ministerio sanctorum, et adjuvant necessitatem patientes: qui offerunt oblationes, et praeclare operantur.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et adjuva per dexteram tuam potentem, confirmaque brachio tuo forti, omnes qui in Ecclesia tua sancta Catholica et Apostolica perpetuo oblationes offerunt, et memoriae sanctorum tuorum communicant; qui eleemosynarum fructibus egenos abundanter sustentant, et indigentiam explent pauperum. Da illis abundantiam bonorum, pro dispositione cordium eorum: et pro donis temporalibus, da illis affluentiam benedictionum ditissimarum et inamissibilium: et pro possessionibus non permanentibus, praepara illis delicias beatas, et mercedem inconsumtibilem, et munera amoris erga homines tui, bonaque uberrima haereditatis tuae: quia tu bonus es, et dives in muneribus, largusque donorum tuorum: et tibi gloriam et gratiarum actionem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [3] Regum Orthodoxorum, da illis victoriam de inimicis suis, et virtute omnipotenti tua robora illos, et arma illos.

Elevans vocem. Ordines etiam militiae, copias bellicas, viresque regnorum, quae sub jugo servitutis, crucis tuae victricis inclinantur, et signum unigeniti Filii tui tenent, tanquam arma salutis, adjuva et salva Domine. Conjurationes gentium inimicarum disperge et dissipa: regna profana, et haereses impias comprime dextera tua potenti: hebeta gladium acutum, ne immineat cervicibus gregis tui: compesce captivitates, caedes, et bella a populis et haereditate tua: neque aspicias iniquitatem eorum qui unigenitum Filium tuum dividunt: sed reliquorum memento, qui retinent fidem orthodoxam,

et da illis atque nobis virtutem insuperabilem, et nobis et ipsis concede tempora quietis, et tranquillitatem salutis, per gratiam et misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria et honor, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Eorum etiam omnium qui agonibus suis tibi placuerunt, et summam moribus suis gloriam consecuti sunt, fac bonam memoriam Domine, hoc tempore: patrum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Praedicatorum, Annunciatorum, Evangelistarum, Joannis Baptistae, Stephani Diaconi, et Genitricis Dei Mariae, cum omnibus Sanctis.

Elevans vocem. Eorum qui certamine athletico suo perfecti, et agone justitiae consummati sunt. Memento etiam Domine eorum, qui in singulis regionibus et civitatibus placuerunt tibi, qui exitum vitae inculpatum habentes ex hoc mundo profecti, ad te pervenerunt, et ad coelestes domos elevati sunt: Patrum antiquorum et Patriarcharum, principum familiarum, qui mysteria viderunt et revelationes penetraverunt, oeconomorum spiritualium, praedicatorum gloriosorum, et dilectorum tibi deprecantium te, tibique acceptorum et dispensatorum domus tuae. Propitius esto Dominè iniquitatibus nostris, per orationes eorum. Da nobis ut cum fide orthodoxa, secundum exactam doctrinam eorum, sequamur illorum vestigia, simusque haeredes promissionum quae ad eos factae sunt, participesque mercedis eorum; et cum eis laetemur, adepti coronas victoriae, atque inter agmina eorum canamus tibi gloriam et laudem et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus coram te hoc tempore Domine, pastores veros, et doctores sinceros, omnes Patres electos et beatos, maxime vero Ignatium, Dionysium, cum reliquis dilectis tuis.

Elevans vocem. Eos qui super petram inconcussam confessionis Apostolicae, aedificaverunt, et stabiliverunt fidem, extenderuntque et dilataverunt tentorium Ecclesiae tuae, a finibus usque ad fines terrae: qui aedificaverunt ovile tuum in universa terra habitabili: qui in pratis spiritualibus, et Evangelicis fortitudinis tuae, paverunt oves tuas rationales, et super aquas quietis deduxerunt agnos gregis tui: qui coram regibus et tyrannis praedicaverunt Evangelium tuum, et coram judicibus iniquis confirmaverunt religionem tuam: qui

gentes in tenebris constitutas direxerunt atque illustraverunt, docuerruntque illas quod in umbra erroris sederent, illisque demonstraverunt lumen scientiae tuae. Qui semina bona fidei seminaverunt in terris animarum, et purgaverunt agros sylva spinarum et zizaniorum peccati: qui propriis passionibus reduxerunt captivitatem populi tui a potestate duri et maligni, et sanguine cervicum suarum liberaverunt eam ab oppressione rebellis illius: Ut per deprecationes eorum propitiatorias, et per obsecrationes eorum acceptabiles coram te, concedas nobis mores castos, et inculpabiles, fidem rectam, et incorruptam, vitam castam, neque perturbationi obnoxiam, dona sublimia et sancta, liberationem a tentationibus asperis: exitus paratos et insuperabiles, finem bonum, et immutabilem, bona amplissima, et promissa, delicias permanentes, haereditatem cum sanctis, fiduciam standi coram solio tuo terribili, quia tu misericors es, et largus in muneribus, tibique gloriam et laudem referemus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Et ad altare tuum spirituale et sanctum, Domine, praesta quietem, memoriam bonam et felicitatem omnibus animabus, corporibus et spiritibus, patrum, fratrum et magistrorum nostrorum omnium, corporalium aut spiritualium, qui in regionibus quibuscumque, civitatibus, aut partibus defuncti sunt, aut suffocati in mari, vel fluminibus: aut in itinere obierunt, et quorum memoria facta non est in Ecclesiis super terram constitutis. Tu Domine praesta illis memoriam bonam, qui defuncti sunt et ad te migraverunt, in fide orthodoxa, simul cum illis, quorum nomina in libro tuo vitae consignata sunt.

Elevans vocem. Illis omnibus qui stadium vitae decurrentes, perfecti et praeclari coram te apparuerunt et ex delictorum pelago liberati ad te pervenerunt, patribus et fratribus nostris secundum carnem, et spiritum: fratribus inquam nostris secundum corpus et secundum animam, quietem praesta Domine in sinu illo spirituali et magno. Da illis spiritum gaudii in habitaculis lucis et laetitiae, in tabernaculis umbrae et quietis, et thesauris voluptatum, unde longe abest omnis moestitia, ubi piorum animae primitias vitae absque labore expectant, et spiritus justorum ad finem promissae mercedis pariter attendunt: in ea regione ubi operarii et fatigati paradisum adspiciunt, et invitati ad nuptias sponsum coelestem desiderant: ubi vocati ad convivium, ut ascendant praestolantur, et ut

stolam illam novam gloriae accipiant, ardenter concupiscunt: unde absunt moestitudines, et ubi gaudia reperiuntur: unus enim omnino et solus visus est non irretitus passionibus peccati, ex illis qui humano corpore induti fuerunt, scilicet Jesus Christus Dominus noster unigenitus Filius tuus, per quem nos etiam speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos elevans vocem. Aufer, ignosce, et dele peccata nostra Deus, quae commisimus per remissas cogitationes, et quae a pueritia nostra ad senectutem usque, aperta, et nota sunt, Deus noster: voluntaria sive involuntaria, ea praesertim quibus in saeculo sine fine, condemnatio praeparata est. Da nobis ut quando justi in horrea tritici deferentur, et impii quasi palea comburentur, ut inter agmina Sanctorum tuorum laudemus te, et cum Angelis tuis canamus dicentes: benedictus ille qui venit ad salutem nostram, et nunc venit ad innovationem nostram, ut in hoc sicut et in omnibus, ab omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum honorandum et benedictum, et simul Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Angelus, etc.

Sacerdos frangit Oblatam. *Diaconus dicit Catholicam.*

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus qui per spiritum tuum locutus es in Prophetis, et praedicasti per Apostolos doctrinam sufficientem ad inspirandam mentibus nostris sapientiam, et per eos commendasti illud quod sensus spirituales animae purgaret, et quod ostia aperta capitis corporis nostri mundaret: obsecramus et deprecamur amorem erga homines tuum, et caritatem tuam eximiam, ut aperias aures cordium nostrorum ad audiendam orationem Dominicam, quae ipsa est quam Dominus et Deus noster unigenitus Filius tuus, initiatis mysterio suo, et fami-

liaribus suis tradidit, in qua consignata sunt praecepta et norma dirigendae vitae nostrae; et cum fiducia, qualis dilectos filios decet, invocemus te Deum Patrem coelestem, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur etc.

Sacerdos elevans vocem. Pater gratiae, a quo procedit et oritur sanctitas sanctis, adveniat regnum tuum, quod superat omnia regna, ad salvationem nostram: et ne inducas nos in tentationem, aut in confusionem, ex afflictione: sed libera nos a violentia diaboli, et spirituum malignorum, et a potentia deceptoris: quia tuum est imperium gloria et potestas, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tibi soli inclinantur colla omnium in quibus anima vitae est, et a te postulant remissionem omnium praevaricationum, quae per negligentiam commissae sunt. Tu autem per constantem misericordiam tuam dele et aufer omnes iniquitates nostras, et parce nobis per amorem tuum erga homines. Etiam praesta nobis, ut cum animae caula praeparatione, et cordis munditie, sanctis tuis communicemus, et sint nobis in pignus voluptatis in aeternum permansurae, per gratiam et misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore, etc.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Nunc Domine quando quidem invitatos ad regnum tuum fecisti nos, per susceptionem Sacramentorum tuorum sanctorum et vivificantium, quibus dignos praestitisti nos, ita ut partem

corporis et sanguinis sancti quae in eis sunt, mereremur accipere, atque communicare ipsis: fecistique ut essemus haeredes Sanctorum tuorum, oramus, obsecramus et deprecamur te, o clemens, ut non exquiras a nobis exactam illam observationem et castimoniam, circa illa mysteria, ne condemnemur cum iis qui te non noverunt, ad cruciatus ignis inextinguibilis: sed per gratiam tuam, cum filiis nuptiarum tuarum quiescere nos jube, et cum agnis mundis in paradiso fac nos discumbere, ut cum illis et inter eos offeramus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Coram te Domine Deus noster inclinamus colla animarum et corporum nostrorum, quia non sumus sufficientes, ad referendam gratiarum actionem majestati tuae, quales deberemus retribuere ad grates agendas tibi, sed has tantummodo, quia omnia dona quaecumque habemus, ex te sunt. Da nobis Domine voces sermonis dignitate animatas, ut sufficiant ad condignam convenientemque tui laudationem. O clemens qui nobis licet etiam terra indigni simus, claves thesauri tui commendasti, et super regnum tuum nos cum autoritate praeposuisti, praesta nobis ut in toto decursu vitae nostrae, puri coram te appareamus et a vanitate mundana, a cogitationibus terrenis, a motibus passionum, et remissis cogitationibus, sensus nostros occultos et manifestos remove: atque per fortitudinem potentiae tuae extende super nos dexteram tuam omnia complectentem, benedicque servis et adoratoribus tuis, qui salutem adepti sunt per nomen tuum sanctum, et fac nos templa habitationis tuae, et locum habitationis gloriae tuae: ut in die illo novo et aeterno, in regno tuo laetemur, et per te salvemur, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, et Patri tuo et Spiritui sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine, etc.

IN LITURGIAM CLEMENTIS ROMANI

NOTAE.

1. Praeter istam, nulla alia apud Orientales Clementi adscripta Liturgia reperitur in Mss. Codicibus, quod mirum sane videri posset, quando quidem in Clementinis Constitutionibus extat integra illius forma libro 8°. descripta. Verum quamvis illarum Constitutionum quas *Dascalia*, decurtato *Διδασκαλίας* nomine, Syri et Arabes vocare solent, versiones et epitomae plures reperiantur in Collectionibus Canonum Arabicis, ultimi illius libri fragmenta tantum habent: et is liber in vetustissima Syriaca Versione Codicis Florentini non extat. Neque apud Graecos, a quibus Constitutiones Apostolicas Syri et alii acceperunt, memoria ulla est Liturgiae quae Clementi tribueretur, quia scilicet in nulla Ecclesia celebri, et quae aliis legem aut exemplum dare posset, forma rituum et orationum singularis, ex Clementinis expressa, in usu fuit. Ratio cur istam Jacobitae composuerint et Clementi attribuerint frustra quaereretur, nisi dignitatis quam comparare huic officio conati sunt ex nomine viri Apostolici, cujus memoriam inseruerunt aliquoties in Diptychis suis, ut etiam in Confessione quam Ordinandis Sacerdotibus praelegi jubet Pontificalis Mediceus; et cujus aliquot testimonia in suae opinionis patrocinium referunt in Collectaneis, de quibus saepe dictum est. Non edita est in Missali Chaldaico, neque Gabriel Sionita in Epistola ad Nihusium, aut Abraham Echellensis Notis ad Hebed-Jesu, illius meminerunt, et pauci Codices eam repraesentant. Versio facta est ad bonae notae Codicem Colbertinum 3921. *Symmicta Allat. p. 291.*

Ut probetur Liturgiam istam Clementis Romani opus non esse, multis verbis non opus est, cum ne levem quidem talis antiquitatis notam habeat, sed recentioris aevi non paucas, inter quas praecipua videtur esse, stilus ille a prima simplicitate degenerans, et vere Asiatica synonymorum, epithetorum, metaphorarumque congeries, per quam ad supremum elegantiae culmen perveniri Orientales existimant. Id etiam probat additio aliquot verborum in forma consecrandi panis et calicis, ut in prima, *quod pro multis fidelibus immolatur:* in altera, *sanguis meus qui confirmat testamentum mortis meae:* quae formulae magis recentioribus similes sunt, quam vetustis Graecis, Syriacisque, quarum sententia ad verborum Evangelicorum simplicitatem propius accedit. In Invocatione Spiritus sancti id observandum, quod oratio quae verba Christi sequitur praeter aliarum morem prolixa est supra modum, ita ut majus omnino inter illa et Invocationem, sit intervallum. Neque tamen interlocutio Diaconi occurrit ut in Graecis posterioribus, nam eas additiones Graecis usurpatas, ignorant Orientales Ecclesiae.

2. Invocatio ejusdem sententiae est, ac omnes reliquae Syrae, quarum nulla eam lectionem repraesentat, quam Editores Missalis Chaldaici elegerunt: etsi aliquos Codices vidimus, quos ex commemoratione sancti Maronis et aliis indiciis, Maronitarum Orthodoxorum esse constabat, qui veterem et communem omnibus Liturgiis formam continebant. Invocatur Spiritus sanctus ut illabatur caelitus: ut requiescat, ut habitet super dona proposita, et illis verbis exprimitur oratio, quorum vim jam superius exposuimus, cum ad significandum illapsum et obumbrationem Spiritus sancti in Maria Virgine adhibeantur. Effectum exprimit Liturgia per verba duo נגמור *perficiat:* et נעבד *faciat:* quae respondent Graecis τελειώσῃ et ποιήσῃ. Illud magis observatione dignum, quod in illa ipsa Invocatione de Spiritu sancto dicitur *qui a te absque initio procedit per unigenitum Filium tuum:* quod non in aliis Liturgiis, imo nec precibus diversi generis, facile reperiatur. In Jacobi Syra et in quibusdam aliis dicitur *qui a te procedit, et qui a Filio tuo, quae ad essentiam spectant, aut τὰ οὐσιώδη accipit:* quae rectam de Processione sancti Spiritus doctrinam ita exprimunt, ut a Graecis schismaticis rejiciantur. Non spernendum sane testimonium istud est, qualiscumque tandem sit ista Liturgia: nam ab interpolatoribus nihil passam illam esse certissimum est. Atque ita constat non apud Latinos natam opinionem esse de Processione Spiritus sancti a Patre et Filio, seu per Filium, quod idem esse Graeci agnoscunt, cum in media Syria, inter eos qui alieni sunt a Romanae Ecclesiae communione, testes illius reperiantur.

3. *Memento Domine Regum Orthodoxorum.*

In aliis hujus generis formulis, quales occurrunt non paucae, quasdam tractas ex veteri disciplina fuisse credibile est: istam non item. Nam planam et perspicuam orationem continet pro Christianis principibus, ut inimicis fidei superiores fiant divino auxilio, et pro infidelium debellatione, quod qua ratione Christianis moribus, legibus ipsorum Orientalium Ecclesiasticis, et exemplis convenire possit, explicare facile non est. Nam orare pro Principibus infidelibus jubet Christiana Religio, et testimonia multa veterum, ut Alexandrinae Historiae palam faciunt: et Aegyptiacae quoque Liturgiae, ad quas videnda quae notavimus. Neque ulli ex quo Muhamedani rerum in Oriente potiti sunt, Jacobitae, tales Principes habuerunt, quales hac oratione designantur, quod notavit in Commentario ad hunc locum Barsalibi, qui etiam abbreviari Diptycha, hac de causa testatur. Haec igitur formula inter singulares et insitatas videtur reponenda.

4. *Ubi piorum animae primitias vitae absque labore expectant.*

Locus iste, et quae sequuntur ad communem Graecorum opinionem videntur referenda, qui animas piorum usque ad ultimi judicii diem coelesti

beatitudine non perfrui existimant; qua de re, maxima Ferrariae et Florentiae contentio fuit, ut de Purgatorio: quia duae illae quaestiones maximam inter se habent affinitatem. De hoc argumento fuse dictum est alibi. Sane Graecorum de animarum post mortem conditione, absurdas opinationes, Orientalibus ignotas esse certissimum videtur. Quod vero beatorum animae coelestem gloriam plenam atque perfectam ad ultimum usque judicium exspectent, scripsit Moses Barcepha in Tractatu de Paradiso, atque ita fieri potuit, ut autor hujus Liturgiae in eadem sententia fuerit, cum magna sit Mosis illius apud Jacobitas suos autoritas. Nihil tamen obstat quin figurata haec oratio, de plena consummataque beatitudine possit intelligi.

Perp. T. 5. l. 8. c. 9.

LITURGIA
SANCTI DIONYSII,
ATHENARUM EPISCOPI.

Primum Oratio ante Pacem.

Sacerdos. **D**OMINE Deus qui es simplex, non compositus absconditusque in essentia sublimi, Deus Pater a quo nomen habet omnis paternitas quae in coelo est et in terra, Principium divinitatis, eorum qui naturae divinae participant, et perfector eorum qui perfectionem consequuntur: bonus super omnia bona. pulcherque supra omnia pulchra: tranquillitas pacifica, pax, concordia et unio omnium animorum. Compone dissidia quae nos invicem dividunt, et reduc ea ad unionem caritatis, quae aliquam essentiae tuae sublimis similitudinem habeat. Et sicut unus es super omnia, fac nos unum, per unanimitatem bonae mentis, ut simplices, et non divisi inveniamur coram te in tempore hoc mysterii peragendi: utque per amplexus caritatis, et nexus dilectionis, spiritualiter unum simus, tam nobiscum ipsis, quam ad invicem, per pacem illam tuam omnia pacantem, per gratiam et misericordiam amoremque erga homines unigeniti Filii

tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Dator sanctitatis et largitor omnis boni Domine, qui omnem creaturam rationalem sanctitate quae a te est, sanctificas: sanctifica per Spiritum tuum sanctum, nos servos tuos, qui inclinamur coram te: libera nos ab omnibus passionibus servilibus peccati, ab invidia, dolo, deceptione, odio, inimicitiis, et ab eo qui eadem operatur, ut mereamur sancte perficere ministerium horum Sacramentorum vivificantium, per pontificem coelestem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Existens essentialiter et ab aeterno, cujus natura incomprehensibilis est, qui prope es, et praesens omnibus, absque ulla sublimitatis tuae mutatione: cujus bonitatem appetit et desiderat quodcumque existit; intelligibiles quidem et intellectu praeditae creaturae, intelligibiliter, sensu vero praeditae, sensibiliter. Qui cum unus sis essentialiter, tamen ades nobiscum et inter nos, in hac hora, qua ad haec mysteria tua sancta vocasti et adduxisti nos: et standi coram sublimi Throno majestatis tuae dignos fecisti, atque tractandi vasa sancta ministerii tui manibus nostris impuris. Aufer autem a nobis, Domine, vestem iniquitatis qua amicti sumus, ut a Jesu Filio Josedek Sacerdote magno vestimenta sordida abstulisti: et pietate atque justitia exorna nos, sicut illum vestimento gloriae ornasti; ut te solo tanquam tegumento induti, et sicut templa coronata gloria existentes, te absque velamine videamus, mente divinitus illustrata, et ad mensam regni tui epulemur, dum hoc sacrificio coram nobis proposito communicantes perfruemur, et referemus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae Dei.
Sacerdos. Caritas.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere enim mentis, sermonis, et cogitationis vires excedit celebratio beneficiorum tuorum, Domine, neque sufficiunt omnia ora, mentes omnes, et linguae, ad te, ut dignum est, glorificandum. Verbo enim tuo facti sunt coeli, et Spiritu oris tui omnes virtutes supernae: luminaria omnia quae in firmamento sunt, sol et luna, mare et arida et quaecumque in eis sunt. Quae vocem non habent, silentiis suis: quae sermone praedita sunt, vocibus, sermonibus et hymnis perpetuo tibi benedicunt; qui tu es natura bonus, et supra omnes laudes, in essentia tua incomprehensibiliter existens.

Elevans vocem. Te laudat creatura haec visibilis et sensu praedita, Domine, ut etiam illa intellectualis, et supra sensuum conditionem posita. Coelum et terra te glorificant, mare et aër te praedicant; sol in cursu suo te laudat: luna in mutationibus suis te veneratur: turmae Archangelorum, et agmina Angelorum, Virtutes illae mundo et mentis facultate sublimiores, benedictiones ad regionem tuam mittunt. Radii lucis excellentis et absconditae, sanctificationes gloriae tuae emittunt; Principatus et Ordines te cum jubilo laudant; Potestates et Dominationes te venerantur; Virtutes, Throni et sedes inaccessibiles te exaltant, splendores lucis aeternae, specula sine macula, substantiae sanctae, susceptrices sapientiae sublimis, prae omnibus scrutatrices voluntatis ab omnibus absconditae, motibus praeclaris tonorum inimitabilium, vocibusque dignis creatura rationali: Cherubim multioculi, quorum motus subtilissimi, te benedicunt: Seraphim instructi sex alis implexis, plenique plumis, te sanctificant, illi ipsi, qui alis suis facies suas tegunt, pennisque pedes suos velant, et undequaque volantes et plaudentes alis alter ad alterum, ut non adurantur ab igne tuo devorante, cantus suaves, et ab omni materia puros, aequali omnium consonantia canunt, tibi gloriam aeternam referentes, uno hymno Deo digno clamantes et dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater omnipotens, opifex et creator omnis creaturae invisibilis, et visibilis, atque sensibilis. Sanctus es, Deus unigenitus Filius, virtus et sapientia Patris, Domine et Salvator noster Jesu Christe. Sanctus es Deus Spiritus sancte, perfector et sanctificator sanctorum. Trinitas sancta et indivisa, consubstantialis, acqualisque gloriae: cujus misericordia erga genus nostrum effusissima est. Tu sanctus es et sanctificans omnia: qui non reliquisti illud ipsum genus nostrum in exilio ex paradiso, cum interea omni peccati genere esset implicitum, sed illi manifestatus es per verbum quod coram mundo egestatem passum est: ipsum vero (genus humanum) accepit (Deus) Verbum, in omnibus ipsi assimilatus, excepto peccato, ut praeparatum eum efficeret ad sanctitatem, dispositumque ad convivium hoc vivificum.

Elevans vocem. Qui conceptus, formatus et configuratus a Spiritu sancto, et ex sanguine virgineo Virginis sanctae Genitricis Dei Mariae, natus est quidem homo, ex corpore ejusdem puro et sanctissimo, princeps vitae, suscipiensque divinitatem in carne, conservatis naturae lege et proprietatibus, sed modo supra naturam; agnitusque est Deus in Spiritu, et homo in carne. Atque in quantum erat Verbum ante saecula, ex te ut Deo dignum erat, natus est, et virtutibus atque miraculis, qualia opifici omnium conveniebant, talem se esse testatus est: tum etiam quod sanationem absolutam, salutemque perfectam universo generi humano largitus est. In fine autem et consummatione dispensationis suae, propter nos, et ante crucem suam salutarem, accepit panem in manus suas puras et sanctas, et aspexit ad te Deus Pater, gratias agens † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis Apostolis sanctis, dicens: accipite et manducate ex eo, et credite [2] quod corpus meum est, illud ipsum quod pro vobis et pro multis frangitur et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Eodem autem modo et super calicem quem miscuit vino et aqua, gratias egit † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis suis et Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes, et credite quod hic est sanguis meus Testamenti Novi, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ipse etiam praeceptum toti coetui et congregationi fidelium per eosdem Apostolos sanctos dedit, dicens: Hoc facite in mei memoriam, quotiescumque manducabitis panem hunc et mistum quod in hoc calice est bibetis, et hoc convivium celebrabitis, mortis meae commemorationem agetis donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Praecepto igitur Dominico tuo obsequentes, commemorationem mortis et resurrectionis tuae per sacrificium hoc perpetuo celebrantes in mysterio: expectamus quoque adventum tuum secundum, renovationem generis nostri, et vivificationem mortalitatis nostrae. Non enim simpliciter, sed cum gloria Deo digna, in Spiritu ineffabili terribiliter advenies, et super thronum excelsum majestatis tuae sedens, agnitionem regiae potestatis tuae ab omnibus creatis, et factis exiges; ultionemque imaginis tuae, ab iis qui per malas passiones eam corruperunt, juste facies. Sacrificium hoc, illic celebratum, tibi commemoramus Domine et passiones quas pro nobis sustinuisti in cruce. Propitius esto, o bone et amator hominum, in hora illa plena timoris, et trepidationis, congregationi huic adorantium te, et omnibus filiis Ecclesiae sanctae redemptae sanguine pretioso tuo. Depellantur carbones ignis, ab illis qui [3] tincti sunt sanguine tuo, et signati Sacramentis tuis, in nomine tuo sancto, velut olim flamma Babylonica, a pueris domus Hananiae. Neque enim alios praeter te novimus, Deus, neque in alio spem habemus salutis consequendae, si quidem auxiliator, et salvator generis nostri tu es. Et capropter sapiens Ecclesia tua, per ora et linguas omnium nostrum deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Te invoco Deus Pater: miserere nostri, et ablue per gratiam tuam, immunditiam operum meorum malorum, dele per misericordiam tuam, quae odio digna commisi. Etenim non extendo ad te cum fiducia manus meas; neque enim possum in coelum aspicere, propter multitudinem iniquitatum mearum, et spurcitiam facinorum meorum.

Sed in benignitate, gratia, et longanimitate tua, animum confirmans, Spiritum tuum sanctum peto, ut mittas eum super me, et super has oblationes propositas, populumque tuum fidelem.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Per * illapsum autem, et obumbrationem suam, efficiat panem quidem istum † corpus vivum et vitam praestans animabus nostris, † corpus salutare, † corpus coeleste: corpus salvans animas et corpora nostra, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam, illud suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod in hoc calice est efficiat † sanguinem vivum et vitam praestans animabus nostrum omnium, † sanguinem salutarem, † sanguinem coelestem, sanguinem salvantem animas nostras et corpora, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam ea suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Secundum autem traditionem et commendationem divinam eorum, qui spectatores fuerunt mysteriorum tuorum, et interpretes mirabilium tuorum, Eucharistiam hanc offerimus coram te Domine, et per eam commemoramus caritatem tuam erga nos, universamque dispensationem unigeniti tui in hoc mundo, ut tu etiam recorderis per eam, misericordiae tibi congenitae et naturalis, quae hora quacumque super creaturas tuas diffunditur, et nos eripias ab ira iniquis reservata, et a suppliciis operantium nequitiam, et a crudeli impugnatione daemonum, qui oppugnant animas nostras, cum hinc exibimus: nosque dignos efficias regno tuo, et habitaculis eorum, qui servaverunt praecepta tua, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Verbis tuis non mendacibus, doctrinisque veracissimis tuis dixisti Domine, maximum esse gaudium in coelo et in terra super uno peccatore poenitentiam agente. Laetare igitur nunc Domine, in conversione servorum tuorum, qui coram te hic consistunt; adjunge etiam exultationem de nobis, animabus piorum et justorum, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum,

Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, zelatorum cultus divini, beneficorum, eleemosynas facientium, eorum qui necessitatibus pauperum communicant, et ab omnibus, una laudatio sit hodie coram te, ad altare hoc sanctum et in Jerusalem coelesti.

Elevans vocem. Et propter haec atque alia ejusmodi stabiliatur Ecclesia tua sancta, quae est a finibus usque ad fines terrae, conserveturque in tranquillitate et pace, doctrinisque Evangelicis, et Apostolicis, per Antistites divinos recte dispensantes verbum veritatis, et instruentes dogmatibus verae religionis: Per Sacerdotes sanctos, qui amplectuntur verbum vitae, et praeclare se gerunt in dispensandis mysteriis tuis coelestibus: per Diaconos modestos, perficientes ministerium purum et regale absque macula: per fideles veros, qui occupantur operibus et actibus Christiano dignis; per choreas Virginum utriusque sexus, mortificationem vivificam, unigeniti Filii tui in membris suis circumferentes. Atque hinc uno agmine mittamur omnes ad Ecclesiam illam Jerusalem, primogenitorum descriptorum in coelis, atque illic spiritualiter glorificemus te Deus Pater, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Adjuva autem Domine eos omnes qui adjuvant Ecclesiam tuam sanctam, votis, decimis, ministerio, et oblationibus: atque illos etiam qui postulant orationes tenuitatis nostrae, da illis finem postulationum ipsorum, Domine amator hominum.

Sacerdos elevans vocem. Mitte autem curam perfectam, salutemque plenam, omnibus illis qui curam gerunt pauperum, qui alimenta praebent orphanis et viduis, visitantque infirmos et afflictos. Retribue illis, hic quidem abundantiam et bona: illic vero delicias incorruptibiles, quia tu Dominus es utriusque saeculi, et largitor immensae mercedis, tibique convenit beneficentia, tam hic quam illic, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iram Regum comprime, o Rex Regum, furorem militum compesce; bella et seditiones aufer, fastum haereticorum dejice, et sententias a justitia tua contra nos pronunciatas, superet amor erga homines tuus, et convertat in mansuetudinem benignitatis tuae.

Elevans vocem. Tranquillitatem et pacem quae a te est, concede terrae et omnibus habitatoribus ejus, visita eam per beneficia

tua, et curam misericordiae tuae, per bonam et temperatam aëris constitutionem, fructuum ubertatem, frugumque abundantiam, varietatemque florum. Praeserva eam ab omnibus plagis furoris, et ab insultibus iniquis inimicorum, tam spiritualium quam sensibilium, ut absque ulla passionum noxa, perpetuos hymnos gloriae canamus tibi, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Ad altare hoc, et ad illud coelo sublimius, memoria bona sit illis omnibus qui ex mundo tibi placuerunt. Praecipue vero sanctae Genitricis Dei, Joannis nuncii, Baptistae, et praecursoris: Petri et Pauli, totiusque coetus Apostolorum: Stephani quoque, et universae turbae Martyrum, et eorum omnium, qui ante eos, cum illis, et post eos placuerunt, et placent tibi.

Elevans vocem. Et quando quidem potes omnia, coetibus illorum dilectorum, et domesticorum tuorum adjunge infirmitatem nostram Domine: congregationi illi beatae, parti huic divinae, ut per eos suscipiantur oblationes et orationes nostrae coram throno excelso majestatis tuae, eo quod imbelles et infirmi sumus, indigentesque fiducia apud te. Nimirum peccatum nostrum et justitia nostra nihil sunt, ad pelagus effusum et immensum misericordiae tuae. In corda igitur singulorum perspiciens, retributiones bonas petitionum suarum unicuique mitte, ut in omnibus et in singulis adoretur et laudetur majestas tua et unigeniti Filii tui.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Episcoporum, Doctorum et Praesulum Ecclesiae tuae sanctae eorum qui a Jacobo [5] Apostolo, Episcopo et Martyre usque ad hodiernum diem, placuerunt et placent tibi.

Elevans vocem. Insere in nobis Domine fidem eorum veram, et zelum eorum pro vera religione, caritatem eorum sinceram, et nulli defectui obnoxiam, mores eorum inculpabiles: ut vestigiis eorum inhaerentes, participes mercedis eorum simus, et coronarum victoriae, quae illis paratae sunt in regno tuo coelesti: illicque simul cum illis canamus tibi gloriam indesinentem, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium defunctorum qui decubuerunt cum spe tua, in fide vera: praesertim vero et nominatim, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, corporalium aut

spiritualium, et eorum pro quibus et quorum gratia, oblatio haec sancta oblata est.

Elevans vocem. Adjunge Domine nomina illorum cum nominibus sanctorum tuorum in habitatione beata eorum qui festum agunt et laetantur in te; non revocans illis memoriam peccatorum suorum, neque commemorans ipsis quae insipienter egerunt; quia nullus est carni alligatus, et innocens coram te: unus enim tantummodo super terram visus est absque peccato, Jesus Christus unigenitus Filius tuus: [6] simplex qui ad compositionem venit, per quem nos quoque misericordiae consequendae spem habemus.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Peccata nostra et illorum voluntaria, scienter et ignoranter commissa remittens, propitius esto Domine, amator hominum.

Elevans vocem. Et praesta nobis finem pacificum, exitum cum misericordia: utque stemus inculpati ad dexteram, et cum facie revelata et fiducia, occurramus ad ortum unigeniti Filii tui, et ad manifestationem ejus secundam et gloriosam de coelo: audiamusque ab eo vocem illam beatam, quam beatis in fine pronunciabit, *benedicti Patris mei, capessite haereditatem regni coelestis*, ut in hoc sicut et in omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum maxime venerandum.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit hostiam, et dicit Orationem, ante Pater noster.

Pater omnium et principium quod est super omnia, lux aeterna et fons lucis, quae illuminat omnes naturas ratione praeditas, qui vocas ex pulvere inopem, et de stercore erigis pauperem, et nos jactatos, rejectos et infirmos ad libertatem et domesticam filiorum tuorum dignitatem vocasti, per Filium tuum dilectum: praesta nobis ut filii sancti et hoc cognomine non indigni appareamus coram te, omne quoque ministerium nostrum, secundum mores inculpatos perficiamus, et cum puritate animae, intellectus munditia, divinaque mente, quacumque hora invocemus te Deum Patrem omnipotentem,

sanctum, et coelestem oremus et dicamus, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. Libera servos et filios tuos Domine, ab omnibus tentationibus difficillimis et quae vires superent: et ab omnibus doloribus qui corpori nostro vel animae, damnum inferre possunt. Custodi nos simul a malo et ab ejus potestate universa, et a technis ejus perniciosis, quia tu Rex omnium es, et tibi gloriam referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Aspice Domine populum tuum fidelem, qui coram te inclinatus est, et expectat donum tuum et intuetur depositum Sacramentorum unigeniti tui, Deus Pater. Ne auferas a nobis gratiam tuam, et ne repellas nos a ministerio tuo, et a participatione Sacramentorum tuorum, sed praepara nos, ut puri et absque macula, dignique hoc convivio simus, utque cum conscientia inculpata, semper fruamur corpore et sanguine ejus pretioso, et in vita gloriosa et absque fine in habitaculo spirituali discumbamus, et ad mensam regni tui epulemur, et referemus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Dei sit, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Gratias habemus tibi Domine et grato animo agnoscimus benignitatem tuam, quod ex nihilo eduxisti nos ad id quod simus, et domesticos filiosque Sacramentorum tuorum fecisti nos, ministeriumque hoc religiosum commendasti nobis, atque mensa hac spirituali nos dignos fecisti. Conserva in nobis Domine depositum mysteriorum tuorum divinorum, ut secundum mores Angelicis similes,

vitam instituamus, et perficiamus coram te, ut cauti et inseparabiles simus per susceptionem sanctorum tuorum, perficientes voluntatem tuam magnam et perfectam, paratique inveniamur ad *πληροφορίαν* illam ultimam, et ad standum coram majestate tua, dignique efficiamur voluptate regni tui, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Christe Rex gloriae, et Pater futuri saeculi, sacrificium sanctum, Pontifex coelestis: Agnus Dei qui tollis peccatum mundi, parce peccatis populi tui, et dimitte insipientias gregis tui. Conserva nos per communionem Sacramentorum tuorum, ab omni peccato, sive verbo vel cogitatione aut opere perficiatur, quodque a tua familiaritate domestica, procul nos faciat, ut custodiantur corpora nostra per corpus tuum, et renoventur animae nostrae per Sacramenta tua, et benedictio tua Domine, sit in toto nostro homine interiori et exteriori, glorificerisque in nobis et propter nos, dexteraque tua requiescat super nos, et patris tui benedicti, et Spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

IN LITURGIAM DIONYSII ATHENIENSIS NOTAE.

1. Dionysii Athenarum Episcopi.

Areopagitam hic Jacobitae intelligunt, quem etiam Arabice *Baulousi*, Paulinum vocant sive Pauli discipulum. Ejus enim libros pro genuinis habent, et majores eorum Monophysitae, qui sub Justiniano, anno J. C. DXXXII.

Mor. *de Sacr. Ord. P. 2. c. 1.* Launoy. *De duobus Dionys.*

Constantinopoli de fide collationem cum Orthodoxis habuerunt, illorum primi testimoniis usi sunt, quod a viris doctissimis dudum fuit observatum. In variis Collectaneis sententiarum ex antiquis Patribus, ad opinionis suae defensionem, extant nonnullae ex ejusmodi libris: et ea ratione, Dionysius inter Ecclesiae Doctores in Diptychis frequenter numeratur. Atque illa verisimilis causa est, cur ejus nomine Liturgiam singularem composuerint, non quod multa ad sacros ritus spectantia hauserint ex libris de Ecclesiastica Hierarchia; nam quantum ad disciplinam Eucharisticam spectat, vix unquam illorum meminerunt. Eodem nomine edita est in Missali Chaldaico Liturgia, sed quae praeter titulum cum ista commune nihil habet, cum in Missali tribuatur Dionysio Barsalibi Episcopo Amideno Jacobitae famosissimo, de quo dicetur in observationibus ad eamdem Liturgiam, et passim alibi dictum est, cum illius testimoniis in toto hoc opere saepissime utamur. Neque ullus est ambiguitati locus, aut suspicioni de incuria librariorum: cum in iisdem Codicibus utraque Liturgia saepe reperiatur. In ista vero pauca occurrunt quae aliquam explicationem desiderent.

2. *Credite quod corpus meum est.*

Ista vox addita verbis Christi tam in forma panis, quam in altera calicis consecrandi, nullum in vetustis Graecis Liturgiis exemplum habet, ut neque in Alexandrinis, sed tantum in una aut altera Syriacis.

3. *Qui tincti sunt sanguine tuo, et signati Sacramentis tuis.*

Ora fidelium per Eucharistiae susceptionem tingi sanguine Christi, ut postes domorum Israelitici populi in Aegypto tinctos sanguine agni Paschalis, communis est Orientalium doctrina, quam fuse explicat Severus Episcopus Aschmonin, in opere de Agno Paschali et Eucharistia. Idem legitur in variis orationibus, praesertim illis quae dicuntur post communionem, ad gratiarum actionem. Signati Sacramentis dicuntur Christiani per Baptismum, per Myron seu Chrismatis impressionem, et per Eucharistiam. Ea locutione nihil in istis Officiis frequentius.

4. *Ut per illapsum et obumbrationem suam.*

De vocibus quae in hac oratione usurpantur ab Orientalibus, dictum est fusius in notis ad hunc locum Liturgiae Basilii Copticae. Ἐπιφοίτησιν qua voce Graeci potissimum uti solent, exprimunt Syri per eam quam *illapsum* vertimus: qua etiam utuntur, dum mirabilem adventum Spiritus sancti super-

venientis in B. Virginem, in Incarnationis mysterio, exprimunt. Altera vox hebraicae originis est, legiturque initio Geneseos eo loco *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, tanquam incubans et fovens, genitalemque vim immittens: quam expositionem ab Ephremo acceptam laudavit et amplexus est Basilius. His igitur verbis significant Orientales virtutem coelitus missam, quae in dona proposita mirabiliter operetur, ut in creationis initio et Incarnatione factum est: nam utraque comparatione, miraculum quotidie in Eucharistia fieri solitum explicant, et iisdem verbis utuntur. *Hom. 2. in Haexaem.*

5. *A Jacobo, etc.*

Suntur id ex Graeca Jacobi Liturgia Hierosolymitanae Ecclesiae propria, quae fundata a Jacobo fratre Domini, successionem fidei et Cathedrae ad eum merito referebat, neque proprie ad Antiochenam Ecclesiam a Petro fundatam pertinebat. Sed cum eam Liturgiam in vicina Palaestina celebrem ad se transtulissent, hanc formulam retinuerunt: et ea quoque, ut alibi, notatum est Jacobitae abusi sunt. Ita enim denominationem quam a Jacobo Baradato sive Zanzalo eos accepisse, Graeci autores, non minus quam Orientales Melchitae et Nestoriani testantur, ad Apostolum referunt.

6. *Simplex qui ad compositionem venit.*

Haec verba magis rhetorice quam Theologice dicta, minus recte Jacobitarum opinionem explicant. Nec enim compositionem agnoscunt, nisi qualis est illa quae in symbolo Athanasii dicto, habetur. *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*, quae comparatio quamvis a nonnullis Patribus usurpata, Facundo et aliis non placuit. Sed dum unam naturam profitentur, ita confusionem mistionemque excludunt, ut compositio proprie dicta nulla sit, nisi quatenus summae perfectaeque simplicitati Dei opponitur, quam non habet homo assumtus ex Virgine, cui Verbum caro factum dum unitum est, in quamdam compositionem venit. Sed haec alibi accuratius explicabuntur. *L. 9. p. 395.*

LITURGIA
SANCTI IGNATII.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater sancte, genitor propaginis aeternae, largitor bonorum et dator tranquillitatis et pacis, qui ultra omnem comprehensionem mentium et animarum rationalium, magnificus es in donis tuis divinis quae nobis peccatoribus et Filiis tuis concessisti, cum praestitisti nobis, ut ea quemadmodum aequum est et justum administraremus: praesta nobis, ut cum summa puritate et castitate, atque immunitate ab omni dolo, demus invicem pacem, cum amplexibus Spiritus sancti, et in vinculo verae caritatis, ut in una concordia spirituali consistentes, et unanimitatem pacificam observantes, digni efficiamur convivio beato et sanctificante unigeniti Filii tui: cum quo te decet gloria, honor, et potestas, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Bonus, beatus et demissor benedictionum es erga eos omnes qui credunt in te. Et nunc Domine ne aspicias quod indigni sumus, nec ob defectum fiduciae nostrum coram te, prives populum tuum fidelem Domine, gratia tua divina, sed placide et benigne, mitte benedictiones tuas super congregationem hanc adorantium te: imple nos gratia et lumine scientiae tuae, et suscipe deprecationes gregis tui, ut in contemplatione pura, cum primitiis feracibus operum bonorum, festum agamus tibi simul, teque exaltemus et unigenitum Filium tuum et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Qui possit verbis explicare benefi-

cia clementiae tuae Domine? aut quis possit enarrare abundantiam amoris tui erga homines, o beate? qui nos cum multitudine impietatum detineremur, et catenis peccatorum compediti essemus, dignos fecisti hujusmodi ministerio excelso et magno. Praesta nobis, ut abstersi a sordibus peccati, et purissime nos secundum corpus et animam habentes, digni efficiamur beatitudine illa quae a te promissa est, illis qui faciunt voluntatem tuam, et illuminatione atque illustratione Spiritus tui sancti, ut etiam functione Sacerdotii unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus, etc.

Populus. Misericordiae, etc.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere decet tibi adorationem cum honore, laude et exaltatione, exhiberi ab omnibus creaturis tuis rationalibus, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Elevans vocem. Tu ille es qui a substantiis sublimibus, et immaterialibus, decore summo, et triumphaliter in excelsis, honoraris, laudaris, et glorificatione perpetua celebraris, cantibus puris et sanctis, citharis suavibus, et jucundis, exaltationibusque et hymnis triumphalibus, festis indesinentibus, et canticis non cessantibus, per ora incorporea, per linguas non carneas, per praeconia eximia spiritualium, per aequalem concentum igneorum, per puras voces Thronorum, per sonum magnum Cherubim, et sanctificationes purissimas Seraphim, qui terribiliter alis plaudunt, volantesque ter sanctificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim es, Deus Pater, Sanctus etiam unigenitus Filius tuus, Sanctus etiam Spiritus tuus sanctus: qui similes coelestibus per amorem tuum erga homines, nos fecisti, et tantopere dilexisti nos, ut etiam unigenitum Filium tuum tibi consubstantialem mitteres ad salutem nostram: qui incarnatus est, inef-

fabiliter, et factus est homo, quomodo voluit et novit, et omnia quae nostra erant exceplo peccalo, pro nobis perfecit.

Elevans vocem. Qui totam dispensationem salutarem pro nobis perfecit, et per passiones suas sanctas, adventus sui in carne, veritatem demonstravit. In nocte Paschatis in qua tradebatur pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, sanctificavit eum, † et fregit † deditque † discipulis suis Apostolis sanctis, dicens: Accipite, edite ex eo: Hoc est corpus meum quod vos et multos praeparat ad remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem vitae, vino et aqua cum miscuisset, † sanctificavit † eum, et dedit † discipulis suis sanctis discens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus, quem pro vita mundi do ego, vos autem et multos praeparat ad remissionem peccatorum, et ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in mei memoriam: quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortis meae commemorationem agetis, et resurrectionem meam confitebimini donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos inclinatus. Mente igitur recolentes, ea omnia, quae pro nobis, et propter nos dispensatorie a te perfecta fuerunt, nativitatem tuam salutarem, baptismum tuum divinum, sepulturam tuam vivificantem, resurrectionem tuam dominicam, ascensionem tuam gaudii plenam, sessionemque tuam ad dexteram majestatis Dei et Patris: iterum etiam adventum tuum secundum timendum, et tremoris plenum commemoramus, quando exoriens cum gloria, terribiliterque conspiciendum te praebens vivos et mortuos judicabis; quando Angeli a splendore judicii tui contremiscent, et Archangeli trement, Potestates concutientur, Throni conturbabuntur, et Ordines coelestes terrore obstupescent. Tunc omnes homines in dolore stantes, judicem timendum et potentem expectabunt, tunc cum justitiae conveniens locus erit, gratia autem nullam praestabit misericordiam; cum carbones ardentes, flamma comburens, gehenna inextinguibilis: quando preces repellentur, et deprecationes non acceptabuntur, orationes non audientur, et obsecrationes cujuscumque praecidentur: parce nobis Domine et extende dexteram tuam super nos omnes. Ne intres in

judicium nobiscum, non reducas in memoriam iniquitates nostras, non ad examen strictum, voces nos et constituas: ne simus exules a gratia tua, neque alieni ab haereditate tua: ne diris cruciatibus tradamur, non ad vermem rodentem praecordia, cum impiis amandes nos; non in parte eorum qui te crucifixerunt censeamur: non cum impiis statuamur: non participes iniquorum simus: non in supplicia et stridores dentium projiciamur: non abneges nos, veluti eos qui te non noverunt: neque perdas nos simul cum illis qui te non dilexerunt. Verum illucescere nobis fac salutem tuam; parce nobis secundum amorem tuum erga homines. Mitte nobis divitias clementiae tuae, statue nos ad dexteram tuam; memento omnium nostrum per misericordiam tuam: salva nos secundum multitudinem gratiae tuae, et adjuva nos per clementiam tuam. Adjunge nos gregi tuo, et numera nos inter ordines dilectorum tuorum, fac nos dignos regno tuo, et induc nos in thalamum tuum. Et propter haec Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque, etc.

Populus. Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nobis Deus Pater omnipotens, et mitte super nos Spiritum tuum sanctum qui omnia replet, Deusque est super omnia, tibique consubstantialis et unigenito Filio tuo; qui omni hora dona distribuit; dividitque et dat singulis, prout vult: qui omnibus praesens est, neque loco circumscribitur, qui vitam continet eorum qui vivunt, et perfector sanctitatis sanctorum est: ut illapsu suo sanctificans mysteria haec pura, me quoque a sordibus mundum efficiat.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ipseque illapsus et sanctificans, efficiat panem quidem istum, corpus sanctum et sanctificans; corpus purificans et propitiatorium; corpus donans incorruptionem: corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, efficiat sanguinem vivum et vivificum, sanguinem purum et sanctum, sanguinem purificantem et san-

ctificantem; sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos igitur illatione mysteriorum istorum sanctorum digni effecti; et per veritatis agnitionem illuminatum habentes mentis oculum, rogamus et obsecramus, ut mysteria haec proposita, sint nobis et illa suscipientibus, ad excitandam vigilantiam animae, ad sanitatem corporis, ad participationem veram adoptionis filiorum, ad communicationem Spiritus sancti, ad haereditatem regni coelestis: ad remissionem delictorum et peccatorum, quia te decet bonitas et amor erga homines, tibique gloriam referimus et gratiarum actionem, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Coram te Domine obsecramus, per hoc sacrificium quod perfectum et completum est per Spiritum sanctum, pro Ecclesia tua sancta Catholica et Apostolica, ut conservetur secure et inconcusse, nec portae inferni praevaleant adversum eam. Et pro patribus nostris sanctis et rectoribus nostris, praecipue pro beatis, Patriarcha nostro D. N. et Episcopo nostro D. N. cum reliquis Episcopis Orthodoxis. Conserva eos ab incursionibus malis, et a pascuis perniciosis: Pro sacerdotibus et Diaconis, omnique ordine Ecclesiastico, unumquemque conservans in ea vocatione qua vocatus est, absque crimine, et accusatione. Miserere etiam tenuitatis meae secundum misericordiam, et clementiam, neque simul perdas me cum iniquitatibus meis, sed exhibe erga me bonitatem tuam, quamvis sim indignus: salva me secundum multitudinem misericordiae tuae, ut per omnia glorificem te omnibus diebus vitae meae: ut a terrenis cogitationibus me removeas, purusque nitidus, et absque macula sim, et sicut vigilantiae in ministerio requisitae convenit, sancte tractem haec mysteria. Pro illis etiam qui infirmantur corpore, et anima, et pro illis reliquis qui in purgationibus timendis, periculis scilicet exiliisque versantur, ut illis quidem sanitatem, et respirationem, istis vero libertatem et liberationem concedas. Benedic etiam coronae anni per benignitatem tuam; aëris quoque et omnium terrae fructuum, perpetuo recordare.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et conserva Domine populum tuum fidelem, et libera nos ab omnibus maculis et naevis peccati, et ab

omni genere afflictionis et machinationibus malis, et perniciosis daemonum et hominum nequam, et ab omnibus doloribus intolerabilibus: a tyrannide capitibus nostris imposita, et tentationibus gravissimis nos eripe: et da nobis, ut cum ornatu operum bonorum et beatorum, ingrediamur in sanctuaria tua sancta, et praeclare gaudeamus donis spiritualibus, et simul sacrificemus tibi sacrificia acceptabilia, et indesinenter gratias agamus tibi et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, congregationis hujus benedictae adorantium te, quae cum timore et fide in te, stat coram te: et illorum, qui orationes infirmitatis nostrae postulant. Memento Domine omnium generaliter, et uniuscujusque singulariter, quod ipsis adjumento, necessariumque esse potest, concedens. Eorum etiam qui praeclare agunt, et qui producunt fructus Ecclesiae tuae sanctae; eorum etiam qui oblationes obtulerunt non obliviscere: et illorum, qui offerre voluerunt et non potuerunt, recordare.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Suscipe Domine oblationes, decimas et primitias, fructusque pacis, sacrificiorum servorum tuorum in odorem suavitatis, et retribue atque mitte nobis, o retributor bone, gratiam donorum, amplitudinemque munerum quae ad auxilium nostrum spectant, abundantiamque aeternorum bonorum, divites nos et illos faciens, operibus pietatis, et justitiae: communiens nos custodiis Angelicis, et per confessionem immaculatam et Apostolicam: quia tu magnificus in muneribus es, tibique gloriam et gratiarum actionem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium Orthodoxorum, et pacifica imperium eorum, et da illis ut subditos sibi gubernent cum aequitate.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Defensor, et salvator esto, Domine, Ecclesiae tuae sanctae, et omnibus ovibus spiritualibus pascuae tuae: et salva nos per fortitudinem tuam, cui nihil impossibile est, ab omni fame acerba, mortalitate perniciosa, a bellis et tumultibus, a persecutionibus exitialibus et in tranquillitate et pace guberna nos cum cura, omnibus diebus vitae nostrae, quia non est nobis spes alia salutem consequendi, nisi in te, Domine. Destrue etiam per

potentiam tuam, potentiam illorum, qui stant adversus imperium tuum, et unumquemque subjice servituti nominis tui sancti: quia tu victor es, et bellator solus, et tibi gloriam et gratiarum actionem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemorantes, memoriam agimus coram te, Domine, et ad obsecrandum te adducimus, primum quidem sanctam genitricem Dei Mariam, et praecursorem Joannem Baptistam, Stephanum primum Diaconorum, et proto-martyrem, agmenque sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et reliquorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitae.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ut deprecationes illorum tuorum, placide suscipiens, orationes eorum gratas pietati tuae acceptes. Nos quoque conjunctim obsecrationem imperfectam nostram, coram te simul effundimus, rogamusque et deprecamur, ut non avertas faciem tuam a nobis, neque in ira elongeris a nobis: non in furore tuo disperdas nos, verum secundum benevolentiam tuam posside nos, et per abundantiam bonitatis tuae, parce nobis. Illumina vultum tuum super nos, et super omnem plebem haereditatis tuae, quia tibi placet salutem praestare, et tua est pax et salus: tibique gloriam, et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine Patrum electorum et sanctorum, Patriarcharum, et eorum qui interpretes et ministri fuerunt mysteriorum sacrorum Ecclesiae tuae sanctae: maxime vero Ignatii, Dionysii, Julii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dioscori, Severi, reliquorumque Apostolorum et Pastorum, qui ad te migraverunt.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Doctores, Episcopos, et rectores ovium spiritualium, gregum tuorum sacerdotalium suscipe, Domine, et eos qui cum sanctitate, primitias, more Apostolico ceperunt haereditatis pacificae, Theologiam scilicet acquisitam sanguine salutari Christi unigeniti Filii tui: eorum qui in Ecclesiis tuis sanctis explicaverunt verbis, gloriam magnificentiae regni tui gloriosi, et super fundamentum fidei aedificaverunt scientiam universam verae religionis, salubremque doctrinam: Ut per intercessiones eorum puras et acceptabiles, Domine, non relinquas nos expositos insidiis et deci-

pulis erroris multiformis dogmatum reprobandorum: verum per doctrinam patrum illorum nostrorum beatorum, confirma nos, et fidem illorum funda in nobis, bonisque eorum eos dignos effice et cum illis referemus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Ut etiam eorum memineris, qui ex hac vita ad te migraverunt, te deprecamur, Domine, Sacerdotum et Diaconorum, qui coram altari tuo, Sacerdotio et ministerio functi sunt, cum puritate et sanctitate: Subdiaconorum, Lectorum, Religiosorum, Monachorum, et omnium eorum, quos unusquisque animo suo designat.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Placide et tranquille suscipe per benignitatem tuam, Domine, animas et spiritus servorum et adoratorum tuorum: qui ex hac praesenti vita ad te migraverunt: maximo vero illorum pro quibus et propter quos sacrificium hoc oblatum et perfectum est. Memento eorum, quietem illis praesta, et colloca eos in habitaculis lucis, in locis spirituum beatorum, in Jerusalem coelesti, in Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis, memoriamque et quietem maxime felicem, per amorem tuum erga homines praestans illis, Domine, concede illis vitam senii expertem, bona non transeuntia, et delicias finem non habentes. Veniam obtineant per clementiam tuam: quietem consequantur per misericordiam tuam: abscondantur sub alis gratiae tuae, neque condemnentur: quia speraverunt in te, et in unigenitum Filium tuum, per quem nos quoque speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Parce, Domine Deus, et dimitte omnes iniquitates nostras, et illorum, neque illas imputes, quia non justificatur in conspectu tuo ullus vivens, neque ullus est purus a sordibus, et maculis peccati, nisi tu, Domine. Obsecramus et deprecamur abyssum imperscrutabilem clementiae tuae, ut nobis infirmis, et ad peccatum propensis, veniam concedas per misericordiam tuam, neque dimittas nos in manibus a quibus abripiamur in errorem perniciosum, qui nos ad interitum deducat. Sed concede ut gradiamur in viis tuis, et faciamus voluntatem tuam, inveniamusque misericordiam, finem tranquillum, fiduciamque tibi placentem, et consistentiam absque confusione coram solio terribili unigeniti Filii tui, ut in hoc, sicut et in

omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum valde honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordia Dei, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat Oblatam.

Diaconus. Angelus.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Vere enim et absque dubio, tu es Pater sanctus Filii sancti, qui sanctitate aequalis est cum Spiritu sancto: qui perfecte et cum summa potestate in sanctis requiescis, et perpetuo sanctificationes eorum, qui te sanctificant suscipis. Tu es fons incolumitatis, et origo auxiliorum, tu es genitor misericordiae, et pater clementiae, miserator, fautor, adjutor et auxiliator, curam habens pauperum, et refugium afflictorum, comes itineris navigantium, portus et requies jactatorum, refugium peccatorum: medicus bonus infirmorum: qui amas lacrymas poenitentium: emundator sordium, in illis qui inquinati sunt, largitor donorum, thesaurus divitiarum. Tu ab initio, ab aeterno, a saeculo et perpetuo, sanctus es, plenusque sanctitate, sanctificator et perfector sanctorum, et nos glorificationem, hymnorumque decantationem offerimus tibi, eam ipsam quam a Filio sancto tuo, Filio tuo dilecto amanter didicimus: petimusque ut nobis omnibus praestes, ut corde puro, sed ardenter succenso per zelum laudabilem, orationes et deprecationes nostras coram te effundendo, cum mentium illuminatione, animorum castimonia, linguarumque triumphali laudatione, clamemus ad te, oremus et dicamus, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos elevans vocem. Ne, Domine, permittas nos jactari vexationibus mundanis, sive diabolicis, ultra id quod possumus, ita ut omnino in infirmitate, aegritudine et confractione cordis simus, et a domestica familiaritate tua alieni efficiamur, si nostri curam non habueris. Ne sis immisericors, Domine, neque avertas faciem tuam

a nobis, neque procul facias auxilia tua; sed aspice nos, et mitte gratiam tuam ad nostrum subsidium. Ab omnibus criminibus libera nos, neque inducas nos in tentationem, quia tibi est potestas, et imperium aeternum, et tibi gloriam et gratiarum actionem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quae oblata sunt, iterum coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te, Domine.

Sacerdos elevans vocem. Cum omni natura et creatura coelestium et terrestrium, quae te adorat, Domine, ut animo concipimus, nos quoque adorationem veram cum cervicis demissione tibi offerimus; et a summa caritate tua postulamus, ut illumines animas nostras veritate tua. Munda nos hyssopo tuo: sanctifica nos sanctitate tua: converte nos ad timorem tuum, placeat tibi ut mittas nobis benedictiones tuas, et in hunc modum atque talibus bonis locupletans nos, ne permittas, ut rei accedamus ad communionem hanc vivificam corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit benedictio, etc.

Populus. Et cum, etc.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Juste et secundum veritatem, valdequo rationabiliter, debentur magnificentiae tuae, laudes omnes indesinentes, hymni et exultationes triumphales, quia nos fecisti dignos per clementiam tuam dono hoc bono, et coelesti, alimenti hujus incorruptibilis: rogamusque amorem tuum erga homines ineffabilem, ut non convertas festa nostra in luctum, neque cantica nostra in ejulatum, neque dejicias capita nostra coram judicio: neque erubescamus in die novissimo, in quo unusquisque congruam remunerationem accipiet; cum Angeli in timore

consistent, et unigenitus Filius tuus judicabit. Sed quemadmodum summe misericordem erga nos te exhibuisti, parce pusillanimitati nostrae, miserere infirmitatis naturae nostrae, non in judicium, aut condemnationem reputans nobis hoc munus tuum, sed ad sanctitatem, et vigilantiam et viaticum salutis nostrae. Et te decet gloria, honor et imperium, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sanctissimo tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Tibi qui genitus es ab aeterno, ex lumine aeterno, et incarnatus es absque ulla mutatione, ex utero virginali, gratias agimus, et ut requiescat dextera tua, super nos omnes perpetuo, postulamus. Sacerdotes altaris tui gloria affice, et ministrantes tibi in honore constitue. Senes mansuetudine orna et adjuva: impetus juvenum coerce: pueros educa in modestia, et ad summum scientiae apicem perducito. Sana Domine infirmos, ablue maculas peccatorum: obsigna cruce tua Virgines: custodi lectum conjugatorum: mitte egenis saturitatem: esto orphanorum curator, et confortator viduarum. Parce illis qui acceperunt corpus tuum: et eos qui biberunt ex sanguine tuo, perfecte purifica. Benedic illis qui per crucem tuam salutem consecuti sunt; sanctifica etiam agnos gregis tui, oves tuas adhuc ad ovile tuum: agnos tuos in doctrinis tuis confirma, unumquemque in gradu et ordine suo visita, per misericordiam tuam. Nos autem Domine servos tuos, et sacerdotio fungentes tibi, dignos effice visione tui: nos omnes adduc ad habitaculum tuum: mentes nostras firmas effice in dilectione tua: oculi nostri videant, majestatem timendam tuam: ora nostra repleantur sanctificationibus tuis: labia nostra, Domine, laudes tuas pronuncient, Patrisque tui benedicti et beati, et Spiritus tui, vivi, sancti, vivificantis et tibi consubstantialis.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

AD LITURGIAM IGNATII
OBSERVATIO.

Longa oratione non opus est ad istius Liturgiae novitatem probandam, cum satis ipsa se prodat. Stilus enim synonymis et epithetis inflatus ultra modum, natae infelicibus saeculis eloquentiae magis convenit, quam primaevae Apostolicorum temporum simplicitati, quam genuina Ignatii Martyris scripta repraesentant. Illa apud Syros vulgari sua lingua olim extitisse docent nos multa ex illis testimonia, quae in libris Theologicis occurrunt, sed prae caeteris excerpta ex ejus genuinis Epistolis non pauca, quae Conciliorum Canonibus adjuncta reperiuntur in vetusta versione Syriaca, quam Codex Mediceus membranaceus repraesentat. Addidit interpres, illas sententias vulgo inter Canones non referri, verum ex nomine tanti viri, aequalem quodammodo habere autoritatem. Factam esse ex optimis Codicibus interpretationem illam agnovimus, et ab autore quicunque fuerit non imperito: tum illud etiam animadversione dignum observavimus, codices illum, similes Florentino illi celeberrimo quo Latinus interpres usus fuerat, secutum fuisse, nec alias, nisi veras Epistolas agnovisse. At nulla praeter Jacobiticam Antiochenam Ecclesiam, habuit huc usque Liturgiam Ignatio attributam: neque de ista quidquam aliud cogitare possumus, nisi quod ab aliquo scripta, cum singularem titulum non praeferret, esset que Antiochenae Ecclesiae propria, Ignatii nomen, tanquam illius insignis Episcopi acceperit. Potuit etiam ab aliquo Ignatio scripta fuisse, qui illam sedem tenuerit, aliquot enim ita appellati sunt, inter Jacobitarum Patriarchas, et librariorum culpa ad Martyrem referri, quae novi hominis foret. Sed quid de istiusmodi titulis statuendum sit, quantum opus erat, dictum est alibi.

In ista quidem Liturgia Monophysitarum haereseos ne levissimum quidem vestigium deprehenditur, quae majoris, quam existimamus antiquitatis nota, verisimilis videri aliquibus posset. Meminisse tamen oportet, quod alibi observatum est, raro inter Jacobitas Syros, Liturgicis precibus, ea quae ad suae de Incarnationis mysterio doctrinae confirmationem pertinent, inseri solere. Solis Aegyptiis proprium illud fuit, qui Confessioni de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, alteram de una in Christo natura conjunxerunt. Itaque quod nihil ad eam pertinens in ista Ignatii Liturgia reperiatur, ad illius antiquitatem probandam nullius momenti est, cum recen-

tioris aevi tam multa aliunde praeferat indicia. Inter illa tamen commemoratio in Diptychis facta, sanctorum qui consumto dudum per martyrium Ignatio in Ecclesia floruerunt censeri non debet: nomina quippe illa adjici potuerunt, ut in aliis observatur, quia tales commemorationes erant ex usu Ecclesiastico. Quod vero Dioscorus et Severus nominatim commemorantur: illam Liturgiam Jacobitis propriam fuisse manifestum facit.

LITURGIA

S. JULII PAPAE ROMANI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater omnipotens qui es caritas vera, et largitor caritatis et tranquillitatis, nos dignos effice, ut mundati ab omni genere iniquitatis peccati, demus nobis invicem pacem in osculo sancto, incensi amore et caritate unigeniti Filii tui, cum quo te decet gloria, honor et potestas cum Spiritu tuo sancto, nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Dignare.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Et eos qui coram te inclinati sunt, perpetuo benedic et conserva, illosque omnino exhibe cultores tui perfectos, et erroris immunes, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Perpetuo igitur robora infirmitatem nostram Domine, et da nobis ut sancte et valde pure, offeramus tibi sacrificia spiritualia et rationalia, rogantes veniam delictorum, et remissionem peccatorum nobis et omnibus defunctis fidelibus, quia tu Deus misericors es, volensque misericordiam tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.
Diaconus. Stemus decenter.
Populus. Misericordiae Dei.
Sacerdos. Caritas.
Populus. Et cum.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum et justum est.
Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, ut adoremus et laudemus Patrem et Filium, et Spiritum sanctum unum Deum verum.

Elevans vocem. Ad laudem nempe magni decoris tui ineffabilis, non sufficiunt omnes rationales creaturae, cum abscondite superior sit laus tua omnibus naturis visibilibus aut invisibilibus: Qui dignum fecisti populum tuum fidelem, sancto cum Cherubim et Seraphim laudandi divinitatem tuam ineffabilem, praesertim vero hoc tempore simul et generaliter hymnum illum coelestem, laudationem illam ter sanctam, praeclarae majestati tuae divinae concinentes clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus Deus Pater omnipotens. Sanctus Filius tuus unigenitus Dominus noster Jesus Christus. Sanctus Spiritus tuus sanctus. Magnificentia tua est, quod absque ulla mutatione incarnatus est unigenitus Filius tuus, ex Virgine sancta, et perfecit omnia opera sua recte, et per passiones suas sanctas liberavit eos qui in illum crediderunt.

Elevans vocem. Vespera illa postrema, qua traditurus erat se ipsum, pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas † et benedixit, † et fregit † deditque discipulis suis sanctis dicens. Accipite manducate ex eo. Hoc est corpus meum, ipsum quod pro vobis, et pro multis datur in expiationem delictorum, et remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et super calicem gratias egit † benedixit, † sanctificavit, † deditque discipulis suis Apostolis sanctis dicens. Accipite bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus

Testamenti Novi, qui pro vobis, et pro multis datur, ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim mysterium hoc celebrabitis, commemorationem mortis et resurrectionis meae perficietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam igitur agimus omnis periodi dispensationis tuae salutaris, quam pro nobis perfecisti et complevisti Christe Deus noster. Gloriam et magnificentiam offerimus benignitati tuae erga nos, deprecantes te, ut cum exortus fueris in die illo novissimo, redditurus unicuique secundum opera sua, non in examen et commemorationem adducas peccata nostra, Domine, quia nullus est perfecte immunis a sordibus peccati: sed praesta nos dignos quiete illa spirituali, quam pollicitus es electis illis tuis, qui confessi sunt sanguinem tuum pretiosum; et quam promisisti Ecclesiae tuae sanctae, quae propterea, et juxta haec, voce elata deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus, etc.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere mei Domine, miserere mei: et mitte super me et super has oblationes propositas, Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, tibi consubstantialem et coaeternum, Pater, et unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo: et habitet in nobis et sanctificet corda nostra,

Elevans vocem. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens efficiat, panem quidem istum, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice efficiat sanguine Christi Dei nostri. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Ut prosit illis omnibus qui ex eo accipiunt et communicabunt ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et resurrectionem benedictam a mortuis, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus igitur tibi Domine sacrificium hoc pro omnibus ordinibus Ecclesiasticis, et pro paupertate mea, et unicuique auxilium tribue.

Elevans vocem. Pastores et Doctores Orthodoxos Ecclesiae tuae sanctae, sapientia et viribus instrue Domine, ut quantum opus est stent super greges tuos sacerdotales, in pratis illis coelestibus, Evangelice pascentes agnos signatos nomine tuo sancto, nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui praeceperunt nobis, ut illorum memores essemus in orationibus et deprecationibus nostris ad te: et eorum qui praeclarae vitae triumphum egerunt in Ecclesia tua, et pauperum populi tui.

Elevans vocem. Benigne autem Domine suscipe oblationes et dona populi tui fidelis, et retribue illis auxilia praeclara donorum tuorum, nunc quidem ea quae ipsis expediunt: deinde vero, sursum in extremo saeculo, triumphum illustrem et perfectum, et omnem affluentiam deliciarum indesinentium: ut gratias agant, adorent et glorificent, nosque cum ipsis, nomen tuum sanctum et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine populi tui fidelis et prohibe ab illis hostiles incursus secretos et apertos, bella domestica et extranea, et omne calamitatum genus.

Elevans vocem. Neque propter insipientias nostras deseras nos orphanos, destitutos virtute et auxilio tuo Domine: neque avertaris a nobis, et affligamur amare ultra vires nostras: sed propitius esto nobis, et ab omni genere passionum peccati liberans nos, subter alas tuas perpetuo nos absconde: quia tu Deus salvator et servator omnium es, et tibi gloriam referimus et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium sanctorum qui a saeculo placuerunt tibi, ab Adamo, ad hanc usque diem. Praecipue vero sanctae Genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae, Stephani principis Diaconorum et primi martyrum et omnium sanctorum.

Elevans vocem. Illorum qui sancte coronati sunt, et ad te pervenerunt, ut fiducialiter apud te pro nobis intercessores existant; quorum orationibus acceptabilibus exstingue a nobis flammas peccati, et omnes insidias maligni deceptoris nostri compesce: ut sedulo offeramus tibi deprecationes sanctas et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo, nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Episcoporum, et Doctorum Ecclesiae tuae sanctae, qui a Petro, Paulo, Joanne, et Severo extiterunt, ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Illorum qui cum gaudio sustinuerunt afflictiones propter nomen tuum sanctum: qui perfecte depulerunt errorem impium, ex cordibus populorum in ignorantia versantium: illosque illustraverunt promissione magna veritatis tuae: et per orationes illorum sanctas, aufer ab Ecclesia tua sancta bella, divisiones, omniaque consilia mala, haereseon perniciosarum, et perpetuo confirma illam in veritate tua, et in illa habitare fac tranquillitatem nominis tui, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium fidelium defunctorum, qui pridem obierunt, et ad te pervenerunt.

Elevans vocem. Remittens illis omnes insipientias eorum, per amorem tuum erga homines, Domine, nec reputans illis defectus humanos illorum. Fac illos dignos quiere illa spirituali, et regione exultationis et laetitiae, in Christo Jesu Domino nostro; per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum per illum, et nobis et ipsis. *Populus.* Amen.

Diaconus. Quietem praesta.

Sacerdos. Nobis quoque qui etiamnum in isto saeculo subsistimus, praesta viam vitae hujus temporalis, immunem ab omnibus calamitatibus, et fraude maligni fraudatoris nostri, et inter omnes laqueos, et foveas perniciosas et scandala peccati dirige nos; deducque nos ad finem beatum, et exitum misericordiarum, ut non subtrahas te ab illis, qui secure te expectant, et aspiciunt in te sine fine, et exultant indesinenter in laudationibus tuis, ut hic et illic ex omnibus et propter omnia magis exaltetur nomen tuum benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum.
Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.
Populus. Et cum.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit Oblatam et signat. Oratio ante Pater noster.

Indesinenter gratias agimus tibi, Deus Pater omnipotens, abscondite et invisibilis, propter omnia beneficia tua erga nos: qui nos infirmos et peccatores dignos fecisti, celebrandi ministerium hoc mysticum nomini tuo sancto. Complaceas tibi in nobis ergo Domine, et perpetuo conserva in nobis pignus hoc magnum et mirabile, repellens a cordibus nostris omnes cogitationes materiales, et meditationes atque imaginationes saeculi hujus, ut fiducialiter invocemus te Patrem coelestem omnipotentem, oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Petimus a te pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ne inducas servos tuos in tentationem, sed libera nos a malo, et operibus ejus, et omnibus quae ejusmodi sunt, quia tuum est regnum et virtus et laudatio, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Ante susceptionem.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Pastor bone gregis rationalis, visitator Sion coelestis et illustrator perfectorum, visita hos servos tuos qui coram te inclinati sunt, et munda corda eorum ad susceptionem Sacramentorum tuorum sanctorum, et ad laudem nominis tui gloriosissimi, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. In timore, etc.
Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus.
Sacerdos. Unus, etc.
Diaconus. Stemus decenter.
Populus. Gratias agimus tibi.

Oratio gratiarum actionis.

Sacerdos. Gratias agimus tibi Domine Deus noster, et excellentius gratias agimus propter omnia beneficia tua erga nos, qui nos infirmos et peccatores dignos fecisti celebrandi hoc ministerium. Dignare ut haec communio sacramentalis prosit nobis ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, ad fidei confirmationem, ad observationem mandatorum tuorum sanctorum, et ad tutamen coram throno terribili, unigeniti Filii tui: cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post, etc.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Quid est ergo nobis quod retribuamus amori tuo erga homines, Christe Deus noster, qui nos exules a patria nostra pristina, et diu a te procul factos vocasti, et adduxisti ad familiaritatem et fiduciam tecum; et dignos fecisti nos vitam veram et laetam in saeculum a te consequendi. Gloriam, honorem et adorationem referemus tibi, Patrique tuo, etc.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM JULII PAPAE

NOTAE.

Julii Romani Pontificis nomine Liturgiam apud Jacobitas extare certum est, testimonio multorum Codicum Mss. qui eam repraesentant: tum etiam, quod Maronitae recentiores eam inter suas numerent, ut fecit Abraham Echellensis, in Notis ad Hebed-Jesu, Gabriel Sionita Epistola ad Bartoldum Nihusium et alii. Tamen, qua ratione nescitur, inter eas quae in Missali Chaldaico editae fuerunt, locum non habuit; nec immerito. Neque enim Latine, Graece, aut alia quam Syriaca lingua reperitur ulla, quae hunc titulum praeferat Liturgia. Jacobitae Syri qui novas multas composuerunt, ut Julio Papae unam attribuerent, causa haec fuit. Epistolas nonnullas istius Pontificis, quae dudum a viris doctissimis explosae sunt, in quibus praesidium aliquod errori suo, Monophysitae reperisse se existimant, commendant magnopere, et in Collectaneis illis quae multa veterum Patrum testimonia, ad unius naturae probationem continent, non pauca ex illis Epistolis referuntur. Sed id praecipue observatur in libro maximae apud Jacobitas autoritatis, qui *Fides Patrum* appellatur: ut in Tractatibus adversus Melchitas et Nestorianos, Isa filii Zaraa, et multis aliis. Nihil tamen in ista Liturgia animadvertitur, quod Monophysitarum haeresin insinuet. Quod enim in Diptycho nomen Severi Antiocheni legatur, illam ad Jacobitas pertinuisse demonstrat, sed nihil inde circa illius antiquitatem deduci potest: cum librarii saepe addant non modo sanctorum, quae ipsis in mentem veniunt nomina, sed eorum maxime, qui, ut Severus, in Ecclesia sua sanctitatis et doctrinae opinione commendantur. Quamvis porro Julio Romano Pontifici, aut ejus aetati hanc Liturgiam attribui non posse perspicuum sit, inter antiquas Syriaci ritus numeranda tamen videtur, praesertim ob brevitatem et stili simplicitatem, a qua deflexerunt ut plurimum, qui alias ad vetustiorum formam composuerunt. Nihil autem in ea singulare occurrit, quod explicandum sit fusiori commentario: cum quae de forma verborum Christi, et Invocationis Spiritus sancti dicta sunt ad Jacobi Liturgiam, isti quoque conveniant.

LITURGIA
SANCTI L. EUSTATHII,
PATRIARCHAE ANTIOCHENI.

Primo Oratio ante osculum pacis.

Deus clemens et multae misericordiae Domine, qui te non dubitanter invocantes juste exaudis, nobis etiam qui una et aequali voce clamamus ad te, largire, ut cum unanimi concordia, demus nobis invicem pacem in osculo sancto et divino, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus proclamat Mediam.

Sacerdos elevans vocem. Omnem quoque dubitationem depellens a nobis, Domine, vinculo caritatis tuae confirma nos, et benedictiones abundantes, nobis et illis qui coram te inclinati sunt mitte, ut efficiamur adoratores veri et participes bonorum tuorum aeternorum, referemusque tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tu es thesaurus auxiliorum, et fons bonorum, Domine: nos igitur qui egestate et paupertate laboramus, divites fac divitiis incomprehensibilibus donorum tuorum divinorum: et perfice nos in populum sanctum, et congregationem salvatam, quae annunciet laudes tuas, Deus Pater, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui vivi.

Diaconus. Date pacem.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Populus. Amen. Misericordiae Dei.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Gratias agamus, adoremus, et glorificemus Patrem, Filium, et Spiritum sanctum unum Deum verum.

Elevans vocem. Magnificentiam tuam Domine glorificant omnes virtutes materiae expertes: legiones inflammatae ex flamma productae: agmina ardentia Cherubim fortium: turmae terribiles Seraphim sanctorum; qui moventes alas suas, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Trinas sanctificationes offerimus tibi, Deus Pater, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto: neque enim mensurabilis est sanctitas tua Domine: qui cum indigni essemus, misisti Filium tuum in mundum pro salute nostra: ortusque est ex Virgine, et per mortem suam vitam praestitit mortalitati nostrae.

Elevans vocem. Qui cum voluntate sua, quasi succidaneus pro nobis peccatoribus venit ad mortem, accepit panem in manus suas sanctas, ✝ benedixit, ✝ sanctificavit, ✝ fregit, deditque discipulis suis sanctis, et dixit: accipite manducate ex eo: [2] Hoc est corpus meum, quod vos et omnes suscipientes illud fideles, praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem quem miscuerat vino et aqua, ✝ benedixit, ✝ sanctificavit, ✝ et dedit iisdem discipulis sanctis et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus qui vos et omnes suscipientes eum fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sed et quando mysterium istud celebrabitis, agite memoriam mortis meae, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Etiam adventum tuum salutarem, et secundum illum retributionis commemorantes Domine, laudes cum deprecationibus majestati tuae offerimus, ut in die illo magno judicii tui justi, non per peccata nostra fiamus cibus carbonum ignis, alimentumque flammae terribilis: non demergamur in mare ardens, aut jactati obruamur fluctibus ignium. Non simus haeredes suspiriorum: neque gemitibus acerbis addicas nos: non fiamus habitatores locorum tenebrosorum, et regionum timore plenarum: non alieni fiamus ab haereditate tua, neque privati familiaritate tua: sed cum invitatis ad recumbendum tecum, et vocatis ad convivium tuum conjunge nos, et splendore

regni tui impingua nos. Et propter haec omnia praecipue, Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te, atque tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Misericordiam tuam obtestor et deprecor, Domine Deus: miserere mei, et effunde super me et super oblationes istas propositas, gratiam Spiritus tui sancti: et munda me ab omnibus maculis peccati, et conforta me ad ministerium hoc purum et sanctum.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per [3] illapsum suum exhibeat, panem quidem istum, † corpus sanctum † Christi Dei nostri †.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, faciat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nobis autem per illorum susceptionem, det veniam delictorum, remissionem peccatorum, scientiam veram fidei, zelumque laudabilem religionis, et participationem vitae aeternae.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Da Domine, Ecclesiae tuae et praesulibus ejus, ut juxta praescriptum legum tuarum se gerant, omnibus diebus vitae suae.

Elevans vocem. Et oculos intellectuales mentis nostrae illumina Domine, ut contemplemur miracula legum tuarum divinarum: et a lupis spiritualibus universum gregem tuum conserva: et simul referemus tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui invocant te cum fide vera, et bona operantur propter nomen tuum sanctum.

Elevans vocem. Omnes quoque reliquos Orthodoxos auxilio tuo adjuvans Domine, benedic eos qui juvant Ecclesiam tuam san-

ctam: ut ab omnibus glorificeris, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Coerce et aufer a nobis Domine, omnem potestatem inimicam pugnantem adversus nos.

Elevans vocem. Et concede Domine liberationem perfectam a bellis, tumultibus, et incursionibus barbarorum, populo tuo fideli: atque in pace, quae a te est, conserva omnem gregem tuum: ut assidue glorificemus te, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum sanctissimum.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine sanctae Genitricis Dei Mariae, et sanctorum Apostolorum tuorum, ut etiam illorum qui inter eos recenseri meruerunt.

Elevans vocem. Nos etiam robora, ut gloriose perficiamur in scientia vera, et conscientia sincera: ut ea ratione similes effecti sanctis tuis, qui tibi vivunt, et apud te custoditi, cum illis referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Patrum sanctorum et beatorum, qui spiritualiter nos genuerunt, educaverunt, et aluerunt, in omni timore Dei.

Elevans vocem. Eorum qui doctores veri fuerunt Ecclesiae tuae sanctae, et a seductionibus erroris, eam converterunt, et vias rectas ad vitam immortalem, illi demonstraverunt: numeratos igitur inter ordines eorum fac nos, ut cum illis et inter illos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Miserere et parce Domine per hoc sacrificium, omnibus defunctis fidelibus, qui pridem decubuerunt, cum spe tua, in fide Orthodoxa.

Elevans vocem. Omnes aspiciens cum misericordia, tanquam conditor animarum et corporum illorum. Acceptas igitur habe istas oblationes, quae pro illis tibi offeruntur: et praesta illis bona promissa diligentibus Christum tuum; per quem, et cum quo misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae propter eum est, et nobis et illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Propitius igitur esto omnibus iniquitatibus nostris et illorum Domine, neque in memoriam revoces crimina quae a nobis et ab illis commissa sunt: verum rege nos in hoc saeculo liberos a judiciis et angustiis, et in futuro fac nos pervenire ad habitacula lucis, gaudii et laetitiae: ut hic et illic glorificemus, laudemus, veneremur et extollamus nomen tuum valde honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Postea frangit Oblatam et signat dicens: Credimus.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Princeps magne et Pater vere utriusque saeculi, Domine, qui nos ex nihilo eduxisti, ut essemus, et vias rectas salutis, per Filium tuum unigenitum docuisti nos: tu nunc etiam per gratiam tuam compatiens nobiscum Domine, sanctifica mentes et linguas nostras: eo fine ut pure invocemus te Deum Patrem omnipotentem, sanctum, oremusque et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Semper esto armatura nostra, Domine: auxiliator, et adjutor; et a tentationibus praeservator et liberator: quia tuum est regnum, et potestas et laus, unigenitique Filii tui, et Spiritus tui, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Adorande qui ter adoraris, et sancte glorificaris, sanctifica Domine animas et corpora eorum qui coram te inclinati sunt, ut sancte mysteriis istis communicemus, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.
Diaconus. Unusquisque cum timore.
Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Omnem laudem indeficientem, gratiae tuae inenarrabili offerimus Domine: qui per susceptionem hujus mysterii illuminasti animas nostras radiis spiritualibus divinitatis tuae. Praesta nos igitur incolumes ab igne illo inextinguibili, per istud convivium: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post.
Sacerdos. Domine custodi populum tuum fidelem, et salva nos omnes ab omni timore et tremore: tranquillitatemque et pacem concede nobis omnibus, benedictionesque bonas, gaudia et exultationem: ut pro omnibus retribuamus tibi gloriam, laudem, exaltationem et gratiarum actionem, Deoque Patri genitori tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic nobis omnibus.
Diaconus. Benedicam Dominum.

IN LITURGIAM S. EUSTATHII

NOTAE.

1. Eustathii Antiocheni.

Celeberrima est non modo inter Jacobitas, sed apud Orthodoxos Eustathii Antiocheni, qui Nicaeno Concilio interfuit, memoria: neque magis ad *Sos. l. 1. c. 2. et 17.*

Jacobitas pertinebat quam reliqui Patres veteres: nisi quod cum Antiochenae Ecclesiae Episcopus fuerit, locum illi inter eos dederunt, a quibus suas temere deducunt origines. Ut igitur Petri, qui illam Ecclesiam fundavit nomine Liturgias duas: unam Ignatii nomine scripserunt, ita facile fuit ut Eustathio quoque unam adscriberent. Illam inter eas quae in usu apud Maronitas forent numeravit Gabriel Sionita in Epistola ad Nihusium, Abraham Echellensis in Notis ad Hebed Jesu: et Faustus Naironus in Evoplia sua. Edita quoque est in Missali Maronitico: sed cum interpolationibus, quae in aliis factae sunt. Sinceram lectionem restituimus ex Codice Colbertino bonae notae, qui eam repraesentabat: nam in multis desideratur. Cum vero omnium Liturgiarum una sententia sit, idem disciplinae color, doctrina de Sacramento prorsus eadem: discrimen vero nullum, praeterquam in verborum ubertate, aut strictiori simplicitate possit animadverti, quae ad alias observata sunt, ad istius quoque explicationem possunt sufficere, si pauca excipimus.

Allat. Symmicta p. 297. Evopl. p. 319. p. 162.

2. *Hoc est corpus meum, etc.*

Io habet singulare illa verborum Christi formula, quod contra reliquarum omnium Graeci, Coptici, et Syriaci ritus Liturgiarum exemplum, particula illa, *quod pro vobis frangitur et datur in remissionem peccatorum,* omittitur: quae tamen ex rigidiorum Theologorum opinione necessaria non est: unde praetermittitur ubique in Missali Romae edito. Sequentia autem verba, *suscipientes illud fideles praeparat ad vitam aeternam,* significant Sacramentum digne susceptum gratiam conferre fidelibus ad consequendam vitam aeternam.

3. *Ut per illapsum suum exhibeat, etc.*

Eo in loco duae voces occurrunt, quarum hac in oratione usus frequentissimus est: *illapsus* מאגנותא. ἐπιφοίτησις, ἐπισκίασις, a verbo אגן quod legitur in versione Syriaca Lucae 1. 35. *Virtus altissimi obumbrabit tibi,* ἐπισκιάσει: ut significetur illapsus Spiritus sancti in B. Virginem, ad formandum ex ea corpus, mox assumendum a Verbo Dei. Ut enim alibi explicatum est, ea comparatione Orientales uti potissimum solent, ad explicandam propositorum elementorum in corpus et sanguinem Christi mirabilem transmutationem. Altera vox est אתגלי seu Graeca ἀναδείξῃ quae occurrit in Syriaca Jacobi Liturgia, et de qua pariter dictum est, certisque argumentis demonstratum, intelligendam illam esse, non tam ex Syriaca quam ex Graeca origine, ita ut non simpliciter *demonstrare* et *designare,* sed *efficere* et *consecrare* significet. Si quis pervicacius insistat, tricisque grammaticis simplicem et tot aliis Liturgiis expressam sententiam obscurare nitatur, ex sequenti formula, quae ad calicem refertur refelli potest, in qua vox נעבד *faciat* usurpatur, significationemque alterius vocis determinat. Idem enim pro misto, quod calix continet, postulatur miraculum, ac pro pane in altari proposito:

et si effectus non alius est, quam ut significet, designetque sanguinem Christi, alia voce uti debebant Liturgiae autores, quam ea quae *efficere* significat. Si vere efficitur merum aqua mistum, sanguis Christi, vere quoque panis efficitur Corpus Christi. Itaque dubium superesse nullum potest, quin utraque vox, diversae licet originis et etymologiae, eodem significatu accipienda sit: quod etiam variarum aliarum Liturgiarum consensus demonstrat.

In Romana editione forma Invocationis integra relicta est, eo solum a Codicibus Mss. discrimine, quod in utraque periodo, tam in ea quae ad panem spectat, quam in altera, quae ad calicem, occurrit vox eadem אמר. An ita habuerint Codices Mss. ex quibus editio facta est, dicere non possumus: id autem facile fuit, cum Syri utraque voce indifferenter uti soleant. Verùm si quidem emendandae fuerunt in locis aliis Invocationis formulae, in ista, ut in Jacobi Liturgia, idem erat observandum: nam constare sibi debent in re tam gravi censorum judicia. Si quae in duabus illis Liturgiis intacta servata est, omni erroris suspicione caret: sollicitari et immutari aliae non debebant, aut utraque, illa prae caeteris debebat emendari, ea ipsa ratione, quae ipsam, ut verisimile est, a censura liberavit. Nam qui voce עבד quae *ποιεῖν* significat, offensi sunt: alteram אמר, *ἀναδεῖξαι* aliud quidpiam significari judicaverunt, scilicet *designare*, *demonstrare*, etc. At qui Eucharistiam jam consecratam, corpus et sanguinem Christi designare dicit, errat longe deterius, eo qui super dona proposita, verbis Christi a Sacerdote rite pronunciatis consecrata, invocari posse credit Spiritum sanctum, ut illapsu suo mysterium plena sanctificatione confirmet. Neque invocari potest Spiritus sanctus, aut illius illapsu et obumbratione opus est, ut panis et vinum significent corpus et sanguinem Christi. Nam mystica haec adumbratio statim ab initio Liturgiae, etiam in praeparatoria actione, per preces et caeremonias satis significatur: ut cum panis ad altare infertur, et dicitur: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est:* et ad calicem: *Unus militum lancea latus ejus aperuit:* et alia similia, dudum ante quam pronuncientur Christi verba. Tota imo Liturgiae series eo spectat, cum repraesentatio sit totius humanae ipsius in terris dispensationis.

Reliquae istius Liturgiae partes ex observationibus ad alias satis perspicuae sunt.

LITURGIA

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Primum Oratio ante Pacem.

Domine Deus omnipotens, nomen magnum et sanctum, excelse, laudande et mundum potestate complectens, qui ab illis omnibus qui adversantur voluntati divinitatis tuae, salvas illos qui recte glorificant te; nobis quoque servis et adoratoribus tuis praesta, Domine, ut ab omni fraude diaboli, et ab omnibus cogitationibus dolosis Judae procul facti, caritatique tuae divinae adhaerentes, amplectamur invicem in osculo sancto, dominico, et cum humanitate. Dignare etiam ut omnibus diebus vitae nostrae pacem loquamur, pacem operemur, et digni efficiamur bonis tuis coelestibus, et aeternis: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potentia, cum Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Dignos effice nos.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Tu enim es summus excelsus et mirabilis, atque a creatis omnibus absconditus. Tu es pax, et iratorum conciliator, veniae largitor: insipientium magnus consolator, laetificans afflictos. Aperi, Domine, ostium misericordiarum tuarum supplicationibus nostris, et suscipe deprecationes nostras juxta multitudinem gratiae tuae. Fac nos filios tuos et haeredes regni tui aeterni, per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Adorande qui ab Angelis benediceris et sanctificaris, et ab hominibus terrenis celebraris et exaltaris, quique ab omnibus creaturis cum timore et tremore adoraris et glorificaris; aspice, Domine, famulos tuos, qui nunc te invocant, et da illis, ut cum puritate animae et sanctitate corporis offeramus tibi orationes puras, oblationesque acceptabiles: et fructus labiorum nostrorum sint ad beneplacitum et voluntatem divinitatis tuae, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas Patris.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere digne et justum est, ut tibi gratias agamus: adoremus, glorificemus, laudemus et exaltemus, honore afficiamus, jubilemus, benedicamus et sanctificemus unam majestatem Trinitatis sanctae, ejusdem substantiae, et adorandae in tribus personis, Patris, Filii, et Spiritus sancti, neque enim laude nostra indiget majestas tua, Domine, neque nostra gratiarum actione opus habes.

Elevans vocem. Sunt enim tibi laudatores innumeri, et virtutes excelsae infinitae, Cherubim congregati, Seraphim praeclari milleni, et congregatio innumerabilis: multitudines et agmina quae supputari non possunt: ordines expansi ignis devorantis: virtutes mirandae carbonis ardentis, legiones absconditae quae sustinent currum Cherubim, cujus conversiones infinitae sunt: turmae Seraphim, quae alarum suarum sonitu superliminaria commovent: multitudo praeclara, quae e medio prunarum ardentium, motu suo percipitur: mille millia quae stant coram te, et myriades myriadum quae laudant essentiam tuam: et una voce nitida, unoque concentu amabili, cantu suavi, linguisque materiae expertibus, clamant alter ad alterum, laudibus aeternis vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Voces Domine, Seraphim essentiam tuam explicant: turmae Cherubim absconditam naturam tuam benedicunt:

agmina Archangelorum te adorant. Gloria sit tibi, qui magnificasti genus nostrum infirmum, et adjunxisti coetibus spiritualibus laudantium te. Tu Domine per miserationes tuas multas, misisti Filium tuum dilectum ad salutem nostram, ortusque est ex Virgine sancta, tanquam nictu oculi purissimi, suscepitque similitudinem servi, cum esset vere filius majestatis tuae. Factus est homo, sicut ipse voluit, ut nos Deos faceret, quemadmodum illi placitum est. Natus est ex utero carneo, ut regeneraret nos ex utero spirituali. Factus est nobis frater per gratiam suam, ut faceret nos filios tibi, pater coelestis. Extulit nos ab humili servorum conditione, deditque nobis honorem haeredum. Abstulit a nobis servitutem mercenariorum, constituitque nos in gradu filiorum, et dedit nobis pignus adoptionis, quo te Pater vocaremus patrem nostrum confidenter.

Elevans vocem. Non boves saginatos offerimus, neque agnorum, haedorum, aut vitulorum ad cornua altaris sanguinem aspergimus, aut coronas, balteos aut Ephod praecingimus. Venit enim corpus pro similitudine, scilicet unigenitus Filius tuus, qui persona propria praestitit mundationem peccatorum nostrorum, per sanguinem suum pretiosum qui effusus est pro nobis. In nocte si quidem illa qua traditus fuit ad mortem, pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, aspexit ad te, Deus Pater, et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit, deditque discipulis suis Apostolis sanctis dicens: Accipite, edite ex eo: Hoc est enim vere corpus meum, quod pro vobis, et pro multis frangitur et datur, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Sacerdos. Similiter et calicem postquam coenaverunt, accipiens vino et aqua moderate et ordinate miscuit, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis suis, Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic enim est sanguis meus vere, ipse qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam: hoc facite in mei memoriam. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos. Quis possit enarrare magnificentiam tuam excelsam et aeternam, o Verbum Dei: et exinanitionem tuam voluntariam pro nobis, quis comprehendat? Quis noverit enarrare nativitatem tuam mirabilem ex Virgine, illasque passiones voluntarias, immeritas et

salutares quas pro nobis sustinuisti, et passus es, quis compenset? omnemque dispensationem tuam salutarem propter nos, quis adorare et celebrare sufficiat? Te igitur deprecamur, Domine, optime et amator hominum, ut suscipiatur oblatio ista quam offerimus, coram majestate tua, super altare tuum spirituale, quod excelsius coelis est, in habitaculo Angelorum, inter sanctorum conventus, in loco divinae tuae praesentiae, in tabernaculo primario secreti tui: ut per illam digni efficiamur propitiatione delictorum et remissione peccatorum. Et cum veneris ad judicandum vivos et mortuos, non intres in judicium cum servis tuis, non afficiat nos confusio in conspectu tuo; non abneges nos neque dicas nobis, Nescio vos, in hoc ipso die magno et terribili judiciorum. Non extra projicias nos ad portam gehennae, in locum fletus, et stridoris dentium; sed respice Domine misericors, ad infirmitatem et paupertatem nostram, propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos. Et sicut digni facti sumus per gratiam tuam dono corporis et sanguinis tui propitiatorii, dignare ut tecum simus unum, per sanctitatem, sicut tu unus es per essentiam cum Patre tuo et Spiritu tuo. Atque propter haec Ecclesia tua sancta et haereditas tua poenitens deprecatur te, et per te et tecum patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Laudamus.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Per supplicationem ad te factam, Domine Deus pater omnipotens, Spiritus tuus et virtus tua sanctificatrix requiescat super hoc sanctum, et sanctificet oblationes istas, et illabatur, resideat, et habitet super panem hunc, et super hoc vinum, et fiant unum corpus et sanguis unigeniti Filii tui, per virtutem tuam et Spiritus tui vivi et sancti.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Corpus quidem hoc Christi Dei nostri, fiat in pignus vitae futurae, corpus bona illa novies multiplicata conferens, quae promissa sunt: corpus ad delicias illas coelestes quae expectantur praeparans, ad innovationem animarum corporumque nostrorum, ad emundationem omnium sordium carnis et spiritus; ad praeservationem nostram ab omni operatione maligni hostis nostri, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, sanguis Christi Dei nostri, fiat propitiatorius delictorum et peccatorum quae commisimus: sanguis vivificans suspicientes illum, vita nova indeficienti; sanguis dirigens ad portus tranquillos, et habitacula lucis praeparata: ad innovationem animarum corporumque nostrorum, ad emundationem ab omnibus sordibus carnis et spiritus, ad praeservationem ab omni operatione maligni hostis nostri et ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Da et concede nobis per miserationes tuas magnas, Domine, ut animabus ille corporibusque nostris commistus, prosit ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, abstersionemque omnium perversitatum, ad delicias quae cum sanctis tuis sunt, consequendas, et ad vitam aeternam. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus coram te, Domine, Deus oblationem hanc puram et sanctam, pro Ecclesia tua Catholica, et Apostolica, quam acquisivisti, quae in tua spe consistit, et regnum tuum expectat: ut per crucem tuam salutarem conservetur, et benedicatur. Congrega filios ejus, in unam concordiam, caritatem et fidem in te. Memento, Domine, venerabilium Episcoporum Orthodoxorum, Patriarchae nostri Domini N. et Domini N. et reliquorum omnium Episcoporum Orthodoxorum. Doce illos verbum veritatis, quod recte dispensent: et pascant gregem tuum, illis a te commendatum, pie et sancte. Da illis Domine, senectutem longaevam in praeclara gubernatione, ut perficiant voluntatem tuam. Memento, Domine, Sacerdotum venerandorum, Diaconorum modestorum, Subdiaconorum castorum, omnisque plenitudinis, et Ordinis Ecclesiastici. Da illis, Domine, virtutem ad resistendum adversus omnes insidias, et artes diaboli, et dirige illos ad omne opus quod Ordini illorum conveniat. Memento etiam, Domine, infirmitatis animae meae morbidae, neque avertas faciem tuam, aut elongeris a me. Et quando quidem pro ultima illa peccatorum remissione te deprecor, non sicut errans aut projectus a tua praesentia sim; sed fac mecum secundum misericordiam tuam; adjuva infirmitatem meam, neque recenseas mihi insipientias meas. Memento, Domine, Regum, et subditorum, qui in nomen tuum crediderunt, illorum etiam qui bellis, pugnis et periculis conflictantur. Libera et praeserva nos, Domine, a fame, bellis, captivitatibus et effusione sanguinis justi, et a depraedatione per

manus gentium barbararum. Memento, Domine, pauperum, male habentium, orphanorum, viduarum, afflictorum, aegrotantium, et eorum qui a malignis spiritibus infestantur. Tu enim, Domine, conservator vitae illorum es, et necessitatibus illorum opitulator.

Elevans vocem. Deus celsitudine abscondite, et majestate laudande, quem exercitus, agmina, et coetus omnium, tam coelestium quam terrestrium laudant, quique voluisti, ut ministerium hoc pium et sacerdotale, per potestatem tuam Deo dignam perficeretur, et praestitisti nobis ut cum Episcopis, et sacerdotibus tuis staremus coram te et tibi ministraremus: complaceat tibi etiamnum Domine primarie pastor, et confortator animarum nostrarum, in pastoribus illis qui in capite populi tui stant, et tranquillitatem et pacem Ecclesiarum illarum sanctarum concede; ad perficienda praecepta tua sancta et vivifica: ut super fundamentum fidei Apostolicae, stabiliti et fundati, annumerentur ovili tuo superno, et vitae aeternae. Praesta nos omnes dignos communicandi operibus eorum, eosque aperta facie intuendi, in adventu unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas cum Spiritu tuo sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, omnium fratrum nostrorum fidelium, eorum qui propter nomen tuum fecerunt et faciunt omnia bona in omni regione, et communicaverunt, communicantque egenorum necessitati, subveniuntque egestati omnium pauperum, peregrinorum, et afflictorum. Nunc in praesenti vita retribue illis bona, et illic cum fidelibus defunctis vitae aeternae haeredes efficiantur.

Sacerdos elevans vocem. Da et concede per misericordiam tuam multam, praeclara dona, bonorumque affluentiam, omnibus illis qui communicant necessitatibus pauperum et praeclaris operibus cujuscumque generis in Ecclesia tua sancta conspicui sunt. Auge ignem caritatis tuae in animabus omnium nostrum, et aufer a nobis omnes vepres delictorum, et spinas amaras peccati. Per te qui es lux et vita vera, illustremur et vivamus: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Deus qui bonitate laudandus es, et incomprehensibilitate excelsus, Dominus omnis naturae nostrae creator et curator omnis creaturae intelligibilis, et sensibilis, ex te enim pendet cura, et conservatio vitae illorum. Omnes etiam virtutes

materiae expertes, naturae illae absconditae, et ignes superni, contemplatione tua divina perpetua delectantur, et a te proveniunt omnia auxilia illis qui ad imaginem tuam regiam ex illorum numero, juxta id quod tibi placitum est, creati sunt.

Elevans vocem. Pacem concede per misericordiam tuam regnis Domine, ut nos pauperes, in tranquillitate vivamus: benedic revolutioni annorum per circulum. Foecunda illos pluvia, rore, aëris temperie et serenitate, omnibusque fructibus benedictionum, quia tu altor bonus, suavis et misericors es, bonorumque omnium largitor, et tibi gloriam et laudem referemus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Patriarcharum, Patrum sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorumque sanctorum. Praecipue vero sanctae, et gloriosae semper Virginis Beatae Mariae; et B. Joannis, nuncii, Baptistae, praecursoris, et desponsatoris Ecclesiae tuae sanctae; et sancti gloriosique Stephani principis Diaconorum et protomartyris, omniumque qui placuerunt nomini tuo et te confessi sunt.

Elevans vocem. Domine Domine sanctissime, et qui solus bonus es, qui a legionibus ignis et spiritus motu magno terribiliter benediceris, et sanctificaris, nosque infirmos et terrenos dignatus es sacerdotali munere, non quod digni essemus, ad mysterium hoc magnum et coeleste accedendi: sed per miserationes tuas, eos qui a te cognominantur, nos inquam, dignos fecisti, illo quod desiderant Angeli prospicere: quamvis multiplici peccatorum genere impliciti, et a cognitione vera divinitatis tuae alieni facti fuerimus; ad dilectos et dignos qui intercedentes suscipiantur, accedimus; omnes scilicet sanctos, qui a sacculo tibi placuerunt, qui in laboribus, sudoribus, et aerumnis agones suos perfecerunt: ut per orationes eorum acceptabiles laqueos peccati a nobis solvas, et a decipulis, laqueis et scandalis futuris per te liberemur; ut cum illis et inter illos, et juxta illos in agminibus eorum, referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, illorum qui propius ad Deum accedunt, et res divinas enunciant: illorum qui thesaurus, lumen et fundamentum Ecclesiae sunt, Doctorum, vel curam habentium gregis tui rationalis, et illorum qui pie paverunt et rexerunt, oves emtas sanguine pretioso unigeniti Filii tui; qui a Jacobo prin-

cipe Episcoporum, Apostolo et Martyre ad hanc usque diem, verbo doctrinae Ecclesiam tuam sanctam illustraverunt. Praecipue vero SS. Patrum, Ignatii, Dionysii, Julii, et reliquorum Apostolorum sanctorum, Pastorumque verorum.

Elevans vocem. Mentem prudentissimam, et regimen superne concreditum habuerunt, patres nostri pii et beati, ab illo pastorum principe et institutore confessionis nostrae, donisque: spiritus instructi, converterunt prorsus mentem suam, et rectitudinem fidei orthodoxae suscipere digni facti sumus. Illi ergo legis vitae institutori, et praeclarae de caritate sententiae, suaviter per cordis puritatem nos offeramus; et ad mentem puram, cursu bonae cogitationis, in illa consistentia regali praeparemus nos: et ad thronum illum regalem, circumquaque illis adhaerendo respicientes, oculo interiori, laudes materiae expertes illuc mittamus: neque socorditer, aut mendaciter, in semitis beatorum illorum Patrum nostrorum curramus. Maxime vero ad supernum illud altare purum, attente oculis intellectualibus convertamur, et aspiciamus: casteque, nec impure, laudationem aeternam referamus Trinitati absconditae, neque mente comprehensibili, ejusdemque substantiae Patris, Filii et Spiritus sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum Orthodoxorum, Diaconorumque tuorum, Subdiaconorum, Devotorum, saecularium et omnium defunctorum, qui ex hoc altari, aut ex omni loco, vel parte defuncti sunt: patrum etiam fratrumque nostrorum, tam secundum Spiritum quam secundum corpus: quiescere illos jube in habitaculis tuis coelestibus, cum omnibus sanctis tuis, nosque illorum orationibus adjuvemur.

Elevans vocem. Et illorum qui cum puritate cordis, et sanctitate animae et corporis, ex saeculo isto egressi sunt et ad te Deus pervenerunt. Illorum qui ab Adam primo, et protoplasto figmenti nostri, in omnibus generationibus, placuerunt coram te, et te confessi sunt, speraveruntque, et expectaverunt manifestationem unigeniti tui, desideraveruntque videre diem illius magnum et praeclarum. Illorum etiam qui ex sinu spirituali baptismatis splendide te induerunt, et in nomen tuum crediderunt. Quietem illis praesta in habitaculis tuis coelestibus, in paradiso deliciarum, in tabernaculis lucis, in locis quietis. Neque Domine, intres cum illis in judicium, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens: unus enim est

qui visus sit super terram purus et absque macula, unigenitus Filius tuus: per quem nos etiam speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum propter illum, et nobis et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Exime Domine animas, corpora et spiritus nostros, ab omni genere infirmitatis perniciosae, et sarcinis gravibus peccati. Dirige gressus nostros in semitis mandatorum Evangelicorum et vivificantium, et da nobis ut simus tibi populus sanctus, congregatio salvata et regale Sacerdotium.

Elevans vocem. Ut qui jam plene sumus a te perfecti, per sacrificium hoc pium innoventur animae et corpora nostra: dignos effice nos gaudiis Angelicis, tripudiis spiritualibus, et choreis laetitiae: cum beatis viris illis simul vivamus et laetemur: ut cum illis et inter eos glorificemus et laudemus nomen tuum, gloriosissimum et benedictum, ut etiam Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit Oblatam et signat. Mox dicit Orationem ante Pater noster.

Domine noster et Deus misericors, qui es ultra tempora et mentes, et superior omnibus principatibus et ordinibus excelsis et coelestibus: qui per gratiam et misericordiam tuam vocasti nos, et addixisti nos servituti beatae, et deliciis paradisi Eden. Sed cum inexcusabiles mansissemus, et mandata tua dominica audacter conculcantes, et transgressi ideo morte damnati essemus, unigenitum Filium tuum, et splendorem substantiae tuae misisti ad salutem nostram. Is omnem dispensationem suam salutarem pro nobis perfecit; mandataque salutaria, et leges vivificantes nobis proposuit, ut in illis ambularemus, graderemurque; et perveniremus ad te, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Et nunc domine Deus, da nobis, ut advolent preces nostrae infirmae, per alas amabiles

gratiae tuae, usque ad gloriam solii regni tui, pureque, sancte, facie revelata, et cum fiducia in te stemus coram te, et glorificemus te: atque linguis exultatione et gaudio plenis, orationem illam magnam et dominicam, quam unigenitus Filius tuus Apostolos suos sanctos docuit, recitemus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Domine misericors rogamus te et deprecamur misericordiam tuam: praesta nobis omnibus per gratiam tuam, ut in nobis infimis et terrenis, sanctificetur nomen tuum gloriosum et sanctum: et veniat regnum tuum, ad auxilium infirmitatis nostrae; requiescatque voluntas tua et permaneat in animabus nostris, quemadmodum in exercitibus sanctis et coelestibus. Libera etiam nos Domine, ab omnibus tentationibus gravioribus, quae vires nostras superent: et eripe adoratores tuos ab omnibus molitionibus et insidiis perniciosis diaboli: quia tuum est regnum, et potestas et laudatio, simulque unigeniti Filii tui, et spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Domine Deus bone et amator hominum, propitius et multae misericordiae, respice illos omnes qui inclinaverunt capita sua coram majestate tua, et benedic iis benedictione tua spirituali, et inauferibili. Neque repellas nos Domine, cum accedimus ad sancta tua divina et immortalia: neque simus rei corporis et sanguinis unigeniti Filii tui per cogitationes odiosas cordium nostrorum; sed cum puritate, et absque macula dignos fac communicandi mysteriis tuis sanctis, coelestibus, vivificis et terribilibus: atque per illa consecra animas nostras et corpora nostra in habitaculum divinitatis tuae, et referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Quid nobis est, quod retribuamus tibi Domine, pro omnibus beneficiis tuis erga nos et propter omnia dona tua, et beneficia tua et benefacta tua erga nos: qui dignos fecisti nos communicandi corpori unigeniti Filii tui, et suscipiendi calicem salutis, sanguinem ejus pretiosum et salutarem. Nunc autem Domine bone et amator hominum, quemadmodum vocasti, et adduxisti nos ad has delicias beatas et vivificantes, dignare ut misceatur corpus unigeniti Filii tui, corporibus nostris, et commisceatur sanguis ejus animabus nostris, sitque nobis ad veniam delictorum, remissionem peccatorum, viaticum vitae aeternae, diaboli depulsionem, et sanctificationem corporum et animarum: quia tu benedictus es, o Deus, et sanctum regnum tuum, tibique gloriam referimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post, etc.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram te Domine, humiliamus mentes, cogitationes et animos nostros, omnemque compagem corporum nostrorum, commendantes tibi animas nostras: orantes te, et deprecantes misericordiam tuam; ut requiescat super nos dextera tua magna, invisibilis, omnibusque benedictionibus plena. Adjuva et custodi nos omnes, benedic et sanctifica nos omnes: salva et serva nos omnes: per crucem tuam salutarem et vivificam: referemusque tibi gloriam et gratiarum actionem, et Patri tuo, et Spiritui tuo vivo et sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM
SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI
NOTAE.

1. Duas nomine S. Joannis Chrysostomi Liturgias Syriacas habemus. Istam, cui primum hac in Collectione locum assignare visum est, quod in Codicibus Mss., uno praesertim satis vetusto et optimae notae Colbertino, eo cum titulo reperiatur. Illa vero quae in Missali Chaldaico Romae edita est, sub nomine Chrysostomi, in paucis admodum Codicibus reperitur, neque sancto illi Doctori tribuitur. Eos porro sive Maronitas, sive alios qui Romanae editioni operam dederunt, non bonos Codices habuisse, multorum quos tractavimus comparatio nos docuit, atque ita ea quam Joannis Chrysostomi nomine excuderunt Liturgia, alteri Joanni Harranitae potius tribuenda est, ut vocatur in quibusdam exemplaribus: is vero recentior aliquis Jacobita fuit. Neutra porro quidquam habet cum Graeca Chrysostomi Liturgia commune, nisi generalem illam quae in omnibus Orientalibus Officiis observatur Eucharistiae celebrandae formam. Singulare est in ista, quod a tribus Graecis vocibus incipit *Κύριε ὁ Θεὸς παντοκράτωρ*, quae si Graecae originis indicium dant, at illud est levissimum, et ad omnes quae Graece extant Liturgias aeque pertinet, cum plurimae Orationes idem initium habeant. Ipsa etiam lingua Syriaca maximam Graecarum vocum multitudinem recepit, non modo in rebus sacris, sed etiam in aliis: unde insignis apud Syros Lexicographus Isa-bar-Bahlul, quod illarum magnam copiam interpretatus fuit, maxime inter suos commendatus est. Titulorum autem, qualis est huic Liturgiae adscriptus, ratio ad antiquitatem stabiliendam nulla est, ut jam alibi fusius diximus: ad autoritatem comparandam non magis valent, nisi usus similium Officiorum constet. Istud vero cum agnoscatur a Jacobitis, et in illorum antiquis Codicibus reperiatur, aequalem habet cum reliquis dignitatem.

2. Singularis est haec Invocationis Spiritus sancti formula. *Spiritus tuus et virtus tua sanctificatrix, requiescat super hoc sanctum, et sanctificet oblationes istas: et illabatur, resideat et inhabitet super hunc panem et super hoc vinum, et fiant unum corpus et sanguis unigeniti Filii tui.* De verbis *requiescat, resideat, illabatur, inhabitet,* dictum est tam ad Basilii Copticam, quam ad Jacobi Syriacam Liturgiam, et si quando in aliis quidquam a communi stilo remotius, aut nova quaedam significatio se offert, explicabitur. Cum vulgaris in aliis lectio sit, et cum de Spiritu sancto verba sint, ita continuentur, et *faciat, efficiat, demonstret, perficiat, panem quidem hunc, corpus Christi, calicem, sanguinem Christi,* hic legitur aliter: nempe, *ut fiant unum corpus et sanguis.* Usurpatur quoque verbum, *Sit:* adeo ut rigidiuscule

verti possit *ut sint.* At verbum substantivum Syrum הוא et Hebraicum היה eamdem significationem habent. Itaque ut in istis verbis Geneseos. *Fiat lux et facta est lux*, putida dudum visa est eruditis eorum interpretatio qui maluerunt, *sit lux et fuit lux*: pari ratione consultius existimavimus *fiant*, quam *sint* interpretari.

Unum corpus et sanguis fiunt et sunt panis et calix: quia licet in duplici specie, Sacramentum unum est, sicut corpus Christi unum est, et non modo in unitate personae, quod Catholica docet Ecclesia, sed in unitate naturae, ut profitentur Jacobitae quorum propria est haec Liturgia: ita ut nempe, sicut alibi explicatum est, corpus sit, sanguinis qui est in calice: sanguis sit, corporis in disco positi, quod brevi confessione Jacobitae paulo ante susceptionem Eucharistiae, agnoscunt.

In sequenti Invocationis parte, cum in aliis formulis habeatur, *et panem quidem istum efficiat*, seu *perficiat corpus Christi, et sit nobis ad remissionem peccatorum, etc.* in ista *Corpus quidem hoc Dei nostri, fiat* vel *sit, in pignus vitae futurae, etc. et mistum quod est in hoc calice, sanguis Christi propitiatorius, sit* vel *fiat in remissionem peccatorum, etc.* Ex ista lectionis diversitate, si quis conjiciat, autores Liturgiae credidisse, antequam Invocatio pronuncietur, jam panem esse corpus, et vinum sanguinem Christi, non erit admodum repugnandum. Neque enim quibus haec conjectura displiceret, habent aliquid quo se tueantur, nisi quod Invocationis verba prout leguntur alibi, contrariam sententiam continere videantur: tum etiam judicio nostratis Critici, Orientales sola Invocatione consecrationem perfici contendent. Sed ut alibi fusius et accuratius expositum est, Orientales nullam verbis Dominicis virtutem consecrandi tribuere, et illa non necessaria existimare, probari non potest, cum ipsi contrarium affirment. Neque idcirco injuriam verbis aut corpori Christi fieri, credunt, quod orent super dona jam consecrata, ut Graecae et Orientales omnes Ecclesiae, Latinae quoque veteres iisdem prope verbis fecerunt. Verumtamen omnes reliquas Liturgias ex ista unica et rarioris usus reformandas esse, non est existimandum, neque enim discrimen inter istam et alias tale intercedit, quale statim rem non satis accurate perpendenti videri potest. Nam quod in posteriori Invocationis parte desideratur: occurrit in priore, neque enim illa verba, *ut inhabitet super panem et vinum, fiantque unum corpus et sanguis*, minus significant quam ista, *et panem hunc faciat corpus: calicem sanguinem Christi*, quae leguntur in aliis. Neque si rigidius agatur, orari potest ut *Spiritus sanctus illabatur et inhabitet super corpus Christi*, in quo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:* neque fieri, quod jam factum est, corpus Christi. Verum haec simpliciter religioseque tractanda sunt: neque committendum ut ex levibus ejusmodi argumentis, quae ex aliqua contrariae locutionis umbra deducuntur, traditionis omnium Ecclesiarum rivos, in Eucharistiae doctrina ubique limpidissimos, temere conturbemus.

LITURGIA
SANCTI JOANNIS
QUAE IN MISSALI CHALDAICO CHRYSOSTOMO TRIBUITUR.

Oratio Pacis.

Deus magne et aeterne qui es tranquillitas et pax, caritas et fons misericordiae, da pacem, Domine, Ecclesiae tuae, et custodi mundum per gratiam tuam, et referemus tibi gloriam et laudem, et Filio tuo unigenito, et Spiritui sancto.

Diaconus. Demus pacem, etc.

Sacerdos. Mitte, Domine, misericordiam tuam et extende dexteram tuam plenam benedictionibus, benedicque servos tuos, qui nunc inclinati sunt coram majestate tua, et referemus tibi laudem, etc.

Sacerdos. Confirma nos, Domine, ut offeramus tibi sacrificium hoc spirituale et incruentum, pro peccatis et insipientiis gregis tui, ut deleas et auferas iniquitates nostras, et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas, etc.

Inclinatus. Tibi rex mundi, Deus Pater, cum Filio, et Spiritu sancto, juste debetur omnis gratiarum actio.

Elevans vocem. Omnes Ordines et agmina, exercitusque coelestes, Angeli et Archangeli, Cherubim et Seraphim, Throni et Dominationes invisibiles et innumerabiles, indesinenter laudantes et celebrantes, oribus incorporeis, vocibusque inenarrabilibus, hymnum triumphalem canentes, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Vere Sanctus es, Deus Pater, et Spiritus sanctus tuus, qui perpetuo sanctificatur cum Filio tuo sancto Domino nostro Jesu Christo.

Elevata voce. Qui pro nobis caritate sua incarnatus est, et propter salutem nostram exinanitus est voluntarie, et in carne passus est. In nocte vero passionis accepit panem in manus suas sanctas,

† benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, comedite: [2] Hoc est corpus meum, quod datur ad remissionem peccatorum, et vitam novam, quae est in aeternum.

Sacerdos. Similiter autem et calicem accepit † et benedixit, † deditque discipulis suis, et † dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam quae est in aeternum. Priusque praecepit eis, dicens: Quotiescumque mysterium hoc laetitiae celebrabitis, mortis et resurrectionis meae memoriam agetis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos. Nos Domine servi, peccatores et insipientes, memoriam agimus omnis periodi dispensationis tuae salutaris, adventusque tui secundi, terribilis et gloriosi, quem trementes expavescimus. Orationem et deprecationem tibi offerimus, et te mediante, Patrem etiam tuum interpellamus, dicentes:

Diaconus. Miserere.

Populus. Nos quoque.

Sacerdos inclinatus. Spiritum sanctum mitte Domine ex habitaculo tuo sancto, illabaturque et requiescat super panem hunc et mistum propositum, illaque sanctificet, neque etiam mundum et purum efficiat. *Exaudi me.* Et panem istum, exhibeat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice perficiat sanguinem ejusdem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut quicumque illis communicabit, haeres sit in regno coelorum, et in vita nova cum sanctis tuis laeletur.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Pastorum et Rectorum Ecclesiae, omnisque status sacerdotalis, memento Domine.

Elevans vocem. Illustra nos Domine luce doctrinarum tuarum divinarum: bona tempora, vitam strenuam, et pace affluentem concede nobis, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Populi tui fidelis et orthodoxi, hujus et cujuscumque loci, memento Domine.

Elevans vocem. Exulum, quique persecutionem patiuntur, oppressorum et afflictorum, pauperum et egenorum, advenarum, miserorum, captivorum, orborum, orphanorum et viduarum curam gere, et rege eos per misericordiam tuam Domine, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Regum fidelium et potentum qui faciunt voluntatem tuam, memento Domine.

Elevans vocem. Da et concede nobis per gratiam tuam Domine, ut vitam quietam et laetam ducamus coram te, et benigne aspiciamur ab illis qui nos regunt: et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Virginis Deiparae, Joannis Baptistae, et omnium piorum tuorum, memento Domine.

Elevans vocem. Et per supplicationem et intercessionem eorum, qui conversatione plena rectitudinis tuae, conciliaverunt te, dignos effice nos parte et sorte cum eis, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Patrum sanctorum et Doctorum electorum, et secreti veritatis interpretum, memento Domine.

Elevans vocem. Et super petram fidei orthodoxae trium Synodorum sanctarum, confirma nos omnes per gratiam tuam Domine, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Patrum etiam, fratrum, magistrorumque nostrorum, et omnium fidelium defunctorum, memento Domine.

Elevans vocem. Et eos qui a potestatibus tenebrarum possidentur, illumina, et ab angustiis et infirmitatibus eos libera, atque a captivitate spirituum malignorum salva illos, et oriri fac super eos lumen unigeniti Filii tui: per quem nos quoque misericordiam et propter eum, consequi speramus, et nobis et illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Audi nos, Domine, propter multitudinem miserationum tuarum, et libera nos et illos a judicio futuro, et a cruciatibus qui impiis reservantur: ut in hoc sicut in omnibus laudetur et celebretur nomen gloriosissimum et benedictum, nec non Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Miserationes Dei sint, etc.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus potens et magne, qui per amorem tuum erga homines, vocasti, et adduxisti nos ad donum hoc divinum, per quod, Pater, glorificamus te, et Spiritum sanctum adoramus, et orationem dominicam, quam docuit nos Filius tuus unigenitus canimus; puris mentibus, lingua abstersa, cum puritate corporis, et animae, quae fiducia instructa sit, audebimus invocare te Deum coelestem, orabimus, et dicemus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Pater bone et misericors, qui praestitisti nobis ut filii tui vocaremur: eripe nos a tentationibus gravissimis, et libera nos a maligno, omnique potestate ejus, et a machinationibus hominum improborum et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Sacerdos. Rex magne et omnipotens sub cujus imperii sceptro omnes creaturae inclinantur, mitte benedictiones tuas super Ecclesiam tuam sanctam, quae nunc inclinatur coram te, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia.

Diaconus. Cum timore.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Deus et confitemur nomini tuo, quod nos licet indignos, fecisti dignos hoc dono divino corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, et referemus, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum, etc.
Diaconus. Iterum atque iterum.
Sacerdos. Jesu Christe Deus noster, qui per voluntatem tuam, et Patris tui, et Spiritus tui sancti pro nobis immolatus es, et cibasti nos corpore tuo vivo, et sanguine tuo propitiatorio potasti nos, confirma nos in caritate tua: imple nos timore tuo: funda in nobis fidem tuam: orna nos vitae ratione inculpabili, et dimitte delicta nostra defunctorumque, ut perpetuo et omni tempore glorificemus te, et Patrem tuum, et Spiritum tuum sanctum, nunc.
Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine, etc.
Sacerdos. Benedic omnibus.
Diaconus. Benedicam Dominum.

IN LITURGIAM
JOANNIS CHRYSOSTOMI II.
NOTAE.

1. Titulus hujus Liturgiae, ut alii plerique, ad conciliandam ei ex Joannis Chrysostomi nomine dignitatem momenti nullius est, cum ut superior, ne levem quidem notam habeat similitudinis cum Graeca, nisi generalis illius omnium Officiorum Orientalium inter se, circa praecipuarum Orationum sententiam conformitatis. Sed titulos hujusmodi frequenter adjunctos videmus in Codicibus Mss. ut in Romana editione, quae hanc Liturgiam Chrysostomo tribuit, cum in Mss. nonnullis alteri Joanni tribuatur qui et Harranita vocatur. An patriam ejus designet is titulus, an Episcopalem dignitatem ejus urbis, nescimus. Fuit sane Harran, quam Graeci Charras vocant, urbs in historia celebris, praesertim clade Crassi: et in ea Jacobitae Episcopum habuerunt a multis saeculis. Frequenter porro Jacobitae, aut per ignorantiam, aut fraudis faciendae proposito, nomina Divorum aut Patriarcharum suorum, quorum apud alios Christianos memoria non bona erat, aliis commutaverunt, quod saepe

factum, ab illis praesertim qui in Europam venientes, Codices suos Liturgicos deferebant. Ita Jacobi Baradaei nomen in Codice Seguieriano mutatum est, et Nisibeni substitutum: Dionysio Atheniensi tributa in Editione Missalis Liturgiae, quae Dionysii Barsalibi Amideni Episcopi fuit: atque ita de aliis aliquot. Quisquis porro autor fuerit istius, Jacobitis propriam fuisse, unico sed indubitato argumento constat, commemoratione scilicet trium Synodorum: quae formula illis frequentissima, certam abjurationem continet Calchedonensis quartae, et doctrinae ab eadem adversus Monophysitas stabilitae.

2. Verba Christi recte se habent, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur διδόμενον* ut Graece legitur: nec vulgo adjunctum in reliquis Liturgiis *κλώμενον*, in ista reperitur, quod verborum efficaciae non nocet. In Invocatione usurpatur vox נחוא quam Graecae *ἀναδείξῃ* respondere probatum est, in Notis ad eumdem locum Liturgiae S. Jacobi. Et illa quidem dicitur de pane Eucharistico: de calice נגמור *τελειώσῃ perficiat*, sive *consecret*. Quae ad sententiam Orationis spectant alibi satis explicata sunt: ut etiam quae ad ritus caeteris similes.

LITURGIA

SANCTI MARUTAE CATHOLICI

SIVE METROPOLITAE TAGRITENSIS.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus bone natura, largitorque tranquillitatis et pacis, da et concede Ecclesiae tuae pacem et tranquillitatem inamissibilem. Pacifica iratos inter oves tuas, et concilia divisos pascuae tuae: ut tranquillitatem quae a te est, o tranquillitatis amator, tanquam anchoram fidei in animabus nostris teneamus. Apprecemur pacem mutuam cum osculo fidei: simusque unum aedificium perfectum, et una compages spiritualis: per Dominum nostrum Jesum Christum, unigenitum Filium tuum, cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Et populum tuum orthodoxum, qui coram te cum timore inclinatus est, dignare Domine benedicere benedictione tua inamissibili. et praepara eum, ut inculpatus accedat ad mensam hanc divinam: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, cum quo te decet, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Domine Deus omnipotens, cui soli proprie competit principatus et sanctitas, susceptor sacrificiorum et oblationum, conforta nos imbelles et inutiles, qui tamen audemus accedere ad altare tuum sanctum, cum spe misericordiae tuae infinitae. Praesta nobis, o benignissime, ut cum omni puritate, sanctitate et timore offeramus tibi sacrificium hoc incruentum; referemusque tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem, etc.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Quam decet ut gratias agamus tibi! quam justum est ut glorificemus! quam debitum ut semper laudibus celebremus divinitatem tuam, Pater, Fili, et Spiritus sancte.

Elevans vocem. Quem glorificant, laudant, adorant et exaltant omnes creaturae quae fuerunt, et quae sunt: utraque Ecclesia superiorum et inferiorum, agmina Prophetarum, turma Apostolorum: theatrum Martyrum: congregationes solitariorum: cantica suavia Angelorum: laudes aeternae Potestatum: benedictiones Cherubim: sanctificationes Seraphim. Illi quoque nos imbelles et pauperes, offerimus Doxologiam trinae sanctificationis, divinitatemque ejus incomprehensibilem, infinitam, et ininvestigabilem deprecamur et obsecramus supplicabundi, ut suscipiatur et adjungatur cum laudibus omnium potestatum coelestium millies millium et decies millies decem millium igneorum, qui voce suavi nec conticescente inclamant ter, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater: Sanctus Deus Filius, Sanctus Deus Spiritus sanctus: absque ulla divisione subsistens: una dominatio essentialis: unus Deus invisibilis. Qui nihilominus genus humanum nostrum tantopere dilexit, ut cum a pristina gloria sua cecidisset, per benignitatem suam, Filium unigenitum misit ad salutem nostram. Ipse vero carnem induens, carnem divinam fecit, per unionem ineffabilem; viamque nobis paravit ascensionis in coelum: omniaque humana perfecit, legemque adimplevit.

Elevans vocem. Et nocte illa suprema, qua mox futurum erat ut salvaret creaturam: legemque obsignaret et compleret: simulque Novo Testamento daret initium, doctrinamque vitae plenam, salvatos a se doceret: panem [2] fermentatum accepit in manus suas puras, et Patri gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † fregit divisitque discipulis et dixit. [3] Accipite, manducate, credite, et certi estote, atque ita praedicate et docete: quod corpus meum hoc est, quod pro salute mundi frangitur, et illis qui comedunt illud et credunt in me, dat expiationem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter prosequendo, accepit etiam vinum, et illud justa proportione, cum miscuisset aqua, † benedixit, † sanctificavit, † deditque illum iisdem discipulis, dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes: et credite, certi estote, atque ita praedicate et docete: quod hic est sanguis meus, qui pro salute mundi effunditur: iisque qui bibunt illum et credunt in me, dat expiationem peccatorum, et vitam aeternam. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Illos etiam corporis et sanguinis sui sancti, participes faciens, doctrina divina erudiit dicens; quemadmodum me vidistis fecisse, ita facite et docete ad commemorationem non oblivi-scendam dispensationis meae, et ad salutem vitae vestrae: resurrectionem quoque meam credite, et in me sperate, simulque adventum meum usque ad finem expectate.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Nos autem Domine Deus, populus tuus et haereditas tua, quos salvasti per adventum tuum, juxta doctrinam Apostolorum tuorum sanctorum, praeceptumque dominicum, omnem periodum dispensationis tuae in mundo, commemoramus, in faciem adorantes et confitentes tibi: qui natus es ex Virgine sancta: qui pannis involutus es, et positus in praesepio animalium: qui baptisatus es in

flumine, et sicut reliqui criminum rei inclinasti caput tuum Baptistae: qui jejunasti tanquam homo, confudistique et humiliasti tentatorem: qui colaphis caesus es in praetorio, et tanquam malefactor stetisti coram judice: qui extensus super crucem, et inter latrones ligno affixus fuisti: qui depòsitus fuisti et linteis tanquam indigens involutus: qui cum gloria resurrexisti, et tanquam potens rupisti mortis vincula: qui ascendisti in coelum, et effudisti super nos donum tuum ineffabile: qui cum honore, splendore et gloria Patris venturus es ad judicandas creaturas, omnesque homines ad vitam revocabis et excitabis in nictu oculi. Te Domine multae misericordiae obsecramus et deprecamur, atque a te spem vitae nostrae et salutem animarum nostrarum postulamus, ut non agas nobiscum secundum iniquitates nostras, neque retribuas nobis secundum merita nostra. Vere enim Domine, inique, impie et insipienter egimus, teque ad iracundiam provocavimus; sed nec unicum mandatorum tuorum observavimus. Tu vero Domine bone, excusatos habe nos, et propitius esto iniquitatibus nostris, propter hoc sacrificium propositum coram te. Tu enim ita pollicitus es Domine: quicumque manducat corpus meum, et bibit sanguinem meum, et credit in me, ille in me manet, et ego in eo, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Oves enim tuae et grex tuus. promissis tuis confidentes, deprecantur bonitatem tuam, et per te, ac tecum Patrem tuum dicendo.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere mei Deus, amator hominum, et mitte super me, et super oblationem istam, Spiritum sanctum, Spiritum qui a te procedit, et a Filio [3] tuo accipit, perficitque essentialiter omnia mysteria Ecclesiae, requiescatque super oblationes istas, et eas sanctificet.

Populus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me domine.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos elevans vocem. Et [4] panem hunc simplicem, transmutet, atque efficiat corpus ipsum quod pro nobis immolatum est in cruce: corpus ipsum quod resurrexit cum gloria, nec vidit corru-

ptionem: corpus vitam praeparans: corpus ipsius Verbi Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et vinum mistum, quod est in hoc calice, transmutet, et perficiat sanguinem ipsum qui effusus est pro nobis in vertice Golgothae: sanguinem ipsum qui stillavit super terram, et mundavit illam a peccato: sanguinem vitae praeparatorium: sanguinem ipsius Domini, Verbi Dei et Salvatoris Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut omnes qui illis communicabunt veniam accipiant delictorum suorum: remittantur illis quae insipienter egerunt: infirmi inter eos, sanitatem recipiant: peccatores per illa justificentur, justi per eadem triumphent, tibique Domine et Deus noster gloriam indesinenter referant, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo vivo et sancto, tibique consubstantiali, nunc etc.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Oramus te, qui dives es in muneribus, et supplicationem offerimus tibi, pro Ecclesia tua Catholica, in quacumque regione, ut conservetur absque ulla agitatione: et pro pastoribus et praesulibus ejus, ut vitam sacerdotalem vivant: reprimeque ab illis invidiam maligni. Praecipue vero pro Patriarcha nostro Domino N. et Episcopo nostro Domino N. cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis, et concede illis, ut moribus sanctorum Apostolorum, inculpate vivant.

Elevans vocem. Pastor bone et vere, gregisque Domine, Pontifex magne, legumque divinarum lator, conserva Ecclesiam tuam Catholicam, quae super nomen tuum aedificata est: aufer ab ea schismata et divisiones, imple tranquillitate tua coetus ejus, da pacem tuam in ordinibus ejus: triumphare fac per doctrinam Apostolicam praesules ejus, et longaeva senectute, moribusque inculpatis, atque mansuetudine, antistites ejus exorna. Sacerdotes qui in illa ministrant fac honestate vitae conspicuos: Diaconis qui altaris ejus ministerio addicti sunt concede in bono firmitatem, spiritualemque tranquillitatem universae congregationi fidelium qui sub ejus patrocinio sunt: quia tu bonus es, tibique gloriam, et laudem offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium qui communicant necessitati peregrinorum, et afflictorum curamque habent Ecclesiarum et Monasteriorum, et praesta illis bona diligentium te.

Elevans vocem. Deus qui providentiam habes omnis carnis, et auxiliator es creaturarum, libera et salva populum tuum fidelem a manibus violentis gentium immisericordium: praeserva quoque illos a quocumque damno: a paupertate aspera, et necessitate doloribus plena: a poena et ultione quae vires superet: a paralysi, mutilatione, febre, nuditate, morte violenta et fortuita: a laqueis et scandalis, a contumelia, derisione et opprobrio: quoniam tu es Deus potestatem habens vitae et mortis nostrae, tibique gloriam referimus et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus quoque Domine, Reges [5] Christianos, ut per virtutem tuam insuperabilem roborati, terribiles appareant adversus inimicos crucis.

Elevans vocem. Deus potens, rex in aeternum, aufer ab Ecclesia tua bella, et damna: immitteque cordibus Regum consilia pacifica et mitia super gregem tuum: deduc nos per miserircodiam ad portum tranquillum, et facie lacta pervenire nos fac ad diem salutis, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus etiam Domine omnes Sanctos tuos, Prophetas, Apostolos, Martyres, Solitarios, Religiosos: praecipue vero sanctam Genitricem Dei Mariam, Joannem Baptistam, et sanctum Stephanum protomartyrem.

Elevans vocem. Congregationem domesticorum tuorum, tempore istius sacrificii divini commemoramus, omnesque qui servaverunt veritatem tuam, et perfecerunt voluntatem tuam: ut cum egrediemur in occursum unigeniti Filii in adventu ejus secundo, ascendemusque ad thalamum spiritualem, et ad convivium immortale, nostri quoque, qui eorum gratiam et auxilium imploramus, in orationibus suis memores sint, coram sponso coelesti coetibusque eorum adjungamur, et sub alis eorum protegamur, referamusque tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [6] omnium Orthodoxorum Patrum nostrorum, qui fidem rectam nos docuerunt, praecipue

Severi Patriarchae, Philoxeni, Petri, et Jacobi: illorum qui per coronam confessionis ex mundo exierunt: ut etiam omnium illorum, qui ad hanc usque diem vestigia illorum secuti sunt.

Elevans vocem. Omnium illorum dignare meminisse Domine, qui super adamantem Petri, fundaverunt domos fidei, et pericula persecutionum sustinuerunt pro veritate: atque per orationes eorum pias et sanctas, haereses quae impugnant Ecclesiam tuam depelle: schismata condemna et rejice: omnes quoque transgressores legis dissipa et confunde: perde etiam omnes qui in corde et corde loquuntur. Omnes autem robora et adjuva, custodi et serva a laqueis haereticis: sis etiam nobis director et defensor, et conserva nos in fide orthodoxa ad ultimum usque spiritum, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui depositi sunt, et omnium patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui defuncti sunt in fide vera, ex hoc altari sancto: maxime vero omnium defunctorum fidelium, qui cum fide orthodoxa ex hoc mundo exiverunt.

Elevans vocem. Illorum igitur omnium Domine, qui per sententiam adversus primum patrem nostrum Adamum prolatam, ex hac vita infelice migraverunt, et quo tu solus novisti pervenerunt, memento per gratiam tuam, et requiem illis praesta, inter delicias illas quas pollicitus es diligentibus te non revocans in memoriam delicta illorum et nostra. Neque enim peccatum nostrum quidquam est: aut justitia nostra, coram te Domine: aut quisquam purus est, et absque macula inter omnes filios mulierum, nisi solus Dominus, Deus et salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis, quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Nobis etiam qui huc usque carni alligati sumus, et in aerumnis plena vita conflictamur, praesta ut observemus praecepta Christi tui: deducque nos ad finem, qualis decet operantes bona. Et quando secundum voluntatem divinam tuam dissolvetur compages nostra, et ad vitam secundam transmutabitur: praesta nobis Angelum pacis, et libera nos a Tartaro tenebroso. Praepara etiam nos, ut inculpati, cum lampadibus lucentibus, procedamus in occursum unigeniti Filii tui: ut in hoc, sicut in omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum

gloriosum omnino et benedictum, ut etiam Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Domini sint.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater vere Filii veri, ipse cujus laudes coeli enarrant, et cujus gloriam omnes creaturae praedicant, terra et maria miracula ejus demonstrant: Angeli et homines praeconia ejus canunt: te cum majestas tua sit inaccessibilis: essentia tua ininvestigabilis, abscondita natura tua impenetrabilis: infinitaque manifestatio tua: te exaltant omnes ordines et militiae coelestes, illi quos creasti ad ministerium majestatis tuae, et ornasti radiis praeclaris divinitatis tuae: quippe per te vivunt, moventur et illuminantur: atque obsequio accurato et sedulo, nutum mandatorum tuorum quae transgredi nefas est, observant. Nos quoque infirmi et peccatores servi tui, orationes et supplicationes effundimus coram te: secundum magisterium et institutionem Filii tui unigeniti: qui cum in carne esset super terram, orationem dominicam, in qua tota salus vitae nostrae posita est, docuit nos. Praesta nobis Domine Deus, ut illam fidenter recitemus coram te: clamemusque ad te, Pater misericors, et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Exaudi Domine deprecationem populi tui fidelis, et libera eos a malo, et a ministris ejus daemonibus corporeis, et ab omni tentatione quae vires superet. Perfice illos, per voluntatem tuam: nutri illos per gratiam tuam; et satia illos pinguedine domus tuae: quia tuum est regnum, potestas et gloria, et tibi gloriam et laudem referemus, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Sacerdos. Et universae haereditati tuae, quae cum debito servitutis obsequio prostrata est coram majestate tua paterna, concede gratiam tuam inamissibilem, et reple nos donis Spiritus tui divini. Praepara etiam nos, ut inculpati suscipiamus mysteria tua divina: ejice a nobis omne genus nequitiae, et reple nos caritate et mansuetudine, et referemus, etc.

Populus. Unusquisque.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Confitemur, adoramus, glorificamus et gratias agimus tibi, qui plenus es misericordia et gratia, eo quod nunc praestitisti nobis ut comederemus corpus sanctum unigeniti Filii tui, et biberemus ejus sanguinem purum et sanctum. Praesta nobis Domine ut permaneat in nobis depositum istud, fiatque nobis ad expiationem delictorum, ad remissionem peccatorum, et ad vitam novam, non ad condemnationem, sed ad vitam aeternam. Atque propter omnia beneficia tua erga nos, gloriam perpetuam referemus tibi, Pater aeterne, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Christe Rex gloriae, tibi commendamus omnem gubernationem vitae nostrae; custodi nos omnes, ita ut damno non afficiamur, neque expoliemur ab hostibus spiritualibus aut sensibilibus: et unicuique nostrum auxilium concede. Universam congregationem adorantium te robora et adjuva. Senes sustenta per virtutem tuam magnam: juvenes temperantes effice per custodiam diligentem tuam. Pueros erudi, et educa in doctrina divina: et nos omnes obsigna cruce tua victrice et insuperabili: ut pro illis omnibus referamus tibi gloriam et laudem, et Patri tuo, et Spiritui sancto tuo.

IN LITURGIAM S. MARUTAE

NOTAE.

1. Sancti Marutae nomine Liturgiam habent Jacobitae, quae inter alias ut Maronitis proprias numeratur ab Abrahamo Echellensi, et eam idcirco edendam illi curaverunt in Missali Romae edito. At neque Maronitarum Ecclesiae conveniebat haec Liturgia, quae Orthodoxis ignota fuit, nisi quod in Codicibus recentissimis inter Sanctorum memorias nomen Maronis adjunctum est, quod in vetustis non reperitur. Sed illa nominis insitione nihil profecerunt: imo eodem argumento Jacobitarum libros ad se imperitissime transtulisse probaverunt: nam praeclarum illud Ecclesiae lumen cum Severo, Philoxeno, Anthimo, Jacobo, Petroque Gnaphaeo conjungitur. Et quod mirari satis nemo possit, in Romana editione Severi quidem nomen sublatum est, sed reliquorum conservata sunt, haereticorum scilicet multoties a Synodis generalibus damnatorum. Itaque Marutae nomine Jacobitae hoc officium inscripserunt, ut alia complura, nominibus Apostolorum, Ignatii, Julii, Eustathii et reliquorum, quamvis inter Ecclesiae doctores, quos Confessio ab Ordinandis exigi solita enumerat, Maruta non recenseatur: ut neque ulla ejus testimonia occurrunt in Tractatu de Fide Patrum, variisque Collectaneis.

Fuit sane celebris sanctitate, miraculis et propagatione fidei Christianae apud Persas Maruta, circa annum Christi CCCCXII. Accurate quae ad ejus historiam pertinent explicavit Tillemontius ex Socrate et Sozomeno, qui Marutam ad Isdegerdem Saporis filium, legatum a Theodosio juniore missum fuisse scribunt: miracula illum plura edidisse: Regem ipsum a gravissimo dolore capitis sanasse: filium ejus a daemone infestatum liberasse: Magorum praeterea praestigias detexisse, atque adeo libertatem Christianis integram obtinuisse: Ecclesias aedificasse, tum reliquias Martyrum qui sub Sapore et aliis passi fuerant transtulisse, et in urbe quae idcirco Martyropolis dicta est deposuisse. Haec Graeci passim ut etiam Latini, qui memoriam ejus celebrant pridie nonas Decembris, ut Graeci in Menaeis 14. Februarii. Haec omnia quae de legatione et miraculis Marutae a Graecis scripta sunt, referuntur a Mari et Amro Nestorianis, in vita Kayumae, qui inter Catholicos XIV. numeratur, et Isaaci ejus successoris. Eadem habet autor non suspectus Zacharias F. Muhamed Kazūinensis in opere quod appellavit *Miracula regionum*. Loquens enim de urbe Miafarekin, ait illam a Maruta conditam, cum facultatem a Rege Persarum Isdegerde filio Saporis Dulactaf obtinuisset, postquam filiam ejus a morbo incurabili sanam praestitisset. Illic ossa multorum Martyrum quae in Perside collegerat deposuisse: atque idcirco vocasse illam, *urbem Martyrum* hoc est Martyropolin. Illud solum observandum, quod autor ut Muhamedanus, rerum Christianarum haud satis peritus, Maru-

Tillem. T. 11. p. 286. et 610.

Abulfar. p. 91.

Socrat. l. 7. c. 8. p. 281.

tam sub Constantino magno vixisse scribit: at in Codice meo, emendatus est alterius doctioris manu hic locus, et *Theodosius junior* pro Constantino repositus.

Cod. 52. *Hist. Dynast. p. 91.*

Vocatur autem a Socrate et Sozomeno Episcopus Mesopotamiae, nullo adjuncto urbis nomine: a Photio Episcopus Sopharenorum, ab Arabibus vulgo Episcopus *Miafarekin*: in Codicibus Mss. quibusdam, Metropolita *Takritensis*, in aliis *Catholicus Orientis*. Syri in Canonum vetustissima Collectione Metropolitam *Mifractae* vocant, quae vox eadem est ac Arabica *Miafarekin*. Torquent se viri doctissimi de illo Episcopatu, cum plerique Takritam et Miafarekinam aeque ignorare se fateantur. Nec minor quaestio est de Sophena et Sopharena regione cujus limites postquam magno labore ex antiquis Geographis constituti sunt, ubi comparantur cum sequioris aevi scriptoribus Graecis, Syris, et Arabibus, conjecturae prope omnes etiam verisimiliores evanescunt. Talis enim per continua Persarum et Romanorum bella, deinde per Arabum dominationem mutatio rerum facta est, tot urbes celebres funditus excisae, ut nihil certi de earum situ et origine affirmari queat. Neque minus obnoxia fuit mutationi Ecclesiasticarum provinciarum antiqua forma, praesertim ex quo Nestoriani et Jacobitae novos Episcopatus, novasque Metropoles instituerunt. Sed ad Marutam redeundum, cujus diversi tituli facile inter se conciliari possunt.

Episcopum Miafarekinae illum fuisse omnes consentiunt: at illa ex omnium testimonio, ea est quam Martyropolin Graeci vocant, quod nomen ante Marutae tempora non habuit, cum ex translatis ad eam martyrum reliquiis ita fuerit appellata. Unde apud Nestorianos in quorum Notitia Ecclesiastica sextum inter Metropoles locum obtinet, vocatur *Beït-Garme*, hoc est *Ossuarium* sive *Coemeterium*. Inde Arabice scribentes Nestoriani fecerunt suum *Bajermi*, ut ex *Beïtzabda*, *Bazabda*; ex *Beït-Touma*, *Batouma*. Quamvis enim in quibusdam recentibus vocabulariis *Beïtgarme* et *Miafarekin* distinguantur, factum id verisimiliter est ex autorum et interpretum ignorantia.

Abulf. n. 241.

Miafarekin autem secundum Abulfedae, Ebn-Sahid, et aliorum testimonia, caput et metropolis erat provinciae quam Diarbekiram Arabes vocant; regionis scilicet quae a Tigris Occidentali latere protensa per montes Nisibis, terminos planitiei non excedebat.

Gol. in Alfrag. p. 233.

Abulf. n. 266.

Takrit, sive ut Syri scribunt *Tagrit*, urbs non incelebris, ultima Mesopotamiae proprie dictae, sive *Diar-elgeziret*, versus Iracam, qua ex urbe, magno Hierosolymitani Francorum Regni malo, prodiit Yubidarum seu Salaheddini familia. Ea porro urbs aut ante Muhamedanos non fuit, aut aliud a veteri nomen accepit. Verum in ea sedem suam constituit Catholicus Jacobitarum Syrorum, seu *Mofrian*, qui Patriarchali inferiorem, sed Metropolitica majorem habebat dignitatem et autoritatem. Historici Nestoriani quorum meminimus, Marutam interfuisse scribunt Concilio Constantinopolitano primo: et fortasse pro *Mareas Amidenus*, quod nomen legitur in Latinis subscriptionibus *Marutas* reponendum. *Amida* autem erat etiam in Mesopotamia proprie dicta. Cum porro vocetur Marutas Episcopus Mesopotamiae, sede

Episcopatus non assignata, magnamque in ea provincia autoritatem habuerit, Ecclesiasque Persidis ordinaverit, quod agnoscunt tam Jacobitae quam Nestoriani; facile fuit ut Syri posterioris aetatis, antiquarum originum haud satis periti, ea occasione *Catholicum* illum *Orientis* appellaverint, quia quo jure postmodum usi sunt inter Jacobitas, qui Catholici titulum habuerunt, illud a Maruta in Mesopotamia et Perside exercitum viderunt. Cumque Catholicorum apud Jacobitas sedes Takritae demum statuta fuerit: Takritensem Metropolitam eum vocaverunt. Melius omnino qui illum Episcopum Miafarekinae vocant. Nam in illa urbe deposuisse illum reliquias Martyrum, unde urbs nomen consecuta est, omnes testantur. Antiquissima illic esse Christiani cultus vestigia Muhamedani ipsi nos docent, atque inter eos Yacutus Hamathaeus qui duarum a Miafarekina parasangarum itinere, dicit esse Monasterium sive Ecclesiam, nomine *Dir-Touma*, id est, *Monasterium D. Thomae*, ad quod maximus fieret hominum concursus et vota frequentia. Laudatur eximie Maruta, quod superstitionem Magicam ignicolarum audacter reprehenderit, et ab ea multos avocaverit: temere prorsus, si Thomae Hyde, qui de Religione veterum Persarum scripsit credendum quisquam existimet. Is enim *Orthodoxiam, Hierarchiam, Sacerdotium Judaico vetustius et antiquius, veri Dei cognitionem conservatam, cultum ignis sive πυροδουλίαν* ficto vocabulo, non ignis adorationem, agnosci inter Magos jubet. Martyres innumeros tanquam homines rerum patriarum ignaros ridet, nempe *quia perperam existimabant Persas adorare solem*, atque adeo illi, *videntur suo humori et propriae pertinaciae plusquam verae conscientiae litasse:* elegantiam istorum verborum deterere piaculum foret. Absit ut de tot sanctis Martyribus, deque eo qui reliquias illorum religiose collegit, eamdemque fidem propugnavit, tam absurde, ne dicam impie, judicetur, praesertim ex autore sordidissimo Poëmatis *Centum Portarum*, quem et Muhamedanum fuisse constat, et ante ducentos admodum annos scripsisse.

Hyde de Relig. vet. Pers.

Commendatur praeterea Marutas, a Jacobitis in amplissima et vetustissima Canonum Collectione Syriaca, quod disciplinae Ecclesiasticae tam in Mesopotamia quam in Perside restituendae, insignem operam navaverit. Extat de hoc argumento Syntagma Canonum Syriace hoc titulo. *Canones et regulae constitutae a Synodo Episcoporum Persarum habita in civitatibus Seleuciae et Ctesiphontis, civitatum regni Persidis, in Legatione D. Marutae Episcopi Miafarekin, ad Isdegerdem Regem filium Saporis anno II. regni ejus.* Continentur in eo Syntagmate Canones viginti sex, omnes praeter unum de disciplina Ecclesiastica, missi ut aiunt ab Episcopis Occidentis, quo nomine Graeci intelligendi sunt, qui ex Synodo in Graecia habita, ut in Praefatione notatur, ad Orientales scripserunt. Canones et Epistolam promulgavit Maruta, in Concilio quadraginta Episcoporum Seleuciae et Ctesiphonte habito, cui praesedit simul cum eo Isaac Catholicus, quem ipsius fratrem fuisse docet eadem Praefatio, de quo silent Nestoriani. Canones accepti sunt et Synodali autoritate confirmati. Secundus continet Expositionem fidei, in qua, cum nullum Nestorianae aut Jacobiticae doctrinae vestigium animadvertatur,

Ms. Syr. Florent.

rectae fidei quam Maruta profitebatur illam convenire manifestum est, et ejus saeculo: neque de illius antiquitate et autoritate dubitandum. Haec de Maruta fusius, quod obvia non sunt, et ad illustrandam partem historiae quae illum spectat, summe necessaria. Possent enim qui Syriace sciunt, legendo Liturgiam ut Romae edita est, alium quemdam Marutam quaerere, qui cum Philoxeno, Jacobo, Anthimo et aliis idem senserit, nam inter eos collocatur, etiam cum Marone, in quibusdam exemplaribus. Ita qui editionem curaverunt sanctum illum suum Jacobitis conjunxerunt, a quibus tamen non recipitur, sed ut Monothelitarum princeps rejicitur.

2. *Panem fermentatum accepit in manus suas.*

Idem legitur in quibusdam Liturgiis Syriacis, ut Ignatii Patriarchae Antiocheni filii Wahib: quaedam habent *panem perfectum*, quod idem est, quae verba novitatis aut interpolationis notam praeferunt. Nam Marutae aetate de Azymo et Fermentato controversia nulla erat.

3. *Accipite, manducate, credite, certi estote, praedicate et docete.*

Illorum verborum adjunctione corrumpi sacra verba Christus pronunciavit, et quae ad consecrationem perficiendam maxime pertinent, nemo facile existimabit: quamvis ex Romana editione sublata sint. Verumtamen eximiam, et qua magis perspicua esse nulla potest, continent adjuncta illa verba fidei de Eucharistia confessionem; scilicet ut Christo ipso doctore et interprete, credatur firmiter et praedicetur, panem et calicem, esse ipsum corpus et sanguinem ejus: corpus autem quod *frangitur*, vel, ut habet alia lectio, *sacrificatur et immolatur:* quod ut in ligno crucis factum est, in altari pariter fit: simulque agnoscatur doctrinam istam et sacrificii disciplinam ab ipso Christo per Apostolos, ad Ecclesiam pervenisse.

4. *Invocatio Spiritus sancti.*

Illam orationem expressimus secundum accuratam Codicum Mss. lectionem, a qua longius abit ea quam Editio Romana repraesentat. De illa oratione dictum est ad Basilii Copticam Liturgiam, et ad eam Jacobi fratris Domini: unde quae illam generaliter spectant repetere necesse non est, cum omnibus cujuscumque Ecclesiae, ritus, aut linguae Liturgiis conveniant. Hic observandum praecipue, quod usurpetur vox נשחלף *transmutet*, ut in Liturgia Nestorii, et in Jacobitica Jacobi Serugensis: ad imitationem Liturgiae Graecae Chrysostomi. Igitur ex autoris quicumque fuerit, et eorum qui hoc Officio usi fuerunt, sententia, *demonstrare, complere, perficere, facere* עבד, גמר, שמלי, חוא,

quibus vocibus hac in parte, operationem sancti Spiritus significant, eamdem vim habent ac *transmutare*.

In prooemio ejusdem orationis de Spiritu sancto dicitur, *qui a te procedit et a filio accipit*, quae communis est secundum Evangelii verba, Orientalium Theologia. Addunt aliquando *et a filio quae ad essentiam* sive *substantiam pertinent, accipit*, ut in Liturgiis Xysti, et Ignatii Patriarchae Antiocheni. Cum vero de Marutae Liturgia agatur, observatione dignum est, quod in ea de qua mox dicebatur Confessione fidei, quae Canonem II. constituit Synodi illius Seleuciensis quadraginta Episcoporum in qua Marutas praesedit cum Isaaco Catholico, ita de Spiritu sancto loquuntur. *Confitemur unum Spiritum vivum et sanctum Paraclitum, qui est ex Patre et Filio:* Atque illo testimonio nihil fortasse est in Ecclesia Syra antiquius, cum Codex Florentinus antiquitate septingentos ad minimum annos superet: et ipsa Confessio, Nestorianorum et Jacobitarum schismatibus sit longe vetustior.

5. *Reges Christianos.*

Si quis hanc orationem, antiquitatis ultra Muhamedana tempora argumentum esse velit, non admodum repugnandum. Sed in eadem Collectione primus Canon talis est. *Oratio, deprecatio et supplicatio offeratur coram Deo vivo, et sancto, pro regibus et principibus, ut tranquillam et pacificam vitam degamus, in omni sanctitate et justitia: ipsique cogitationes superbas et duras non foveant contra populum Dei.* Hoc loco de Christianis principibus sermonem non esse manifestum est. Lex enim illa Ecclesiastica promulgata est in Synodo Episcoporum Persidis, congregata in urbe Regia, totius regni Metropoli, sub Isdegerde Rege infideli, qui in Persica sua religione vixit: quique licet Christianis libertatem aliquam precibus et miraculis Marutae victus concesserit, nunquam tamen Christo nomen dedit, sed in Magica superstitione periit. Sapor ejus pater in Christianos crudelissime saevierat, et multa millia Martyrum variis suppliciis consumserat. Cum igitur Maruta sententiae principe statutum fuerit, ut pro Regibus et principibus qualescumque forent, etiam infidelibus et persecutoribus oraretur, verba illius orationis intelligenda sunt de statu Ecclesiae sub Christianis principibus, quae ex veteri usu in Liturgiis servata sunt; non quod Maruta aut alii docuerint non orandum pro Infidelibus, cum etiam pro persecutoribus Christiani semper oraverint.

6. *Patrum Orthodoxorum, etc.*

Antiquiorem Liturgiae ut Marutae esset, si ab eodem compositam fuisse constaret, adjici potuisse nomina aliorum qui serius vixerunt, probant Graecarum et aliarum Liturgiarum exempla multa, ut alibi fusius explicavimus, dum inanitatem Critices Riveti demonstravimus, qui ex ejusmodi nominibus

aetatem illarum determinare aggressus est. Verum Orthodoxos non fuisse, qui ea uterentur, in qua Severus, Philoxenus, Petrus, Gnapheus scilicet, Jacobusque Baradatus inter sanctos commemorantur, certius est quam ut probatione indigeat. Maronitae igitur dum istam sibi vindicaverunt in Romana editione, majores suos in haeresi Jacobitarum fuisse incauti prodiderunt, aut saltem summam imperitiam, dum haereticos anathematibus Conciliorum repetitis proscriptos, inter coelites reposuerunt. Severi quidem nomen sustulerunt, sed alios reliquerunt, non minus damnatae quam ille memoriae, quibus cum Maro in quibusdam codicibus adjunctus reperiatur, vanam esse sanctitatis illius opinionem, de qua tantopere recentiores laborant, hinc licet existimare.

7. Qui super adamantem Petri fundaverunt domos fidei.

Locutio ambigua est si verba tantummodo attenduntur. Si enim pressius explicentur, vertendum erit *supra adamantem petrinum*, quae verba sententiam duplicem efficere aeque possunt. Prima est ut significetur eos aedificasse, seu instituisse Ecclesias supra firmam petram, cum nulla sit adamante durior aut solidior: altera, super adamantem Petri, sive firmam ejus fidem, nempe referendo hanc metaphoram ad illud *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Utrumque frequentissime legitur in Orientalium Liturgiis, et aliis Officiis, cum de Petri Primatu non minus Orthodoxe sentiant, quam Catholici. Utraque significatio ad idem reducitur.

Reliqua nullam singularem observationem desiderant.

LITURGIA
SANCTI CYRILLI.

Oratio ante Pacem.

Sacerdos. Domine Deus misericors sancte, et omnipotens, qui es pax, tranquillitas, caritas, dulcedo, castitas, et bonitas: Pater et Dominus omnium qui pacem diligunt: praesta nobis ut pleni humilitate, et spe, atque in fide vera confirmati, necnon in spirituali tui, et mutua dilectione proximi, invicem amplectamur, per abundantiam dilectionis quae est plenitudo legis tuae, ut simus tibi filii tranquilli-

tatis, et pacis: dignique efficiamur bonis illis quae promisit nobis Filius tuus unigenitus et sanctus: per quem, et cum quo te decet gloria, honor, et potentia, cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono, adorando, vivificante, et tibi consubstantiali.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Date pacem.

Populus. Dignare Domine.

Diaconus. Inclinemus capita nostra Domino.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tu es igitur miserator, et multae misericordiae Domine, quia a te descendit, et oritur omne donum optimum, et perfectum; benedic, et conserva adoratores tuos istos, qui coram te colla corporum animarumque suarum inclinaverunt, et illis largire donum miserationum tuarum, atque auxilium perfectum gratiae tuae, juxta promissionem Christi tui: cum quo, et Spiritu sancto tibi debetur adoratio, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Creaveras enim nos Domine a principio per misericordiam tuam paternam, et beatam, nos qui primitus nihil eramus: idcirco ut bene nobis esset in gradu illo excelso, vitae angelicae, et immaterialis, et tamen nostra voluntate, in errorem, et ruinam peccati prolapsi sumus, exules facti a prima nostra patria. Verum per easdem aeternas tuas miserationes, Filium tuum unigenitum misisti ad salutem nostram, qui peccatores, et insipientes sumus, et factus est corporaliter, sed absque mutatione homo similis nobis, ut nos amplius divinos efficeret, et ad pristinam nostram haereditatem nos reduceret. Tu ergo etiamnum Domine, mitte gratiam tuam ad expiationem, et mundationem nostram, et ad acceptationem, consummationemque puri hujus, et immaculati sacrificii, quod pro peccatis nostris tibi offerimus, juxta doctrinam Evangelicam, et vivificam Christi, cum quo te decet honor, gloria, et potestas.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae Dei.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Tibi enim vere, et aequissime, debetur gloria et adoratio, quia benedictus es Deus, et opifex omnium, Deusque super omnia.

Elevans vocem. Laudat te Domine coelum, quod est solium majestatis tuae: et terra, quae est scabellum sub pedibus tuis. Laudat quidem terra, et adorat nomen tuum in hac Ecclesia, quae ore filiorum suorum hymnos tibi canit, per coetum Prophetarum, per agmen Apostolorum, passiones Martyrum, Ordines Confessorum, Theologiam Doctorum, rectam vivendi rationem Religiosorum; patientiam coelibum, exercitum justorum, coetum Sanctorum, statum moresque fidelium: coelum autem, in Ecclesia illa excelsa, ubi scripti sunt primogeniti tui in libris sanctis tuis. In ea nempe glorificaris Angelorum cantibus, Archangelorum jubilis, Cherubim concentibus: Principatuum fortitudine, Potestatum gloria: Thronorum fulgore: Dominationum decore: ardore legionum: inter agmina victricia, coetus perfectorum, inter festa, et gaudia Sanctorum, sanctificationesque Seraphim, qui senis alis, et voce nitidissima, laudant, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus excelsus, sanctus inquam qui ter sanctificatus, et perpetuo laudandus est. Pater sanctus genitor: et non genitus: Filius sanctus genitus, et non genitor, Spiritus etiam sanctus, vivificans et adorandus. Sanctifica nos igitur, Sancte, qui omnia sanctificas, ut parati, et recte dispositi simus in sanctitate, ad convivium istum vita, et suavitate plenum, unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, qui unus est, de Trinitate sancta: et ad communionem mysteriorum ejus sanctorum, et vivificantium. Qui cum homo voluntate sua factus esset, et more humano educatus, non gloriae diminutionem aut divinitatis detrimentum passus est, sed incarnatus existens, etiam erat illud quod fuit verbum, sapientia, et virtus Dei naturaliter, et substantialiter, etiamsi accepisset formam servi, ad salutem nempe vitae nostrae. Ipse igitur ante passionem suam salutarem accepit panem in manus suas sanctas, † et benedixit, † et fregit, † tradiditque in manus discipu-

lorum suorum, et dixit. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vos autem, et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Miscuit etiam ex vino, et aqua, calicem vitae, † et benedixit eum, † sanctificavit eum, † et dedit eum turbae discipulorum suorum. et dixit: Hic est sanguis meus, qui obsignat Testamentum mortis meae; vos autem, et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Cum autem eos sanctitatis, et remissionis peccatorum beneficio, corporis, et sanguinis sui fecit participes, primum praecepit eis, et injunxit: cum pani, et calici huic communicabitis, memores estote, et memoriam celebrate mortis meae, ejusque commemorationem facite donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Sed nos etiam Domine Deus noster, adorande et sancte Jesu Christe, tanquam arrhabonem vitae tenemus, depositum, dispensationis tuae salutaris, gloriamurque in passionibus tuis, et morte quam nostri causa perpessus es; gaudemus et exultamus in salute, et commemoratione resurrectionis tuae mirabilis. Deprecamur gratiam, et misericordiam tuam, et cum veneris in illo ultimo, et terribili, statutoque die, non ejicias nos e conspectu tuo, statuasque in pudore, et confusione: non in tenebris, et caligine: non in gehenna, et cruciatu: non in fletu, et stridore dentium: non in dolore, aut tristitia: non in luctu, aut gemitibus: non in minis, et increpationibus, ne laetentur de nobis inimici nostri, ne irrideamur ab iis qui oderunt nos: neque enim ii sumus Domine qui passiones tuas erubescimus, aut nomen tuum sanctum negamus. Tu autem Domine agnosce nos, et spem tuam, lumenque vultus tui, emitte super nos, et super Ecclesiam tuam sanctam, et Orthodoxam, quam ex gentibus adquisivisti: quae etiamnum voce elata jubilans clamat ad te, Patrem tuum. Spiritumque sanctum tuum, dicens.

Populus. Miserere nobis.

Sacerdos. Nos etiam tibi gratias agimus de omnibus, et propter omnia.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Memento.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Domine miserere nostri, qui figmentum tuum sumus, et imago majestatis tuae: veniatque Spiritus tuus sanctus, qui ejusdem est tecum, et unigenito Filio tuo naturae, substantiae, honoris, et gloriae, adveniatque, et requiescat super oblationes istas, et illabatur, et habitet in cordibus nostris. Exaudi me Domine. Deprecor te miserator hominum, Domine miserere mei, et vivifica me: effundo super me donum gratiae tuae, et purifica me: ne prohibeas gratiam tuam a me, ob foeditatem, et turpitudines vitiorum meorum. Quae enim peccavi, fateor Domine, et quae inique egi, palam facio: misericordiae autem tuae multae Domine, et gratia tua absque mensura est. Spiritus sanctus tuus ad me veniat, omnes animae meae sordes abstergat, omnibus delictis meis ignoscat; cogitationes meas omnes sanctificet, et suscipiat sacrificia, et oblationes meas.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Qui benedicens, et sanctificans, corpus Christi perficiat panem istum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et sanguinem Christi perficiat, mistum quod in hoc calice est.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos etiam faciat puros, et sanctos, per divinam hanc communionem in regno tuo aeterno, in felici illa domesticitate, in habitaculis splendoris tui, in contemplatione illa lucida, in gaudio eorum qui perfecerunt voluntatem tuam: in jucunditate quae est ad dexteram tuam; et in omnibus, per omnia, et propter omnia, laudem et gloriam tibi referemus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe hoc sacrificium nostrum Domine, quod mente, verbo, et cogitatione offertur tibi; maxime vero pro tranquillitate, et pace Ecclesiae tuae sanctae, pro Pastorum ejus justorum, et orthodoxorum confirmatione, pro decore, et exaltatione Sacerdotum ejus: pro honestate, et modestia ministrorum ejus: pro remissione, et venia filiorum ejus: pro gaudio, et concordia congregationum ejus: pro infirmorum, et afflictorum visitatione, et auxilio eorum omnium qui in aliquo periculo versantur.

Diaconus dicit [2] *Canonem primum.*

Sacerdos elevans vocem. Per te enim stat, et conservatur unum quodque, per te petitiones omnes justae effectum consequuntur, affluuntque benedictiones effusae, spes honestae, gaudium, et voluptas omnis, potestas omnis, et virtus, omnis consummata perfectio, omnis denique creaturae tuae subsistentia, teque decet gloria, honor, potestas; et laus cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Domine misericors, et clemens, qui parva rogatus, maxima tribuis diligentibus te, exaudi tenuitatem meam quae te nunc invocat pro iis omnibus qui gravissimis tentationibus dejecti, ad te confugiunt. Accede velociter, et eos libera, dignamque mercedem iis tribue, qui oblationibus Ecclesiae tuae, et pauperum necessitatibus communicant: eorumque memor esto, qui ut sui meminissemus, nobis praeceperunt: mementoque eorum omnium qui invocant nomen tuum sanctum.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem secundum.

Sacerdos elevans vocem. Exaudi Domine preces populi tui, et suscipe deprecationes gregis tui: parce, et miserere peccatorum insipientium, pereuntium, et perditorum; captivorum; et qui persecutionem patiuntur: qui in angustia, et oppressione sunt, et calumniam fraudemve sustinent; peregrinorum, exulum; miserorum, et pauperum, orphanorum, viduarum: eorum qui peccati vinculis implicantur: qui in mari aut terra peregrinantur; eorum denique omnium qui te optimum auxiliatorem sciunt, credunt, et confitentur, et tibi laudem referemus.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem tertium.

Sacerdos inclinatus. Concede etiam Domine populo tuo, et orbi universo tempora fertilia, omnisque ubertatis, benignitatisque tuae plenissima, et benedic coronae anni, per imbres, rorem, bonorumque omnium varietatem, et omnis generis fructuum feracem abundantiam; quia tu semper auxiliaris creaturae tuae.

Elevans vocem. Libera nos, salva nos, tu qui curam geris omnium, ab omni oppressione, et rebellione, ab omni persecutione, et peste, ab omni coede, et annonae caritate, tribulatione, et captivitate, plagarum inflictione, et sanguinis effusione, et a gentibus quae a religione tua alienae sunt; neque corripias, et punias nos in

furore et ira, propter multitudinem peccatorum nostrorum, sed reple nos misericordia, et mansuetudine, et tanquam Pater filiorum amans posside nos: quia non est nobis alius Deus praeter te, per quem salutem quaeramus, nisi tu, ad quem levati sunt oculi nostri, et corda nostra, tibique gloriam referemus cum unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem quartum.

Sacerdos inclinatus. Benedictus es Domine sancte, et sanctorum amator, qui vis ut sanctorum tuorum memoriae frequenter communicemus, maxime autem, et speciatim, gloriosae prae omnibus sanctis, Virginis immaculatae, sanctaeque Genitricis Dei Mariae, et Joannis praedicatoris, praecursoris, consummatorisque mysteriorum: Stephani quoque primogeniti, principis, primique Martyrum, cum omnibus tibi acceptis.

Elevans vocem. Memento Domine, et eorum qui a nobis nominati sunt, Patrum, Patriarcharumque, omnium Sanctorum, et Justorum, Prophetarum, et Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, et Confessorum, Doctorum, et Thaumaturgorum, Virginum sanctarum, continentium, jejunantium, Monachorum, Solitariorum, verorum fidelium, omniumque bene agentium, et per eorum preces perfectas, et supplicationes acceptissimas, aspice nos oculo misericordi, vultuque tranquillo, et sereno, nosque adjunge agminibus, ordinibus, et stationibus dilectorum tuorum: ut cum eis, et inter eos pure, et sancte dicamus hymnum sine fine tibi, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem quintum.

Sacerdos inclinatus. Effice Domine dignos voluptate regni tui, Patres electos, doctoresque probatos, et sanctos Episcopos, Ignatium, Dionysium, Julium, Athanasium, Basilium, Gregorium, Cyrillum, reliquosque omnes Sanctos, qui fortiter pugnaverunt, et persecutionem passi sunt, pro fide indivisa, et confessione indubitata.

Elevans vocem. Memento Domine eorum qui sancte et splendide Ecclesiam tuam sanctam, unigeniti Filii tui sanguine emptam, stabilierunt, et confirmarunt: qui lumine praeclaro, et divino Theologiae, adduxerunt, et converterunt populos in tenebris constitutos, ad lucem Evangelii Christi tui: qui secura mente, et sincero animo, veritatis tuae causa, pericula sustinuerunt, vineamque spiritualem, et

rationalem rigaverunt. Eorum qui statutis, et constitutionibus suis Spiritu tuo sancto plenissimis, ejecerunt ex Ecclesia tua haereticam insaniam, cum impietate conjunctam: eorum qui in labore et sudoribus, agones suos perfecerunt, et voluntatem tuam adimpleverunt: ut nos quoque, qui fidem eorum amplectimur, coram te summa cum fiducia, et absque confusione consistamus; novamque tibi laudem referemus, et incessabilem gratiarum actionem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo. *Populus.* Amen.

Diaconus dicit Canonem sextum.

Sacerdos inclinatus. Praesta Domine per hoc sacrificium, quietem, propitiationem, remissionem, et memoriam bonam, super altare hoc spirituale, omnibus patribus, et fratribus nostris corporalibus, et spiritualibus; nec non illis omnibus qui ex hoc loco, et omni alio populi fidelis, et Orthodoxi Christianique instituti, dudum vitam finierunt.

Elevans vocem. Petimus a te Domine, vivorum Princeps, et mortuorum Domine, pro iis omnibus qui tuo jussu ex praesenti vita migraverunt, et in Orthodoxa fide ad te profecti sunt, ut per misericordiam illam summam quae naturalis tibi est, et tibi inest substantialiter, eorum in bonum memineris, et ne despexeris nostram pro illis deprecationem, quia imago tua ipsi sunt: sed assume eos per gratiam tuam, et eleva, constitueque illos in excelso vitae illius immortalis, in habitaculis illis coelestibus, ubi unigenitus, sanctusque Filius tuus, a spiritualis exercitus corona cingitur, et celebratur. Per eum, per quem maxime misericordiam, et remissionem peccatorum propter eum speramus consequi, et nobis, et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Cognitor absconditorum, et cogitationum scrutator Domine, aufer, et dele omnia peccata nostra, nota, et ignota, secreta, et publica, voluntaria et involuntaria, hujus, praecedentis, et futuri temporis; et cum tuo jussu ad finem vitae venerimus, juxta viam antiquam, et generalem, hominibus universis constitutam, et praescriptam: dispone nos ita; ut nullius conscii, coram tribunali tuo tremendo et timendo, consistamus. Adjuva nos Deus Salvator noster, et vias vitae nobis demonstra, et semitas luminis plenas, quae recte deducant ad portum benignitatis tuae, ut in nobis, et pro nobis, et propter nos, et ab omnibus exaltetur nomen tuum, nec non unigeniti Filii tui, et Spiritus tui.

Populus. Ut.

Sacerdós. Misericordiae Dei sint vobiscum.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus alta voce pronúnciat Catholicam.
Sacerdos. Credimus et accedimus.

Oratio ante Pater noster.

Adoramus te, Deus Pater omnipotens, creator, et dispositor visibilium, et invisibilium, qui es absconditus et inscrutabilis, ineffabilis, et interminabilis: origo boni, et fons vitae absque principio: Rex regum, et Dominus Angelorum; qui sublimitate tua excelsissima, super naturas, potestates, et ordines omnes, circumfereris super thronum aeternum majestatis tuae in excelsis: qui videns genus nostrum in periculo constitutum, dum ignorantia doctrinae vitae teneremur; non neglexisti opem, et curam erga nos tuam. Misisti enim prophetas primum, ut conversionem nobis omnibus modis, et similitudinibus praedicarent; ideoque, et tempora elegisti, quibus nobiscum per dilectum Filium tuum locutus es, unigenitum illum, qui ex te est, germen, et prolem ex sinu tuo, et solem ex substantia tua, veritatem, vitam et salutem; qui carnis expers, incarnatus est: et incorporeus, corpus assumpsit: qui nobiscum in terra conversatus, orationem paternam nos docuit, et sacrificium sine macula. Oblatio acceptabilis, et odor suavis pro nobis extitit, et mysteria haec sancta, et vitae plena nobis tradidit. Tu ergo Domine, perfice nos in disciplina ipsius sapientissima, ut animo puro, conscientia defaecata, et lingua plena exultatione, clamemus ad te, oremus, et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Tuum est enim Domine, imperium, virtus, potentia, regnum, et laudatio, potesque eripere nos a malo, et ab operibus ejus, et ab oppressionibus, tentationibus, et virgis furoris, et dimittere peccata, et delicta nostra per abundantiam magnam misericordiae tuae, ut dum sanctificatur in nobis nomen tuum, et in nobis tua voluntas perficitur, te laudemus, sancte, et Filium unigenitum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te, Domine Deus noster.

Sacerdos. Benedic brachio tuo magno, et forti tua virtute Deus noster, benedicte, populum, et haereditatem tuam, et concede nobis gratiam, et benedictionem quae a te sunt, ut communicemus mysteriis tuis istis sanctis, sine macula, aut peccato, et impleamur per eorum susceptionem, omni odore suavitatis, et fervore fidei in te, et referemus tibi laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Trinitatis sit.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Benedic Domine.

Populus. Sit nomen Domini benedictum.

Post receptionem Sacramenti, Sacerdos dicit.

Nunc postquam delectati sumus, ex plenitudine sanctorum tuorum divinorum, et hausimus poculum vitae ex beato fonte gratiae tuae, Domine quid retribuemus bonitati tuae, tali et tam profusae. Sed cum menti corporeae adstricti simus, tuam tamen majestatem in mente habentes, vocibus laudis dicimus, o altitudo divitiarum sapientiae tuae, o latitudo bonitatis tuae: o abyssus imperscrutabilis misericordiae tuae, quod cum malitia peccati detineremur, ad gaudium et voluptatem talem adduxisti nos: tu per quem, et propter quem deprecamur, ut a damnatione judicii liberemur, et a condemnatione ad perditionem: ut in magno illo mane resurrectionis omnium, securi simus cum sanctis tuis, in voluptate illa tua spirituali et intellectuali, et canamus perfecte cum perfectis hymnum indesinentem tibi, Pater aeterne, Filioque tuo unigenito, et beato, et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra Domino inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos. Domine Deus noster qui es refugium peccatorum, sanator infirmorum, vulneratorum restaurator, auxiliator animarum, precum susceptor, quique petitiones respicis, propitiare peccatis servorum tuorum; sana vulnera populi tui, suscipe preces ovium tuarum; et respice supplicationes gregis tui, et sacrificium hoc quod in templo sancto tuo obtulimus, sit acceptum majestati tuae. Sit in sanctificationem animarum, et corporum nostrorum; et sanguis ille purus, et sanctus quo labia nostra peruncta sunt, praestantior quam illius agni sanguis, qui exterminatorem Angelum a populo Israelitico arcuit, ipse arceat, et prohibeat a nobis omnem cujuscumque generis perniciem, et omne genus peccati. Securitas tua regat nos: et pax tua nobiscum sit, et dextera tua habitet super nos, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedic nos omnes.

Diaconus. Benedicam Dominum in omni tempore.

IN LITURGIAM S. CYRILLI

NOTAE.

1. Cyrilli nomine, extat apud Coptitas Liturgia, ultima ex tribus quas solas agnoscunt. Eam a nonnullis Marco Evangelistae attribui testatur Abulbircat, idque verissimum esse probatur certo argumento, quod ignoravit vir Aegyptius, Graecae linguae imperitus, qui Graecam Marci Liturgiam nunquam viderat. At illa quam hoc titulo edidit Joannes a sancto Andraea insignis Ecclesiae Parisiensis Canonicus, primaevum, ut supra observavimus, Cyrillinae exemplar est, nihil tamen Graeca, sive Coptica quae ab illa priori expressa est, quidquam cum ista Jacobitica commune habent, nisi generalem et ubique receptam sacri Officii formam, in omnibus Orientalibus Liturgiis observatam, quae semper et ubique eadem fuit. Ritus Jacobitis proprius est, juxta primam et praecipuam inter illos, quae est Jacobi fratris Domini.

Versio Arabica adjuncta est multis orationibus in Romana editione, et illis prope solis, quae alta voce dicuntur a Sacerdote. Illius versionis usus ad altaria nullus est, quod nonnulli, non satis prudenter affirmarunt: sed ut Officium Ministerii Diaconici, Arabice pariter interpretati, et Romae editi,

ita haec versio Laïcis aut ipsis sacerdotibus et Diaconis parata est, ut quae Syriaca lingua, doctis solis nota, canuntur et recitantur, intelligant. Illam versionem nullus codex vetus, inter multos quos vidimus, repraesentat: unde recentissimam esse judicare possumus. In Romana editione varias interpolationes sustinuit in forma Verborum Christi, et in Invocatione Spiritus sancti, ut omnes ferme aliae. Versionem ad optimae notae Codices Mss. exegimus. Quod Maronitae illam Liturgiam quasi Ecclesiae suae propriam sibi vindicant ut complures alias, frustra sunt: nam Jacobiticis aliis conjuncta est, et reperitur in Codicibus Jacobitarum sinceris, Colbertinis, Seguierianis et aliis.

2. *Diaconus dicit Canonem primum, etc.*

Vox *Canon* hoc loco Diptychum significat, ut docet Dionysius Barsalibi Commentario ad hunc S. Jacobi Liturgiae locum, sine quo frustra illius significatio apud Lexicographos quaereretur. Observat porro ille Diptycha a suis Syris vulgo *Canones* appellari: sexque esse; nempe totidem orationes seu commemorationes, quarum tres pro viventibus sunt: tres aliae pro mortuis. Quae vero dicuntur a Diacono, et Canon hic appellantur, primus, et secundus usque ad sextum, denunciationes sunt ad orandum pro iisdem: nam ipsae orationes a Sacerdote recitantur, non a Diacono: plebs nihil aliud dicit nisi Kyrie eleison, Graece, aut *Domine miserere* Syriace. Reliqua nihil habent obscuritatis.

LITURGIA I. DIOSCORI
PATRIARCHAE ALEXANDRINI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus fons tranquillitatis et pelagus bonitatis, qui es caritas vera quae non aemulatur: praesta nobis peccatoribus servis tuis, ut purgati ab omni iniquitate et macula peccati, amplectamur invicem in caritate, et pace tua indivisibili: utque omne odium et simultatem a nobis abjicientes, in uno vinculo caritatis indissolubilis constringamur, atque ut uno et aequali spiritu fidei non pigrae, refe-

ramus tibi gloriam, et laudem simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Date pacem.

Populus. Dignare Domine.

Diaconus. Capita coram Domino inclinemus.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Domine qui solus bonus es, et dives donorum, fonsque uberrimus omnium benedictionum, demitte dexteram tuam potentem, et benedic agnis pascuae tuae, qui coram majestate tua inclinantur, concedens illis remissionem eorum quae inique a nobis commissa sunt, ut cum puritate animae et corporis castitate, referamus tibi gloriam cum voce gratiarum actionis, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus incomprehensibilis, et ineffabilis cujus erga homines amor a creaturis tuis comprehendi non potest, quique per miserationes tuas aeternas, unigenitum Filium tuum misisti ad salutem universi, ut ovem quae ceciderat et aberraverat, a familiaritate beata, reduceres; ne ergo Domine respicias turpitudinem servorum odiosorum, et populum tuum gratia et miserationibus tuis prives, aut avertas faciem tuam a nobis hoc tempore, quo tibi sacrificium terribile et incruentum offerimus. Non enim abundantiae bonorum operum confidentes, audemus tractare mysteria tua sancta, sed multitudine misericordiae tuae freti, deprecamur, et petimus a te Domine, ut non ad condemnationem et confusionem fiat nobis mysterium hoc salutis, sed ad remissionem peccatorum, et veniam omnium iniquitatum nostrarum: per gratiam miserationis, et amorem erga homines, unigeniti Filii tui, cum quo laudaris in coelo et in terra, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum est et a nobis debitum atque ab omni creatura, ut te honoremus, adoremus, confiteamur, laudemus, et exaltemus te, qui a militia superna benediceris et sanctificaris, cui debetur gloria, honor, et adoratio, a superioribus et inferioribus, cum Filio qui ex te ipso est, et Spiritu tuo sancto.

Elevans vocem. Coram te Domine stant et ministrant omnes ordines superni, ignis et spiritus, qui gloriae tuae subjecti sunt: Angeli qui glorificant, Archangeli qui laudant, Potestates quae splendide fulgent, Throni qui jubilant, Dominationes quae extollunt, Virtutes quae celebrant, Cherubim submissi, qui benedicunt concentu indificienti: Seraphim sancti qui alis sex igneis immaterialibus circumvecti, et volantes, duabus facies suas tegunt, prae splendore virtutis majestatis tuae: duabus tegunt pedes suos ne ignitis carbonibus tuis adurantur, et duabus volant, extolluntque simul voces suas, et clamant alter ad alterum trinis sanctificationibus, quae sibi invicem succedunt, et vocibus triumphalibus sanctificant, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sanctus Deus Pater genitor lucis aeternae: Sanctus etiam Filius aeternus qui ex sinu virginali sancte, et impassibiliter natus est: Sanctus Deus Spiritus vivificans, qui sanctos sanctitate perficit et consummat: qui ter et unice, atque inseparabiliter, unus ab universo orbe agnoscitur, et unus in tribus noscitur. Qui cum genus nostrum vidisset perditum, et a bestia mala spirituali deprae-datum, unigenitum Deum misit ad salutem ejus: qui ex Spiritu sancto, et Virgine incarnatus et natus est, [2] nativitate carnali et non phantastica, extititque perfecte Filius hominis, Deus interea absque immutatione permanens, omnia ad salutem nostram disponens et perficiens.

Elevans vocem. Qui cum ita voluisset, secundum salutarem suam dispensationem, ante passionem suam vivificam [3] postquam simul cum discipulis suis agnum illum Mosaicum epulatus esset, accepit panem vitae in manus suas puras et immaculatas, † benedictione benedixit, † et sanctificavit † cum, fregit et tradidit societati Apostolicae dicens: Accipite, manducate: Vere hoc est corpus meum, quod pro mundi vita frangitur et dividitur, in remissionem peccatorum, illud suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et super calicem vitae, postquam illum vino et aqua temperate miscuit, et sanctitate sua consecravit, perfecitque, et tradidit Apostolis sanctis: dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Vere enim hic est sanguis meus qui pro mundi vita effunditur, et dividitur, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hanc salutarem institutionem suscipientes, panem et vinum statuimus, et imponimus super altare hoc, juxta praeceptum ejus vivificum, ut memoriam agamus, secundum oraculum hoc divinum quod ait: quoties mysteriis istis sanctis communicabitis, memoriam mei facietis, et passionem, mortem et resurrectionem meam annuntiabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Commemorationem igitur dispensationis tuae salutaris agimus, commemoramus etiam exinanitionem tuam voluntariam pro nobis, passionem tuam vivificam, sepulturam tuam quae corruptionem sepulcralem solvit: praeclaram tuam post triduum e sepulcro resurrectionem: ascensionem tuam mirabilem e terra in coelum: sessionem tuam regiam et praeclaram ad dexteram majestatis Patris, adventumque tuum secundum terrore plenum, quando excitationem omnium hominum facies, et opera cujuscumque palam fient: quando thronos lucis Apostolis tuis statuens, vindictam populi Israelitici illis committes, et cum ira aspicies operantes iniquitatem, impios et iniquos, qui cruciatus suscipient, absque misericordia, secundum aequitatem et justitiam: orieturque dies ignis illius obscuri neque lucentis: et coram throno majestatis tuae ad examen occultorum, et judicium decisum, et abbreviatum ascendent omnes tribus: stridorque dentium, et planctus amarus, et inconsolabilis erit: domus judicii aperietur, et judex sedebit, et unusquisque hominum flammis examinabitur. Domine propitiare et parce in hoc tempore timendo, populo tuo fideli, qui te confitetur et nomen tuum laudat. Non voces fletus cum Diabolo a nobis audiantur: ne plangant Angeli tui sancti, quod a conspectu tuo projiciamur: sed convertere Domine, et audi suspiria et gemitus servorum et ancillarum tuarum. Ignosce peccatis, sanctifica poenitentes, parce omnibus per gratiam tuam, et misericordiae tuae effundantur super reatus nostros, etenim propter haec omnia, Ecclesia sancta quam

acquisivisti, obsecrat et deprecatur te, et Patrem tuum per te, et tecum dicens. *Populus.* Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te adoramus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus, dicit Invocationem Spiritus sancti.

Domine veniat Spiritus tuus sanctus, requiescatque per gratiam suam, sanctificet et perficiat sacrificium hoc, quod coram nobis propositum est, et nobis illud purificationem esse faciat. Verum nec [4] propter opera nostra odibilia prives populum tuum fidelem dono coelesti: sed per abundantiam gratiae tuae mitte illum nobis, et donis suis divinis nos repleat. Et sicut in columbae specie in Jordane fluvio super unigenitum Filium tuum requievit, et super Apostolos sanctos in linguis ignis apparuit: sic habitet et requiescat super nos et super oblationes istas.

Populus. Exaudi me.

Sacerdos. Ut adveniens, per gratiam suam, panem quidem istum efficiat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut qui in hoc convivio mysteriorum istorum vivificantium epulati fuerimus, et quorum animae et corpora sanctificata fuerint, ea non in confusionem fiant nobis in novissimo die, sed in salutem, et apologiam coram majestate tua, et bonis quae triumphatoribus tuis reservata sunt, in lumine intellectuali tuo, digni efficiamur: per gratiam, miserationes et amorem erga homines unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sanctissimi et boni.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Convertere Domine et suscipe de manibus nostris peccatricibus, sacrificium hoc quod tibi nunc offerimus, pro tranquillitate Ecclesiae tuae sanctae, pro custodia filiorum ejus, et exaltatione Sacerdotum ejus, praecipue vero Pastorum beatorum qui hodie illi praesunt, in fide orthodoxa, in primis autem Patriarchae nostri Domini N. et Domini. N. et Episcopi nostri D. N. reliquorumque Episcoporum orthodoxorum, ut in pascuis spiritualibus, cum vita longa, et temporibus pacatis, absque hypocrisi pascant eam et

gubernent. Iterum, et pro me reo obsecro te, scrutator mentium, ut abstergas a me omnem peccati maculam, et perfecte mundes me, ut sanctitas quae a te est, in me habitet. Iterum et pro corona anni, ut benedicatur per gratiam tuam, et aëres concede temperatos, quibus fructus multiplicentur, ut edant pauperes et saturentur, et voce gratiarum actionis te glorificent.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Tu es enim qui omnium hominum curam geris, et unumquemque in omni loco juvas, et gubernas. Adjuva nos Domine, et exaudi nos quotiescumque clamamus ad te, et liberans nos ab omni errore, ignorantia, et tenebris peccati, fac ut in luce mandatorum tuorum ambulemus omnibus diebus vitae nostrae: quia tu es in quo spirat omne quod vivit, et tibi debetur gloria et honor ab omnibus quae creasti in coelo et in terra, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum cum deprecatione te obsecramus, pro illis qui nunc nobiscum congregati orant: et pro illis qui diligenter nobis praeceperunt, ut memoriam eorum coram te faceremus: et pro illis qui vota et primitias in Ecclesia tua sancta adimplent et offerunt: qui sanctis ministrant, et pauperibus populi tui alimenta praebent, et eorum qui hodie quaedam separaverunt et obtulerunt.

Elevans vocem. Et sacrificium hoc benigne accipiens, ita ut voluntas tua in eo acquiescat, et per benignitatem miserationum tuarum suscipiatur, adjuva et salva eos omnes, qui te invocant ex toto corde suo, et suscipe in expanso coelo tuo Domine, orationes et oblationes quae ab omni Ecclesia tua sancta tibi offeruntur, et illas quas nunc tibi obtulerunt. Parce quoque per gratiam tuam, omnibus iniquitatibus quae a nobis perpetratae sunt, quia tu es Deus volens miserationes, et amorem erga homines, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Rursus deprecamur te Domine, pro pace regnorum, cessatione bellorum, et pro praeclaro totius mundi statu: ut adoratores tui, per miserationes quae a te sunt, conserventur, et cum diligentia tranquilla unusquisque in regione sua tibi confiteatur.

Elevans vocem. Corda et animos Regum et principum ad te converte Domine: impetus violentos, vanasque doctrinas ab Ecclesia

tua depelle: in fide recta quae in te est, inconcusse conservetur, et cantica spiritualia vocibus triumphalibus, et modulatis a filiis ejus concinantur. Dissipa et propulsa eos qui ex adverso eam dividunt: quia tu es dator et largitor omnium bonorum, et tibi gloriam et laudem offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine eorum quos ab antiquis temporibus oblitus non es, Prophetarum qui interpretes fuere mysteriorum tuorum: Apostolorum beatorum, Praedicatorum illustrium, Evangelistarum strenuorum, qui pugnaverunt et vicerunt errorem idololatriae: Martyrum fidelium qui animi fortitudinem ostenderunt: et Joannis Baptistae, vocis illius quae praecessit Verbum, et praecursoris: Stephani etiam qui primus exhibuit certamen gloriosum, et coronatus est corona martyrii. Ejus etiam quae prae· illis omnibus illustris, gloriosaque est, et a nobis celebratur et excelsior superiorque omnibus ordinibus coelestibus, ab omni Ecclesia tua coelum secundum vocatur, Virginis Genitricis Dei Mariae, cum omni coetu sanctorum.

Elevans vocem. Memoriam etiam agimus Domine illorum qui a saeculo tibi placuerunt, ut per orationes et deprecationes eorum propitius sis peccatis nostris voluntariis aut involuntariis. Ab omnibus offendiculis et incursibus diabolicis salva nos, et ut quiete illa indeficienti gaudeamus dignos effice nos: ut in coetibus eorum laudationem incessabilem canamus tibi Pater aeterne, et Filio tuo unigenito, et beato, et Spiritui tuo vivificanti et tibi consubstantiali.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Pastorum electorum mystarumque veritatis, eorum qui in generatione, et generatione steterunt in Ecclesia tua sancta, et greges tuos sacerdotales in Orthodoxia paverunt, atque rexerunt, et ad aquas quietis deduxerunt, atque illos qui in errore versabantur, doctrinis divinis illustraverunt, ad te direxerunt, et adduxerunt, et fidem rectam sanctae Trinitatis populo tuo egregie explanaverunt: et confirmaverunt, omnesque doctrinas vanas haereseon perniciosarum depulerunt et dispunxerunt. Praecipue vero Ignatii, Dionysii, Athanasii, Julii, Dioscori et Severi, cum illis omnibus, qui persecutionem passi sunt propter nomen sanctum tuum.

Elevat vocem suam. Mystarum veracium, Doctorum rectorum,

qui cultum Dei stabiliverunt, eorum qui angustias et cruciatus multos pro Ecclesia tua sancta passi sunt et sustinuerunt et populos atheos ad adorationem tui converterunt, superstitionem Judaicam confutaverunt, et garrulitates haereticorum refellerunt, fidem apostolicam praedicaverunt, omniumque nostrum animas in te confirmaverunt: ut per orationes eorum pias, avertas a nobis omnes virgas furoris, et tentationes difficiles; tranquillitatem et pacem quae a te est, concede nobis: et praesta nobis ut vita beata perfruamur, per eorum obsecrationes, quia tu bonus, et multae misericordiae et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum memento Domine eorum omnium, qui ab Adamo, huc usque, moribus suis tibi placuerunt, et ad te profecti sunt: praecipue vero eorum qui praeclare ministraverunt et servierunt coram te: Sacerdotum fidelium, qui dispensationem mysteriorum tuorum Sanctorum commissam suae fidei habuerunt: Diaconorumque qui animas suas et populi tui fidelis purificaverunt, et omni Ordini qui ministerio sacerdotali alligatus est, et eorum qui in fide recta tua consummati sunt: maxime vero Patrum nostrorum corporalium et spiritualium, eorumque quorum nullus est qui meminerit, sed est apud te eorum commemoratio.

Elevans vocem. Igitur per praeclaras miserationes tuas, eorum recordatus Domine, et in sinu Abrahae quietem illis praestans, et ad mensam illam tuam intelligibilem eos collocans, nec non peccata illorum praetermittens, propitius esto illis propter miserationes tuas multas, et nos et illos dignos effice gaudio illo indefectibili, ut in habitaculo beato, in gloria sanctorum tuorum laetemur. Et jam inde remissionem insipientiarum nostrarum nobis concede, quia nullus est qui vivat et non peccet, aut purus sit a sordibus et maculis peccati, nisi unus solus Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos quoque miserationes speramus.

Populus. Amen.

Diaconus. Quietem praesta.

Sacerdos. Quietem praesta Domine, animabus, corporibus et spiritibus eorum omnium qui praecepto tuo liberati ab hoc saeculo, in fide orthodoxa ad te migraverunt: nec ascendat chirographum peccatorum illorum et nostrorum, ad judicium rectum, in die illa tremenda retributionis, sed per abundantiam gratiae tuae, propitius

esto nobis omnibus: quia tu Domine ipse es qui unicuique juste retribuis, et si intres nobiscum in judicium Domine, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Sed ostende nobis gratiam tuam, et ab igne gehennae per miserationes liberemur: ut propter haec omnia laudemus et exaltemus nomen tuum gloriosum in omnibus et benedictum, Domini etiam Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint super vos.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos frangit et signat Oblatam.

Sacerdos dicit Orationem ad Pater noster.

Pater sancte, excelse et timende, qui cum timore laudaris et exaltaris ab omnibus ordinibus, chiliadibus et myriadibus Angelorum: qui a Cherubim inclinatis, in motu rotarum benediceris, et a turmis innumeris Seraphim igneorum, sanctificationibus gloriosis, et canticis immaterialibus, cum tremore sanctificaris: qui etiam adoraris et glorificaris a nobis infirmis, abjectis, et terrenis: Aequum est ut invocemus te Pater aeterne, per doctrinam vivificam et orationem dominicam, quam unigenitus Filius tuus Apostolos suos sanctos docuit, et pignus adoptionis filiorum nobis concessit, mysteriaque haec vivifica nobis tradidit, ut cum fiducia quae filios decet et juvat, cum anima purgata a maculis peccati, mente ab omnibus affectibus materialibus libera, corde puro a cunctis cogitationibus carnalibus, una voce gratiarum actionis plena, audeamus te invocare Patrem omnipotentem, orare, et dicere. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. Domine fortis et potens, qui virtutem, et potestatem nobis dedisti adversus virtutem hostis spiritualis, libera et salva nos ab omnibus sordibus perniciosis et a tentationibus intolerabilibus, virgisque furoris: quia tuum est regnum, et tu es rex gloriae, tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.
Populus. Et cum Spiritu tuo.
Diaconus. Capita nostra inclinemus.
Populus. Coram te Domine.
Sacerdos. Coram potentia benignitatis tuae Domine, cum humili demissione animae et corporis inclinati servi tui, a benignitate tua petimus veniam delictorum et remissionem peccatorum. Sanctifica nos omnes sanctitate perfecta quae a te est, et benedictione illa inamissibili, simul omnes benedicamur, ut susceptioni mysteriorum vivificantium sancte communicemus, quia tu benignus es, et fons uberrimus benedictionum, largitorque omnium bonorum, tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.
Sacerdos. Pax vobis omnibus.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Unus Pater sanctus.
Diaconus. Cum timore.
Sacerdos. Sancta sanctis.
Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Oratio gratiarum actionis.

Gratias agimus abundantiae bonitatis tuae Domine, laudamus, et exaltamus te, et vocem glorificationis indesinentis tibi referimus, quod nobis pelago peccatorum immersis, per susceptionem corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, mundationem contulisti. Ne in judicium, aut damnationem nobis fiant in illa die qua unicuique opus suum retribuetur: sed a gehenna per miserationes tuas eripiamur, et ad mensam tuam spiritualem, in regno tuo cum sanctis tuis epulemur: per gratiam, miserationes, et amorem tuum erga homines, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti et boni.
Sacerdos. Pax vobis omnibus.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post susceptionem, etc.
Populus. Coram te Domine.
Sacerdos. Lumen de lumine, et Deus de Deo qui inclinasti coelos sanctos tuos, et in terram amore hominum descendisti ad salutem universi: extende dexteram tuam omnipotentem, et emitte super omnes nos benedictiones tuas: sanctifica animas nostras et

corpora nostra per sacrificium hoc quod suscepimus, et dirige gressus nostros in semitas justitiae, ut secundum voluntatem tuam geramus nos, atque mandata tua observemus, et faciamus omnibus diebus vitae nostrae, ad finem beatum perveniamus, et hymnum incessabilem cum sanctis tuis canamus tibi, et Patri tuo adorando. et Spiritui tuo sancto, et vivificanti, tibique consubstantiali nunc et semper.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM DIOSCORI

NOTAE.

1. Magnum inter Monophysitas semper fuit Dioscori Alexandrini Episcopi nomen, quod Calchedonensi Concilio duas in Christo naturas post unionem in una persona profitenti, restiterit et novo ausu, Leoni Romano Pontifici, cujus Epistola ad Flavianum probata fuerat, anathema dixerit. De ejus vita et rebus gestis dictum est in Historia Patriarchali secundum Jacobitarum traditionem, quae repetere necesse non est. Nec minus laudatur a Syris, quam a suis Alexandrinis; etsi inter illos rarius nomen ejus commemoretur in Diptychis: sed in omnibus libris commendatur magnopere, et memoria ejus religiose tanquam sancti colitur, ut patet ex Calendariis et Synaxario Coptitarum VII. mensis Toth, qui primus est anni Aegyptiaci, non sexta, ut perperam editum est in ejus vita. Rarior tamen hujus Liturgiae usus est apud Syros, nec invenitur in multis Codicibus. Aethiopes unam habent ejus nomine quae Aethiopice et Latine anno MDCLXVI. Londini edita fuit a Wanslebio, cum titulo sancti Dioscori. Neque is est cujus commemoratio fit XVII. Baini, ut voluit Ludolfus, sed XXXI. Patriarcha junior vulgo appellatus. *Hist. Patr. Alex. p. 114.* *P. 120.*

2. *Natividate naturali et non phantastica.*

Haec temere, aut oratorie dicta non sunt, ut existimari statim posset, sed certo consilio. Nam cum accusatus esset Dioscorus, quod Eutychen haereticum absolvisset: a plerisque de eadem haeresi postulatus est, idque

non a vulgaribus modo et nullius autoritatis scriptoribus proditum est, sed etiam a doctissimis. Nam vir Clarissimus Joannes Morinus eo colore Jacobitas Eutychianos vocat, et sub tali elogio Ordinationes illorum edidit: minus recte, cum Eutychi anathema denuncient. Ita enim statuunt, illum eodem quo Apollinarius errore laborasse, atque adeo existimasse Christum habuisse de coelo corpus, quod nostro consubstantiale non esset, sed phantasticum. An vere judicent, parum interest, sed Christum etsi ex duabus naturis unum agnoscant, non ut Ecclesia Catholica, in unitate personae, sed in unitate naturae, illum tamen profitentur consubstantialem Patri secundum humanitatem, ut Leo Papa cui fortissime maledicunt, ad Flavianum scribens, professus fuerat. Commistionem quoque naturarum, confusionem et alterationem rejiciunt: itaque Eutychiani dici non possunt. Verisimile igitur est, Syros Jacobitas qui memoriae Dioscori tantum tribuerunt, ut ejus nomine Liturgiam scriberent, ea inseruisse quae famam ejus ab Eutychianae haereseos imputatione vindicarent: tum etiam ab errore qui inter Jacobitas postea pullulavit, per Julianum Halicarnasseum, cujus *phantasias*, nam ea voce

Mr. Syr. Off. utuntur, quod confutaverit, Severus Antiochenus, laudatur in Officio ejus commemorationis.

3. *Postquam cum discipulis Agnum illum Mosaicum epulatus esset.*

Idem legitur in aliquibus Syriacis aliis Liturgiis, ut Jacobi Edesseni et Dioscori Gordiaeorum Episcopi. Non fuit tamen eadem Syrorum de hoc argumento sententia. Illam quaestionem duobus in operibus tractavit Dionysius Barsalibi, in Commentario scilicet ad Evangelia, et in opere singulari *de Paschate et institutione Eucharistiae.* In eam ipse sententiam inclinat quae hic exprimitur, scilicet Christum Agnum Paschalem secundum Legem, cum discipulis comedisse: postea Sacramentum Eucharistiae instituisse: atque illa Evangelii verba, *postquam coenaverunt,* de coena Legali intelligenda esse, non de mystica et sacramentali: Judaeos non observasse legem, sed eam fuisse transgressos, dum in alterum diem Paschatis celebrationem distulerunt, ut Christum occiderent. Illam opinionem, ait confirmari testimoniis Eusebii, Joannis Chrysostomi, Mosis Barcepha, et Joannis Darensis. Itaque ejusdem operis cap. XIV. hunc ordinem a Christo observatum fuisse constituit in ultima coena. Edisse Pascha legale: postea coenavisse stantem: lavisse pedes discipulorum; recubuisse, docuisse eos mysterium ablutionis illius, mox instituisse Sacramentum corporis et sanguinis sui, tandem relatum a Joanne sermonem ad illos habuisse. Verum capite V. monet ambigi inter doctos, an Christus Pascha legale comederit ipso illo die, an vero ipse fuerit verum Pascha, typico altero praefiguratum. Dicit Hippolytum Romanum, Mar-Joannem, Mar-Jsaac, et quosdam alios in ea opinione fuisse: *quod Dominus ea vespera Pascha legale non comederit, sed discipulis suis Pascha verum fuerit.* Itaque verba haec, *desiderio desideravi hoc Pascha mandu-*

care vobiscum, de ipso Christo intelligenda esse, non de Agno Paschali. *Passionem*, inquit, *suam designabat, ad cujus similitudinem accepit panem et fregit pridie quam pateretur, docens eos, ne cum Judaeis agnum immolarent, et comederent. Ipse enim erat qui tanquam agnus pro ipsis mactandus erat, ea die quam Prophetae de eo praedixerant.* Haec tamen sententia illi non probatur, duasque idcirco coenas distingui jubet: primam quae a stantibus peracta est, quam Legalem fuisse credit, quod ita ex Legis praescripto agnus erat comedendus: alteram in qua novum Pascha instituit. Usi sunt eodem argumento plurimi, non recentiores modo Theologi, sed etiam veteres, quo tamen nihil efficitur: et ab aliis peccatum est ignorantia Rituum Judaicorum. Certum enim est ex antiquis illorum monumentis, quaedam in primo Paschate, quod in exitu de Aegypto celebratum est, observata fuisse, quae postmodum omissa sunt, atque inter alia, stantes et renibus accinctos comedere, baculos habentes in manibus, et quaedam hujus generis, diligenter notata ab antiquis autoribus: in *Hagadat Happesach*, in Tractatu Pesachim, et passim alibi. Neque locum hic habere potest vulgaris illa exceptio de futilitate Judaicarum Traditionum, et ineptis fabulis, quibus scatere Pandectas Talmudicos non inficiamur, illis praesertim quas ex odio Christianae Religionis natas et propagatas agnoscimus. At quae consuetudines veteres, disciplinamque spectant, quae vigeret stante templo, ea neque Judaeis prosunt, neque Christianis nocent, imo saepe ad scripturae sacrae, etiam Novi Testamenti intelligentiam plurimum lucis afferunt. Plerosque autores non minus veteres quam recentiores, non satis perspectas habuisse caeremonias, quae stante templo in usu erant, multis argumentis demonstratur, et Graeci illas praecipue ignoraverunt. Neque id mirum, cum inter Judaeos Hellenistas doctissimus Philo, eas nesciens, plerosque in errorem induxerit. Itaque Graeci dum Latinis circa Azyma litem ex Paschatis celebrandi ratione moverunt, in absurda multa incurrisse nolentes, deprehenduntur, quae Syri quidam non effugerunt, dum ut Fermentati sui usum stabilirent, adjecerunt narrationi Evangelicae in Liturgia, *Christum accepisse panem fermentatum*, quod ex Evangelio non habetur. Hac enim in parte Romanae Ecclesiae traditio, magis constat ipsa sibi: nam cum exemplo Christi se tuetur, et illum celebrasse Pascha Mosaicum vulgo docet, recte Azymo pane utitur, quo solo usum illum fuisse constat, modo Legem quam adimpleturus veneral, observaverit. Fermentati enim, a prima illa vespera ad octavam usque diem usus, sub excidii poena erat prohibitus, quam legem si summo jure Christus omisisset, plenam dabat Judaeis, ipsique proditori, qui Coenae Paschali interfuerat, calumniandi materiam. Qui enim dicebant, cum per summum miraculum hominem Sabbato curatum vidissent, *iste homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit*, quid de legitimi Paschatis violatione dicturi non fuissent? Verum de hoc argumento vix Orientales aliquid scripserunt, nisi in Commentariis ad Evangelia, aut cum adversus Armenos disputarent: qui Azymis utuntur, sed ita ut illam disciplinam a Latinis non acceperint magis, quam pravam et omnium Ecclesiarum traditioni contrariam consuetudinem, aquam vino consecrando non admiscendi.

4. Propter opera nostra odibilia non prives populum tuum dono tuo coelesti.

Similis deprecatio occurrit in multis Liturgiis non modo Syriacis, sed Aegyptiacis, quam ob Severi magnum inter Jacobitas nomen, hic paucis explicabimus, eo magis quod colorem quemdam erroris circa fidem gravissimi referre videatur, a quo tamen Orientales sunt alienissimi. Quidquid enim Ecclesia semper docuit, et adversus Donatistas propugnavit de integritate Sacramentorum, etiam si per malos et peccatis plenos ministros celebrentur, id agnovit Orientalis Ecclesia. Nam de Baptismo ita administrato nunquam dubitavit, quamvis de eodem ab Haereticis suscepto, aliquando variis Theologorum suorum opinionibus agitata fuerit. Fuerunt enim qui talem Baptismum penitus damnavere, neque modo susceptum ab illis haereticis, quorum Baptismum vetus Ecclesia rejecit, sed omnium qui a Jacobitica fide alieni essent, ut Nestorianorum et Calchedonensium, ut vocare solent Orthodoxos, quos in eadem classe collocant. In eum errorem casu potius, et temporum calamitate, quam certo consilio prolapsi sunt. Nam cum Canones Conciliorum veterum in Syriacam linguam transferrent, quod factum est paulo post occupatam a Muhamedanis Syriam, Carthaginiense octoginta septem Episcoporum sub Cypriano, reliquis conjunxerunt, tantique Martyris nomen illis fraudi fuit, dum homines veteris historiae haud satis periti, quae ab illis Episcopis de rebaptisandis haereticis constituta fuerant, eodem loco habuerunt, ac reliqua Conciliorum decreta. Itaque Concilium illud, Epistolae Cypriani, et Episcoporum sententiae referuntur in antiquissima Canonum Collectione Syriaca, quae extat in optimo Codice Mediceo, absque nota ulla censoria. Hinc occasionem, autoritatemque nacti Jacobitarum doctores praecipui, Severus in primis, Orthodoxorum Baptismum damnare coeperunt: nam extat in Syrorum Nomocanone similis ejus nomine Constitutio, quam nonnulli secuti sunt: prudentiores alii, non probaverunt. Verum haec ad Baptismum solum pertinebant: de reliquis Sacramentis ab homine diversae fidei celebratis, nihil videtur publice constitutum. Si quid a furiosis quibusdam zelotis, ulterius attentatum est, odio potius quam jure factum satis agnoscitur. Jacobitas enim quosdam Episcopos Eucharistiam a Melchitis seu Orthodoxis consecratam, proculcasse legimus, et vicissim a Graecis Latinorum, a Latinis Graecorum Sacramenta eodem modo projecta sunt, nullo jure. Sed de his non agitur in ista et similibus orationibus.

Istius autem haec sententia; orare Sacerdotem, ut Deus ad peccata Sacerdotis et aliorum, non attendat, aut eorum causa Christianum populum circumstantem, beneficio quod exspectatur privet, nempe effectu orationis, et elementorum propositorum consecratione. Ita enim, verbisque magis perspicuis, id significatur in Copticis orationibus. Quod a Sacerdotum merito, vitaque illorum inculpata effectus Sacramenti pendeat, nemo Theologus inter Orientales existimavit. Ita igitur orant ex cordis plenitudine, propriaque indignitatis conscientia, fatendo se tanto tamque mirabili ministerio indignos esse: timereque ne sui causa Deus gratiam et beneficium quod postulatur et

fide exspectatur, subtrahat. Fatendum scilicet eos quamvis de sacerdotali dignitate praeclare sentiant, de qua fuse loquuntur in orationibus quae ad Ordinandos Sacerdotes usurpantur, nescire tamen multa, quae de operatione Ministri ad consecrandum panem et calicem in corpus et sanguinem Christi subtilissime a nostris Theologis disputata olim fuerunt. Neque in ea opinione sunt, ut existiment Sacerdotem nisi imperando, nihil efficere: verum precibus Ecclesiae plurimum tribuunt: homini praeter ministerium nihil, nisi ut certam spem et fidem Sacerdos habeat, Deum per Spiritum sanctum, autorem, ut saepe vocatur, Sacramentorum et consummatorem, preces audire, et perficere invisibili effectu, id quod visibili ministerio celebratur. Non igitur rigide intelligenda haec oratio est: neque similes affectus in quibusdam aliis orationibus supprimendi, causa satis idonea videtur, quam Lusitani censores attulerunt in Synodo Diamperensi, inde existimari posse Sacerdotem non consecrare, sed Spiritum sanctum.

Plura de hoc argumento dici possent, et variis Theologorum autoritatibus confirmari, sed una sufficiet ducta ex Synaxario majore Ecclesiae Alexandrinae Ms. Arabico Bibliothecae Seguierianae. In eo ad diem XXX. mensis Cohiac, commemoratio fit Abbatis Joannis Archimandritae, famosi illius in Sceti ad S. Macarium Monasterii. In ejus vita dicitur illum cum Liturgiam celebraret et populo Sacramenta distribueret agnovisse divinitus peccatores et justos: saepeque vidisse Christum Dominum et Angelos super altare. Accidit quodam die ut Sacerdos malae famae, veniret ad Ecclesiam: cumque ad ostium pervenisset, vidit eum Joannes septum spiritibus immundis, qui fraenum ori ejus injecerant. Statimque vidit Angelum Domini egredientem ex altari, cum gladio flammeo, qui eos depulit. Intravit itaque Sacerdos ille in Ecclesiam et ubi ornamenta sacerdotalia induisset, totus igne circumdatus apparuit: sacris mysteriis celebratis et ornamentis depositis, ut Ecclesia pedem extulit, daemones iidem illum circumdederunt et abduxerunt. Hanc visionem narrabat Abbas Joannes, inquit autor, fratribus suis, ut doceret eos, quantum ad sacrum ministerium, discrimen nullum esse inter Sacerdotem justum, et peccatorem: quia propter fidem plebis, eodem modo panis efficitur corpus Christi: quia ut sigillum regis in quacumque materia sit, ferro vel auro, unum est; ita sacerdotium unum est: sed Deus reddit unicuique secundum opera sua. Historiam qualiscumque sit nihil moramur: neque enim ignoramus, quam faciles sint Orientales in referendis miraculis. Verum ex ipsis fabulis veritas elicitur: nam qui narrant sanationes divinitus factas ad sepulcra Martyrum, aut per illorum reliquias, frustra eos non invocari credunt: qui apparuisse carnem et sanguinem in Eucharistia credunt, illi verum Christi Corpus et Sanguinem illam esse non dubitant. Similiter ex illa narratione manifestum est Orientales credere Sacramentorum effectum a ministri dignitate non pendere.

Reliqua, cum communi omnibus Liturgiis disciplinae respondeant, nulla luce opus habent, satis ex se perspicua.

LITURGIA

PHILOXENI EPISCOPI

MABUGENSIS, SEU HIEROPOLITANI.

Oratio ante Pacem.

Deus vita omnium, lux ante initia rerum existens et nostris omnibus cogitationibus excelsior, dignos effice nos, ut cum timore stemus coram te, dantes nobis invicem pacem, in caritate unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo, bono, adorando, vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det quisque pacem.

Populus. Dignos fac.

Diaconus. Postquam.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Dexteram tuam invisibilem Domine demitte, et benedic adoratores tuos, qui nunc inclinantur coram te: per multitudinem miserationum unigeniti Filii tui, per quem, et cum quo, te decet gloria, honor, et potestas, cum Spiritu tuo, sanctissimo, bono, adorando, vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos dicit Orationem super velum.

Te deprecamur in hac hora Domine, ut des nobis gratiam Spiritus tui sancti, et corrobores nos ad ministerium hoc spirituale, depellasque, et ejicias a nobis omnes cogitationes foedas, et phantasmata terrena: per clementiam unigeniti Filii tui: per quem, et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo et bono, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Populus. Cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Dignum et justum est, ut omni hora te adoremus et laudemus, Pater, Fili et Spiritus sancte, unus Deus vere.

Elevans vocem. Te laudant coelestes, Domine, te exaltant terrestres: turmae etiam spirituales quorum agmina innumera supputari non possunt, ad invicem voces triumphales, sibi succedentes, cum exaltationibus praeclaris efferunt laudantes, clamantes, et dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus et laudandus es Domine Deus noster, qui misisti Filium tuum in mundum, is autem corpus assumsit ex Virgine Maria, perfecitque dispensationem, et salvavit figmentum suum, ab eo quod erat Deus, non recedens.

Elevans vocem. Volens autem voluntate sua gustare mortem, pro nobis, et perficere Pascha legale, [2] accepit panem in manus suas sanctas, et elevavit oculos suos ad te Deum Patrem: gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, et dedit ordini Apostolorum sanctorum, et dixit. Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et dividitur, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem vino et aqua miscuit, † gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, et dedit turmae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc etiam praecepit, et admonuit eos: Quotiescumque mysteria haec celebrabitis, ad mortem et resurrectionem meam commemorandam facietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Nos igitur peccatores, observantes mandata tua sancta et vivifica, memoriam agimus dispensationis tuae: nativitatis tuae ex Virgine: baptismi tui a Joanne: passionum tuarum voluntariarum: sepulturae tuae salutaris: resurrectionis tuae gloriosae, ascensionis tuae in coelum, et sessionis tuae ad dexteram Dei Patris: laudesque et exaltationes nomini tuo adorando offerimus: rursus etiam adventus tui secundi, in quo omnia operta in apertum expones. Et propter hanc dispensationem tuam salutarem, sacrificium hoc offerimus tibi; vocibusque gementibus et suspiriis deprecamur, ut non facias nos partem ignis illius ardentis, quia Chrisma [3] tuum sanctum signatum in nobis est: neque cruciandos nos tradas, in flamma illa flagrantissima, quia sigillo crucis tuae vivificantis obsignati sumus. Neque dominetur vermis stridens dentibus in membra nostra, quia corpus tuum sanctum conditum in nobis est. Non illam vocem terribilem nobis pronuncies, Discedite a me maledicti, non novi vos, quia fratres tuos vocasti et appellasti nos, ex aqua baptismi. Verum propter misericordiam tuam, colloca nos in regno tuo coelesti, et laetifica nos cum sanctis tuis gaudio indeficienti. Et propter ista praecipue, poenitens Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, tecum clamat ad Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque Domine.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Dona paracletica Spiritus tui sancti, et vivificantis, mitte mihi nunc Domine: Spiritus illius qui neque tempore, neque quantitate, neque qualitate circumscribi potest. Qui super Jordanem fluvium in columbae specie apparuit, qui super Apostolos sanctos requievit, in similitudine linguarum ignis. Ipse sanctificet mysteria haec, meque peccatorem mundet, abluat, et purificet a passionibus peccati.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per illapsum suum, perficiat panem istum, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod in hoc calice est, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis mysteria haec vivifica, praeservantia ab omnibus iniquitatibus, daemones propulsantia, depellantia omnes sordidas cogitationes, et praeparantia ad regnum coeleste, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor, et potestas, cum Spiritu tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Ecclesiae tuae, Pastoresque, Sacerdotes et Diaconos qui in ea sunt exorna timore tuo.

Elevans vocem. Et concede illis Domine tempora tranquilla et lacta: Illis etiam qui in ea praesident, da verbum evangelisationis cum virtute magna: quia apud te est fons vitae, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine etiam illorum qui pro Ecclesia tua solliciti sunt, et vigilant ad sustentationem eorum qui necessitatem patiuntur.

Elevans vocem. Inclina Domine aurem tuam, et audi voces et supplicationes adorantium te, suscipe oblationes et primitias quae ab Ecclesia tua offeruntur, quia tu susceptor es sacrificiorum et oblationum: et referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium, qui recte confitentur te, et concede illis victoriam adversus hostes eorum.

Elevans vocem. Aufer Domine a populo tuo fideli omnia bella hostium, visibilium aut invisibilium, et confirma nos in tranquillitate et pace omnibus diebus vitae nostrae; quia tua est victoria, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine amicorum tuorum Mariae Genitricis Dei, Beati Joannis, Stephani Martyris, et omnium Sanctorum.

Elevans vocem. Et nos fac participes Domine, orationum servorum tuorum, et praesta nobis, ut imitemur mores eorum, quia

ex te est omne donum optimum et perfectum, et referemus tibi gloriam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Doctorum divinorum, eorum qui promulgaverunt verbum sanum doctrinae tuae, Ecclesiae sanctae, et adjunge nos ordinibus eorum.

Elevans vocem. Tu es enim Domine qui eos elegisti, et exhibuisti eos splendentes in saeculo. Per orationes et preces eorum, eripe nos a tentationibus adversis, et in ordinibus eorum colloca nos, quia a te sunt dona, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine defunctorum fidelium qui te inducrunt ex baptismo: praesertim vero patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum.

Elevans vocem. Et deprecamur te Domine multae misericordiae, ut suscipias animas eorum in habitaculis Jerosolymitanis, sinuque Abrahamitico; neque reputes illis peccata quae commiserunt in hoc saeculo iniquitatibus pleno, quia ne quidem unus est ex natis mulierum, qui purus sit a peccatis, praeter Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, per quem nos etiam speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum propter eum, et nobis et ipsis.

Populus. Quietem praesta et veniam concede.

Sacerdos. Extingue Domine et comprime passiones peccatorum, quae voluntarie aut involuntarie coram te commisimus, et deduc nos et defunctos nostros, in regnum tuum coeleste, ut in hoc in omnibus, et ab omnibus laudetur et extollatur nomen tuum benedictum, nec non Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax vobiscum.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit et signat Oblatam. Mox dicit Orationem ad Pater noster.

Deus Pater sancte qui habitas lucem inaccessibilem, cui ministrant Angeli: munda et sanctifica corda nostra, ut pronuntiemus

orationem quam unigenitus Filius tuus docuit discipulos suos sanctos, in puritate animae et sanctitate corporis: clamemus ad te Deus Pater misericordiarum, oremus et dicamus. Pater noster, qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. O mitis et veniae largitor, ne permittas nos incidere in tentationes graves, sed fortitudine dexterae tuae libera nos a tentationibus noxiis, quae superent vires nostras: quia tuum est regnum, virtus et laus, ut etiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Coram Domino.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Quia ex te est omne donum optimum et perfectum, et omnia munera laetitiae, rogamus te Pater lucis, ut illumines mentes nostras, et eorum qui inclinant colla coram te, nosque et illos dignos efficias, ut cum timore et concordia, communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui, et referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto, nunc etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia sit.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Laudamus te, Domine Deus, et gratias agimus bonitati tuae, glorificamusque majestatem tuam, eo quod nos dignos fecisti accedendi ad mensam tuam sanctam et communicandi mysteriis vivificantibus. Te igitur obsecramus Domine, ne condemnes nos in die illo terribili judicii, sed libera nos a damnatione et confusione: adjunge nos consortio Sanctorum tuorum: et cum eis atque inter eos referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo; et Spiritui sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post communionem.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Adorationem offerimus tibi Rex sancte, Domine noster Jesu Christe, qui praestitisti nobis ut misceretur corpus nostrum corpori tuo sancto, et sanguis noster sanguini tuo pretioso. Idcirco adoramus majestatem tuam: laudamus divinitatem tuam: praedicamus misericordias tuas: non aberrantes a veritate tua. Deprecamur etiam te ut benedicas nos omnes, benedictionibus tuis coelestibus, et liberes nos a tormentis quae praeparata sunt operantibus mala. Dignare nos habitaculo quod promisisti diligentibus te, constitue nos ad latus tuum dextrum, et ignosce nobis peccata omnium nostrum aequaliter, et referemus tibi gloriam et laudem, Patrique tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc et semper.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic, conserva et protege nos omnes.

IN LITURGIAM PHILOXENI

NOTAE.

Niceph. l. 16. c. 27.

Philoxenus, aliter Xenaias appellatus, Graecis autoribus notus est ex Nicephoro qui Persam illam fuisse genere et servum conditione scribit, quique nec dum baptisatus, Clericum se mentitus fuerit et ad Antiochenam Ecclesiam venerit, a qua Calandion Episcopus Orthodoxus ejus nequitiam ex signis non obscuris agnoscens, illum expulit. Petrus vero Gnapheus illum ἔτι ἀμύητον ὄντα τῆς γείτονος ἱερᾶς πόλεως πρόεδρον κατεστήσατο: *licet nondum initiatum vicinae Hierapoleos antistitem constituit.* Is postea magnas contra Synodum Calchedonensem et Flavianum Antiochenum turbas excitavit, quas fuse recenset idem Nicephorus. Unde cum Monophysitae similes zelotas non paucos habuerint, quos magnis honoribus prosequuntur, Philoxenum inter eos locum habere mirum videri non debet. Ejus sane memoria celebratur in Diptychis multarum Liturgiarum Syriacarum: ut etiam nomen ejus recensetur inter Ecclesiae doctores in formula, quam Ordinandis proponi solitam reperimus in Pontificali Mediceo. Recensetur quoque in eorum numero, ab autore Tractatus

de fide Patrum, et a plerisque aliis Jacobitis: multa enim scripsit Syra sua lingua. Extat satis spissum volumen ejus Orationum Syriacus in Bibliotheca Seguieriana, antiquus et bonae notae, sed lacer et male habitus, in cujus titulis Xenaia quoque appellatur. Nomen istud Persicum non est, ut existimavit Nicephorus, sed Syriacum ex Graeco Ξένος formatum, quod hospitem et extraneum significat magis tamen, hunc et peregrinum, quam qui hospitalitatem exercet: quamvis Petrus Gnapheus Graece Philoxenum illum appellari maluerit. Fuit autem Episcopus Hierapoleos, quam urbem Syri *Mabouge*, Arabes *Menbige* vocant. De eadem urbe multa leguntur apud Geographos Arabes, Abulfedam, Yacutum et alios, ex quibus observationes eruditas collegit vir doctissimus Jacobus Golius in Commentario ad Alfraganum, quas consulere quisque potest. *P. 260.*

Ut porro rem nostram agamus haec Liturgia extat in aliquot vetustis exemplaribus, praecipue in Colbertino 3922°. In multis aliis, uno Colbertino 3921°. Seguierianis, et aliis, reperitur ejusdem tituli una, sed penitus diversa: quam subjiciemus. Tertia quoque occurrit in Codice Seguieriano, Philoxeni Episcopi Bagdadensis, de qua suo loco dicetur.

2. *Volens perficere Pascha legale.*

Idem legitur in aliquot aliis recentioribus, ut in praecedenti ex communi traditione, quae tamen plerasque rationes Graecorum ad fermentati panis necessitatem stabiliendam omnino conturbant. Nam si in Coena Paschali aut post eam statim Eucharistiae Sacramentum institutum est, eo pane Christum usum fuisse qui in mensa foret, et qui in ea adhibitus fuerat, verisimile esse, Latini non pauci, maxime veteres prope omnes cum Graecis disputantes statuerunt. Inde factum ut ex istis nonnulli Christum Pascha legale non celebrasse contenderint: quorum duos recenset Photius in Bibliotheca sua: et extant aliquot fragmenta opusculorum de eodem argumento in variis codicibus Mss. Inter Orientales Theologos, qui in ea sententia fuerint, pauci reperiuntur. *Cod. 115. et 116. Lambec. Bib. Caes. l. 5. p. 37.*

3. *Quia Chrisma tuum sanctum signatum in nobis est.*

Myron vox Graeca est usus Ecclesiastici, quam Syri, Arabes et Orientales reliqui suam fecerunt, ad significandum Chrisma, quo baptisati in fronte signantur. Praecipue vero apud Orientis Ecclesias ea voce significatur Sacramentum Confirmationis, ut in Latina appellatur. Cum vero simul administrari cum Baptismate soleat, per totum Orientem, ut olim in Occidente mos fuit, quando Episcopus aderat, multi temere Graecos et reliquos Orientales Christianos, Confirmationem agnoscere tanquam novae legis Sacramentum, negaverunt, eo magis, quod a Presbyteris apud illos administratur, non ut

apud nos, a solis Episcopis. Quam inanis esset illa accusatio, alibi probavimus: et ex isto Liturgiae loco satis intelligi potest, quam religiose de Myro, seu Confirmatione, quae idem est, Jacobitae sentiant, quorum ea in parte eadem est ac reliquorum Orientalium Christianorum fides et doctrina. Comparant enim illud cum Baptismo, et Eucharistia, quae duo Sacramenta agnoscere illos nemo dubitat. Orant quippe, ut igni aeterno non tradantur: quia signati sunt Chrismate, donumque Spiritus sancti acceperunt; nam in consignatione dicitur *Sigillum doni Spiritus sancti,* ut apud Graecos: tum, quia Eucharistiam acceperunt, quod exprimunt, ita ut metaphorae locus non sit, cum dicunt corpus Christi conditum et depositum fuisse in illis: tum quia per Baptismum regenerati sunt. Agnoscunt igitur gratiam, ut vulgo dicitur, sacramentalem in Chrismatis unctione, non minus quam in Baptismo, et Eucharistia, atque adeo illud Sacramentum esse confitentur.

Perpet. Tom. 5. l. 2. c. 11. etc.

Quod autem verbum hic usurpatur ad significandam consignationem, illam ex usu Ecclesiastico proprie designat, quae fit in omnibus Sacramentis impresso simul crucis signo, et ea observatur in Confirmatione administranda, nam unctio fit in crucis formam ut in aliis omnibus sacris caeremoniis, in quibus Chrisma adhibetur.

4. Invocatio Spiritus sancti.

Eadem quae aliis omnibus Liturgiis hic observatur Invocationis forma, Graecis persimilis, quam ideirco vexare inutile est: neque enim inter Codices bene multos Syriacos, quos tractavimus, unus alicujus antiquitatis reperitur, in quo aliter se habeat, si recentissimos quosdam a Maronitis reformatos excipimus. In ista legitur ut perficiat נגמר, ut in aliis נשתלי, quae duae voces respondent Graecae τελειώσῃ, quae perfectam et consummatam consecrationem significat. De illarum porro et aliarum quae in hac oratione usurpantur vocum significatione et tota quae inde oritur quaestione, cum alibi copiose dictum fuerit, nihil adjiciemus.

5. Memento Domine Regum fidelium.

Haec antiquitatis nota esse posset, si a Philoxeno scriptam hanc Liturgiam fuisse constaret: nam vixit ille sub Christianis Imperatoribus, et iis qui ex ejus sententia, rectam fidem propugnabant, Zenone scilicet et Anastasio, quos maximis laudibus efferunt Jacobitae, et inter sanctos suos collocant, ut patet ex Coptitarum Kalendario. Sed nihil inde effici potest, cum eadem formula sit in aliquot Liturgiis, quorum autores sub Muhamedanorum imperio vixerunt: ut alibi observavimus:

LITURGIA

PHILOXENI II^a. HIEROPOLITANI.

Primum Oratio ante osculum pacis.

DOMINE Deus potens et incomprehensibilis: abscondite et ininvestigabilis: tranquillitas et gaudium superiorum: pax et laetitia inferiorum: caritas indivisibilis: et dilectio fraudis expers: gaudium justorum, triumphus piorum, spes Sanctorum: refugium lugentium: ad te clamant animae nostrae: et deprecantur te spiritus nostri, ut uno vinculo caritatis nos invicem conjungas, et in osculo sincero, et pace omnis doli vacua, adoratores tuos unias: fiamusque tibi unum corpus indivisum, quod te glorificet, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum sanctissimum, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Deus largitor benedictionum et distributor donorum: potens in muneribus, et dives in auxiliis, benedic dextera tua potenti et brachio tuo excelso, oves gregis tui spiritualis, et mitte illis de sublimibus sanctis tuis, omne datum optimum et omnia dona perfecta. Imple etiam corda eorum gaudio et voluptate tua spirituali, ut satientur gaudio vultus tui, et pinguedine domus tuae, referantque tibi gloriam et laudem, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto et optimo.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Deus lux vera et ineffabilis, qui es sine principio, causa, et tempore: pater lucis, et splendoris aeterni: illuminator mundi, et conditor creaturarum, qui per amorem

tuum infinitum erga homines, misisti Filium tuum unigenitum ad salutem nostram: qui absque ulla mutatione incarnatus est ex Spiritu sancto, et ex natura humana: salvavitque genus nostrum a corruptione et morte peccati, deditque nobis vitam, adoptionem et regnum coeleste. Tu nunc etiam Domine per multas abundantesque miserationes benignitatis tuae, suscipe sacrificium hoc coram te propositum, ad propitiationem delictorum nostrorum, et remissionem peccatorum nostrorum: ut abstersi per emundationem, et aspersionem hyssopi tui, efficiamur templa munda ad habitationem gloriae tuae, et locus habitaculi ² sanctitatis tuae: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Miserationes, etc.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Te decet hymnus et laudatio: tibique debetur adoratio ab omnibus ordinibus superioribus, et inferioribus, infimaeque conditionis: neque sufficiunt linguae omnes ad laudandum te; sicut convenit honori tuo: quia tu per bonitatem tuam aeternam sublimis es, et supra sanctificationes omnes, per excelsam incomprehensibilitatem tuam.

Elevans vocem. Tu in throno tuo excelso splendide, et clementer extolleris, per cantus spirituales, hymnosque triumphales suaves, substantiarum simplicium et materiae expertium: per rotas spirituales et terribiles: per diversos jubilos Angelorum fortium; per cantica suavia Angelorum: per concentus dulces Principatuum: per choreas et tripudia Virtutum: per citharas spiritu compositas Potestatum: per voces puras et gratas Dominationum: per clamores terribiles Thronorum: per tonitrua tremenda exultationis Cherubim multioculorum: per volatus ardentes Seraphim sex alis instructorum, qui oribus igne textis et labiis carbonibus opertis trinam sanctificationem concinunt, clamantes, vociferantes et dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater: Sanctus unigenitus Filius tuus sanctus: Sanctus Spiritus tuus sanctus: qui creasti per gratiam tuam genus humanum; habitationemque in paradiso dedisti illi, voluptatemque qualis in eo erat, praeparasti. Cum autem a maligno ejus deceptore seductus fuisset, et a te in exilium pulsus, dejectus est ad infimam sortem, humilitatemque mortis, et cum ad ea translatus fuisset, misisti Verbum Deum unigenitum Filium tuum, qui absque mutatione incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine benedicta. In mundo secundum dispensationem suam conversatus est, reduxitque nos ad patriam nostram pristinam.

Elevans vocem. Qui cum universam dispensationem suam salutarem et vitae plenam, complevisset, virtutesque et miracula universis creaturis exhibuisset, potestatemque rebellis et seductoris undique sustulisset: atque ad passionem salutarem per amorem erga homines suum veniens, agnum illum legalem [3] cum turba discipulorum suorum comedisset: accipiens panem in manus suas puras, sanctas, immaculatas et impollutas, elevans oculos in coelum, aspexit ad te Deus Pater et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis sanctis dicens: Accipite: comedite ex eo: Hoc est corpus meum, quod vos et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem vino et aqua temperatum, accepit et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis Apostolis suis sanctis: dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti Novi, quod vos et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Semper autem ita facite ad commemorationem mortis meae: quotiescumque enim panem hunc manducabitis et calicem hunc bibetis, mortis meae memoriam facietis, et resurrectionem meam annuntiabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos elevans vocem. Universam periodum dispensationis tuae Domine, commemorantes, obstupescimus, et admiramur judicia inscrutabilia tua: abyssumque impenetrabilem dispensationis tuae salutaris propter nos: conceptum tuum, per quem benedicti fuerunt omnes concepti: nativitatem tuam mirabilem, et miraculo plenam:

Baptismum tuum sublimem et admirandum: miraculorum tuam operationem, ad quam mentes obstupescunt: passionem tuam placidam et salutarem: mortem tuam vivam et vivificantem: sepulturam tuam plenam spe et salute: ascensionem tuam de terra in coelum: sessionem ad dexteram Dei Patris: adventum tuum e coelo secundum et terribilem, quando coram te ordines flammei stabunt, et principatus spirituales tibi ministerium exhibebunt: cum resurrectionem hominum omnium facies: et in justitia unicuique secundum opera sua retribues: cum opera igne examinabuntur, omniaque secreta et occulta in apertum prodibunt: cum impii et iniqui tenebras exteriores, et stridorem dentium haereditabunt: maligni, oppressores, et fures in ignem foveae inferioris projicientur: in vinculis, baratro, tinea et verme in aeternum futuri: cum pii, justi et sancti, in tabernaculis luce splendidis habitabunt, et in vestimentis puris super nubem lucidam extollentur: et ad thalamum gaudio plenum, in domum regni ascendent. Miserere Domine, illa hora sententiarum ferendarum, agnorum ovilis tui, qui signati sunt cruce tua salutari: et depelle flammam a corporibus in quibus absconditum est corpus tuum sanctum: et prohibe vermem et tineam ab ovibus quae comederunt te cum fide: protege etiam corpora, quae sanguine tuo tincta sunt, a tenebris omni luce carentibus. Conserva quoque captivos tuos a vinculis perditionis: et propter haec et similia Ecclesia et grex tuus deprecatur te, et Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri Domine, secundum multitudinem miserationum tuarum: peccata etiam et delicta quae commisimus coram te, dele et munda: absterge quoque maculas nostras hyssopo tuo, omnia dealbante: et mitte super nos et super oblationes istas quae tibi offeruntur, spiritum tuum sanctum, et illas sanctifica: illum Dominum vivificantem, aequalem tibi essentia, gloria, virtute et voluntate, et unigenito Filio tuo ipsum qui loculus est per Prophetas, sanctificavitque efficacem operationem suam in Martyribus et Sanctis.

Populus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ut illabens, efficiat panem quidem istum † corpus vivum et vivificans, † corpus salutare, † corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam, suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat, † sanguinem Testamenti Novi, † sanguinem salutarem, † sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam, suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut per sanctitatem suam, sanctificent corpora peccatorum, et mundent animas eorum qui maculati sunt, fiantque erga eos omnes qui illis communicaturi sunt, ad propitiationem delictorum et criminum, abolitionemque peccatorum, et nequitiarum: ad fermentum benedictionum et sanctitatis: ad liberationem ab omnibus dolis maligni, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Audi Domine orationes, et precationes nostras: neque avertas faciem miserationum tuarum a nobis propter peccata nostra multa. Suscipe quoque a nobis sacrificium hoc, sicut oblationem justorum, qui spem habuerunt in majestate tua. Memento Ecclesiae tuae sanctae, et omnium Pastorum: praecipue vero sanctorum et beatorum Patriarcharum nostrorum DD. N. et N. Episcopi quoque nostri D. N. cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis: concede quoque illis virtutem et potestatem, ut pure et sancte pascant illam. Memento Domine Sacerdotum qui in ea ministrant, et omnium Ordinum, qui honori tuo separati sunt. Memento etiam Domine, mei infirmi servi tui: non abjicias me, propter ea quae in me odio digna sunt: neque memores mihi peccata quae te ad iracundiam provocant. Verum dele et aufer peccata mea, et culpas, totiusque gregis tui redemti per crucem tuam.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et cum te ad auxilium et opem imbecillitatis nostrae invocamus, Domine ne despicias supplicationem adorantium te: atque exaudi preces gregis tui spiritualis, Pastor bone et vere: salva agnos tuos et libera possessionem tuam a manu ho-

minum impudentium. Adjuva pauperes et male habentes: libera afflictos et oppressos, et eos qui a spiritibus malis tentantur eripe: rege orphanos, satia famelicos plenitudine benignitatis tuae. Da auxilium illis qui sunt in itinere, et illis qui in mari, fluctibus et tempestatibus agitantur; et protege Ecclesiam tuam, quae per crucem tuam redemta est: exalta quoque ejus praesules, per firmam veritatis fidei observantiam, et referemus tibi gloriam etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine illorum qui curam gerunt Ecclesiae tuae sanctae, et qui pauperes adjuvant et necessitate pressos; ut eos qui separaverunt, et obtulerunt oblationes, vota et decimas ad altare tuum sanctum, concedeque illis retributionem donorum sublimium, in utroque saeculo.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Retribue Domine bona, et benedictiones abundantes, omnibus qui sollicitudinem et curam gerunt pauperum et peregrinorum; et illis esto adjutor et refugium. Omnes etiam qui visitant captivos, infirmos et afflictos: omnesque qui curam habent Ecclesiarum et monasteriorum sanctorum, custodi absque damno: liberaque illos a scandalis; praeparaque illis habitacula nova, et lucis plena, voluptatemque in regno coelesti, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Comprime Domine tumultus Regum, militum et inimicorum qui bella gerunt: et reple tranquillitate ecclesiam tuam sanctam: libera eam a tumultibus, dissensionibus, et divisionibus, ut cum sedulitate glorificemus te, et in tranquillitate honoremus te.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Rex coelestis, et gubernator omnis creaturae Domine, compesce reges et exercitus qui bella movent, comprime pugnas a finibus orbis: libera gregem tuum a bellis, dissidiis, et contentionibus: exalta Ecclesiam tuam vocibus orationum, canticisque deprecationum: et depelle ab ea offendicula et schismata: orna illam doctrinis Orthodoxis, et doctoribus amplectentibus veritatem fidei: auferque ab ea rixas haereseon perniciosarum, et referemus tibi gloriam etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento quoque Domine, omnium piorum et justorum, Patrum et Prophetarum sanctorum, qui ab Adamo, usque

ad hanc diem tibi placuerunt; Martyrum etiam, Confessorum, et Ascetarum tuorum; Virginis quoque conjugium non expertae Mariae: Joannis Baptistae: Stephani Martyris et primi Diaconorum, omniumque qui simul cum illis sustinuerunt passiones, tormenta, et lacerationes, ut per supplicationes eorum, ab omnibus damnis praeservemur.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Constitue et numera nos Domine inter agmina sanctorum tuorum: inter ordines eorum qui dilexerunt veritatem tuam: inter coetus piorum et justorum qui expectaverunt salutem tuam: inter congregationes Martyrum qui occisi sunt in spe tua: inter praeclaras catervas solitariorum et religiosorum, qui moribus suis placuerunt tibi: in accubitu Monachorum et Virginum familiarium tuorum: in circuitu Apostolorum qui annunciatores et praedicatores fuerunt veritatis tuae: in theatro praeconum et Prophetarum, qui viderunt revelationem tuam: inter festa, exultationes et triumphos agonistarum, qui perfecerunt voluntatem tuam, in regione gaudii et voluptatis indefectibilis tuae, ut cum illis et inter eos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Apostolorum, et totius coetus Evangelistarum, eorum qui a tempore adventus tui salutaris, ad hanc usque diem Ecclesiam tuam sanctam dilataverunt doctrinis sanctis, sudoresque et labores magnos pro ea susceperunt et sustinuerunt.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Congregationes tuas domesticas, commemoramus tibi Domine: invocamusque ad auxilium nostrum illos qui fuerunt luminaria spiritualia, depuleruntque tenebras peccati ab orbe universo: qui fuerunt fontes jucundi odoris, qui potaverunt populos aquis dulcibus fidei: magistros illos doctrina diviles, qui terram veris doctrinis inundaverunt: praedicatores veritatis: scrutatores rerum verarum: felices et strenuos operarios, qui ex terra exstirpaverunt spinas et zizania peccati; qui deduxerunt gregem tuum spiritualem in semitis rectis mandatorum tuorum vivificantium: et ad illos confugientes Domine, in habitaculis et haereditate eorum maneamus: inter choros eorum laetemur et gaudeamus: in convivio eorum epulemur, et per gratiam tuam, cum illis perfruamur bonis coelestibus, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine ad altare tuum coeleste, et ad illud coram quo consistimus, Sacerdotum, Diaconorum, omnium quoque qui ad ministerium tuum animas suas consecraverunt: solitariorum, monachorum, et omnium fidelium, in quorum membris absconditus est sanguis tuus, tanquam pignus vitae; propitius existens delictis illorum et nostris, animasque eorum et spiritus collocans in habitaculis lucis et quietis.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Fac Domine pervenire servos tuos, qui decubuerunt cum spe tua in fide, ad bona illa coelestia, deliciasque indeficientes: et gaudia illa indefectibilia, et voluptates quae non pereunt: ad portum in quo conquiescunt fatigati et jactati: ad convivium illud, in quo exultant Martyres et Confessores, coenamque praeparatam beatis omnibus: praeservans eos ab igne, tenebris et verme qui non moritur, quia nullus est liber a peccatis et delictis inter omnes homines, nisi unus Dominus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Parce populo tuo fideli Domine: peccataque et delicta eorum non recorderis eis; neque manifestentur maculae eorum a justitia tua, illo die quo judicaturus es omnes generationes hominum, et separaturus malos a bonis. Verum expande super nos alas gratiae tuae, ut liberemur a minis et increpationibus quae impiis praeparatae sunt, mereamurque egredi super nubes leves in occursum tuum: et cum invitatis tuis in thalamo tuo spirituali laetemur visioneque tua divina perpetuo, cum gaudio perfruamur: atque in hoc sicut in omnibus glorificetur, laudetur, et celebretur nomen tuum, honorabilissimum et benedictum, simulque Domini nostri, Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater absconditc, incomprehensibilis et ininvestigabilis: qui sublimitate in regno tuo excelso elevatus es: Rex coelestis, qui laudibus spiritualibus celebraris a mille et decies mille Angelis: creator omnium, et dispositor linguarum: doctor verbi rationalis, et perfector sermonum: qui suscipis orationes, audis preces, et respondes petitionibus: qui per bonitatem tuam naturalem et commiserationem aeternam tuam, misisti filium tuum in mundum: et liberavit nos a peccato, morte et Satana: nos etiam docuit viam vitae et semitas salutis plenas: quique orationem Dominicam promulgavit et demonstravit nobis. Praesta nobis Domine, etiam nunc, ut ab iniquitate liberi, remotique ab omni dolo, odio et malitia, purgatique ab omni fraudulentia, et soluti a vinculo peccati, repleti omni puritate et sanctitate, audeamus invocare te Deum Patrem sanctum et omnipotentem, orare et dicere: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. Pater Sancte, et Sanctorum sanctificator, conserva nos in ea sanctitate, quae a te profluit et venit, et libera nos ab omnibus insidiis et versutiis calumniatoris: aufer a nobis inspirationes peccati, et vincula delictorum: et protege sensus nostros sub alis gratiae tuae. Dirige gressus nostros in semitis mandatorum tuorum: quia tuum est regnum, virtus et gloria, et unigeniti filii tui, et Spiritus tui sanctissimi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Inclina Domine aurem tuam ad preces et orationes servorum tuorum, qui coram te, hoc tempore inclinant colla sua: et cum deprecationibus, lacrymis et suspiriis ad te clamant. Respice illos et mitte illis Domine ea quae recte petunt: asperge super eos hyssopum tuum sanctum, et dealba illos: mitte super illos imbrem clementiae, miserationum et salutis: protege illos, et ab omni angustia atque rebellione serva illos: ut digni fiant susceptione mysteriorum tuorum sanctorum et vivificantium, ut con-

spiciamur liberi a peccatis et delictis suis, splendeantque sicut sol in regno tuo coelesti, quia tu es bonus, et multae misericordiae: cum unigenito filio tuo et Spiritu tuo sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis. Gratias agimus tibi Domine Deus noster, pro omnibus tuis erga nos beneficiis: quod liberasti nos a peccato, et praeparasti ad regnum tuum coeleste: quod eduxisti nos ex ore draconis spiritualis, et habitare fecisti nos in Ecclesia tua sancta: quod vocasti nos filios tuos per gratiam, et tradidisti nobis dispensationem mysteriorum tuorum sanctorum et coelestium: quod cum alieni essemus, domesticos tuos fecisti nos per unigenitum filium tuum: qui commiscuit corpus suum corporibus nostris et sanguinem suum miscuit membris nostris: promisitque nobis regnum quod non perit: bona quae non transeunt, et voluptates quae finem non habent. Eapropter laudes puras referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Christe Deus noster, clemens et misericors, qui es propitiatio, et mundatio omnium peccatorum, suscipe oblationes istas, quae a nobis tibi oblatae sunt, sicut oblationes piorum omnium antiquorum, qui exspectaverunt spem tuam, ut attenti, neque spoliati in illis perseveremus: et deliciis mensae tuae spiritualis digni efficiamur, simulque fiducia coram throno majestatis tuae, in illo, quo exorieris die gaudii, laetitiae et exultationis cum sanctis tuis in regno tuo

coelesti: simulque tibi referemus gloriam et laudem; Patrique tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN SECUNDAM PHILOXENI LITURGIAM

NOTAE.

Quae Philoxenum spectant, dicta sunt ad priorem ejusdem tituli Liturgiam, quam ab ista diversam omnino esse satis constat ex praecipuis orationibus, praesertim ex forma verborum Christi, et Invocationis Spiritus sancti. Verba diversa sunt, sed sententia ut in aliis omnibus eadem. Agnoscunt Maronitae recentiores, Philoxeni Liturgiam apud Jacobitas extare; sed quaenam ex duabus quas damus, illis nota fuerit, non significant. Quod autem Naironus illum fuisse Episcopum Berrhoeensem scribit, verum non est. Nam *Mabouge* seu *Menbige*, ut Arabes hoc nomen efferunt, est Hieropolis. Sed Liturgias illas omnes Syriacas, Maronitae recentiores etiam qui aliqua doctrinae laude claruerunt, tam indiligenter tractaverunt, ut illorum judicia nullius ponderis esse debeant. Quod ejus scripta simul cum Homiliis Sanctorum Patrum publice lecta dicit Faustus Naironus, verisimile est: pleraque enim Ethica sunt de Christianorum officiis, neque alia continet vetustissimus Codex Seguierianus, nulla quae ad Theologiam, et ad Monophysitarum opinionis confirmationem spectent: qualia tamen illum edidisse constat ex testimoniis relatis in Tractatu de fide Patrum, et in diversis Theologorum Jacobitarum scriptis. *Nairon. Exopl. p. 52.*

2. *Locus habitaculi sanctitatis tuae.*

Dupliciter haec verba intelligi possunt: prior sensus est is quem versione expressimus qui praecedentibus respondet. Alter, si ultima vox plurali numero accipiatur, quod duobus punctis superpositis Syri significant, et illa saepe omittuntur, talis est *locus habitaculi Sanctorum tuorum:* sancta autem hic intelligi oportet τὰ ἅγια sive *sacra mysteria.*

3. Agnum illum legalem, cum turba discipulorum tuorum comedisset.

Idem legitur in priori Liturgia, et in quibusdam aliis, ex communi Ecclesiarum prope omnium traditione: in qua tamen opinione non fuisse Hippolytum Romanum, ut illum vocant Orientales, neque Mar Joannem, testatur Barsalibi in Commentario ad Evangelium Matthaei, ut in Tractatu de Feria quinta majori et Eucharistiae institutione cap. 5. videnda quae diximus in notis ad Liturgiam Dioscori.

LITURGIA

SEVERI ANTIOCHENI

QUAE IN ALIIS CODICIBUS TIMOTHEI ALEXANDRINI DICITUR.

Oratio ante osculum Pacis.

Deus opifex omnium, praecipue vero hominis, quem secundum similitudinem tuam, fecisti rationalem, et ad id quod est illum produxisti, illumque donis tuis divinis ornasti: qui legem caritatis mutuae nobis posuisti, qui vis ut omnes unum simus, sicut tu et unigenitus Filius tuus, Dominus et Deus noster Jesus Christus unum estis: tu ergo nos ab omni hypocrisi liberans, et corda nostra conjungens per communicationem, et gaudium Spiritus tui sancti, fac nos dignos apprecandi mutuam pacem in osculo sancto, unum corpus et unus Spiritus existentes, sicut et vocati sumus in una spe vocationis nostrae: per Christum Jesum Dominum nostrum, cum quo te decet gloria et honor.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus. Demus pacem unusquisque, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Domine Deus qui dilectum Filium tuum demisisti

e coelis ad nos, ut nos in terra positos in sublime ad te extolleret, inclina etiamnum corda nostra, ad obediendum mandatis tuis, destruens altitudinem tenebrosam quae extollitur in nobis adversus scientiam tui, et captivans omnes cogitationes nostras, secundum formam humiliationis Filii tui, qui lubens humilis factus est propter nos, per beneplacitum tuum Deus Pater, et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus mysteriorum ineffabilium, et inaccessibilium, penes quem sunt thesauri absconditi scientiae et sapientiae, qui ministerium officii istius nobis revelasti, cum adhuc infantes essemus, ut non amplius tanquam Sacerdotes Judaici, super pectus ferremus pectorale revelationis et veritatis judicii, in sancta Sanctorum prospicientes, sed sanctitate induti verbum et germen ex sinu tuo, Pontificem magnum; dignare, ut quandoquidem ignem alienum non habemus, accedamus ad te: sed per Spiritum tuum sanctum liberans nos, combure omnem vetustatem nostram sordidam, et ad gregem tuum rationalem sanctifica et praepara nos, ut extra carnem facti, et omnem cogitationem corruptibilem a nobis depellentes, atque e terra in coelum pervenientes, tecum simus mente purissima, o Pater Luminis, et possimus digni fieri hoc sacrificio quod tibi offerimus, ad confirmationem offerentium, et ad veniam et recreationem eorum qui olim decesserunt, Patrum et Fratrum nostrorum, per gratiam et misericordiam unigeniti Filii tui, quia te decet gloria, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Quam cogitationem habere possumus, aut quam vim sermonis adipisci ad glorificationem quae tibi debetur referendam, Rex regum et Deus omnium: qui virtutes intellectu praeditas condidisti, et creaturam sensibilem fecisti, qui ex visibili atque invisibili fecisti hominem, capacem omnis excellentiae, et similitudinis divinae, ut nihil esset illorum quae a te facta sunt, quod gratiae tuae particeps non esset, ita ut etiam pulvis, contemplatione gloriae tuae

beatus efficeretur, bonisque Angelorum ditaretur: ut per omnia opera te agnitum opificem admiraremur; et cum summo silentio, te honoraremus.

Elevans vocem. Etenim coetus Angelorum, ordines antiqui Archangelorum, Throni dudum positi, firmi et immobiles, Potestates et Principatus, majestates Virtutum, celsitudo Dominationum, spiritus justorum, Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis, Cherubim multioculi, Seraphim sex alis instructi, naturae maxima scientia praeditae, trementes a divinitate tua invisibili et incomprehensibili, ad se ipsas conversae, et intentae ad invisibilitatem et incomprehensibilitatem visionis, laudant, hymnumque de Patre et Filio et Spiritu sancto, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Quis enim idoneus sit ad explicandam potentiam tuam, aut quis narrabit laudes tuas? Tu scilicet vero sanctus es, Deus Pater et omnium rerum principium, et qui a te est Filius, aequalis aeternitate et sapientia; singulariter ex substantia tua, nec temporaliter ortus, aequalis omni honoris genere cum Deo. Sanctus etiam et sanctissimus Spiritus tuus vivificans, et omnia perficiens, qui a te Pater, absque initio et tempore processit. Omnes igitur supernae virtutes glorificant te, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctum, unus enim es in tribus. Quis vero scrutari possit profundum amoris tui erga homines; qui cum rei essemus transgressionis praecepti, Deum Verbum, Filium unigenitum splendorem gloriae, salutis nostrae dispensatorem esse voluisti? Qui ex beneplacito tuo et voluntaria animi sententia, dispensationem illam pro nobis suscipiens, incarnatus est, ex sancta Dei genitrice, semperque Virgine Maria, sanctificata per adventum Spiritus sancti: conceptus, natus, factusque idem omnino quod nos, corpus, animam, mentem, totumque adeo hominem assumsit, et per dispensationem suam dignitate plenam, nobis ascensum ad coelos fecit.

Sacerdos elevans vocem. Qui cum passionem salutarem, et crucem, ad memoriam nobis reliquit, ille nequitiarum nostrarum medicus, oblationem sui pro nobis offerens tibi Deus et Pater: accepit panem in manus suas, et extendens eas in coelum, benedixit, † sanctificavit, † fregit, † divisitque discipulis suis Apostolis dicens: accipite, edite ex eo, quia Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur et datur ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem accepit, postquam coenaverunt, miscensque vino et aqua, † gratias egit † et sanctificavit, † et divisit discipulis suis Apostolis dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamènti novi, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei memoriam: quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem hunc bibetis, mortem meam annuntiabitis.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Hoc igitur sacrificium incruentum perficientes Domine Jesu, deprecamur amorem tuum erga homines, per quem in sacrificium dedisti te ipsum pro nobis. Meminimus etiam manifestationis tuae secundae, gloriosae, et timore plenae, quando sedebis super sedem excelsam et timendam, stabuntque coram te millies milleni Angeli, igneusque fluvius descendet et impios absumet absque misericordia: omnes quoque homines rationem reddent operum suorum, nullum jam aut accusatoris, aut patroni opus habentes, sed ipsa eorum opera quae egerunt, recensebuntur, ipsae etiam cogitationes aut accusabunt, aut excusabunt: quando quale sit opus cujuscumque hominis [2] ignis probabit; quando neque sapientibus, neque doctis erit excusandi locus, in illo tempore timore pleno, cum tremor et terror in omnes creaturas rationales cadet, et omne os obstruetur, et confusio impios et insipientes tenebit: quando frater auxilio non erit, et nihil juvabit commiseratio, neque patres salvabunt: quando sequetur ultio absque misericordia, illos qui non fecerunt misericordiam. Illo tempore, ne avertas faciem tuam a nobis, neque despicias haereditatem tuam, ita ut cruciatibus absque fine tradatur. Ne haeredes simus tenebrarum absque ulla luce, ne facias nos Domine alienos a consortio tuo, neque abneges nos, et dicas nobis, quia non novi vos; ne statuas nos in latere sinistro. illorum qui viderunt te esurientem, nec paverunt te: infirmum, neque visitaverunt te: sed agnosce nos et numera nos in coetu illorum, qui fecerunt voluntatem tuam. Propter haec enim populus tuus et haereditas tua deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum.

Invocatio Spiritus sancti.

Sacerdos. Miserere mei Deus Pater omnipotens, et respice ad gemitus et suspiria populi tui, neque respicias Domine, labia mea

impura, aut vocem immundam, aut mentem malitia plenam; sed suscipe super altare tuum spirituale et coelo sublimius, hoc sacrificium in odorem suavitatis: Et mitte nobis de excelso sancto tuo Paraclitum Spiritum tuum, Dominum, vivificantem, qui in Lege, Prophetis et Apostolis locutus est; qui ubicumque praesens est, et replet omnia; qui etiam potestate propria sanctitatem in iis qui digni sunt, operatur.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Super nos et super has oblationes propositas et sanctifica illas, [3] ut panis quidem iste fiat corpus vivificum, corpus coeleste, corpus salutare animabus corporibusque nostris, corpus Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientibus illud. Et mistum quod est in hoc calice faciat sanguinem Novi Testamenti, sanguinem vivificum, sanguinem salutarem, sanguinem Domini Dei et regis omnium Jesu Christi in remissionem peccatorum, et vitam aeternam accipientibus illum.

Sacerdos prosequitur. Domine quemadmodum illa per gratiam et virtutem tuam perfecta sunt, ita fac illis omnibus quicumque illorum participes futuri sunt, neque ullus per duritiam cordis sui iracundi, aut impoenitentis teneatur, aut prohibeatur ab accessu ad mysteria, sed omnes ad bonam voluntatem tuam converte [4] et dispone, quia tu es qui facis, convertis, et ordinas quodcumque ad bonum. Timorem tuum in nobis insere, et spem vitae aeternae, tibique gloriam referemus et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Propter abundantiam gratiae tuae Domine, digni facti sumus [5] perfectione oblationis divinae, et confidimus satis, quod quae a te petimus consecuturi sumus. Deprecamur te, ut mineris Ecclesiae tuae Catholicae quacumque diffusae, et custodias eam in operibus bonis et observatione mandatorum tuorum. Memento Domine Episcoporum Orthodoxorum: memento Sacerdotum, et Diaconorum, praecipue illorum qui adsunt, et orant nobiscum. Memento Domine etiam mei peccatoris. Da mihi ut intelligam, quanta dignitas sit adstandi coram altari tuo sancto; et quidquid animo pusillo aut puerili jucundum est, a me aufer, ne illud mihi sit in onus gravissimum in die illo terribili rationis reddendae; libera etiam me ab omni operatione virtutis sinistrae, neque perdas me cum iniquitatibus meis, neque in aeternum iratus, reserves mala mihi: sed

demonstra erga me gratiam tuam, me licet indignum salvans secundum miserationes tuas, ut glorificem te semper omnibus diebus vitae meae.

Elevans vocem. Ecclesiam tuam sanctam, quae est a finibus ad fines terrae, conserva in doctrina veritatis, ut quoniam illa est corpus Christi tui, conjungatur simul cum capite suo. Etiam errorem impium, et a Diabolo ortum depelle ex animabus nostris: aufer operarios mercenarios et iniquos, maculas haereseon dele, neque permitte ut per eas blasphemetur nomen tuum inter gentes. Genimina haeretica quae nunc in Ecclesia tua nata sunt, procul ab ejus circuitu depelle, neque negligas corpus sacerdotale Ecclesiae, ita ut inique discindatur, sed memento reliquorum Orthodoxorum, neque obliviscaris testamenti tui, quia pauperes facti sumus valde. Verum adjuva me Deus et Salvator noster, propter gloriam nominis tui: et referemus tibi gloriam et laudem.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine benefactorum nostrorum, quocumque modo, et retribue illis dona abundantissima, ut etiam illis qui pauperes sustentant, qui peregrinos suscipiunt, et necessitatibus sanctorum communicant, et omnem bonorum fructuum fertilitatem offerunt. Retribue illis in die judicii justi. Memento etiam Domine eorum qui hodie obtulerunt has oblationes, et eorum pro quibus oblatae sunt, et eorum quicumque idem in mente habuerunt.

Elevans vocem. Esto Domine viduis sustentator, orphanis refugium, senibus baculus, juventuti paedagogus, et illorum qui injuriam patiuntur adjutor, eorum qui a malis spiritibus tentantur liberator. Miserere illorum qui doloribus et infirmitatibus conflictantur, solve illos qui omni genere oppressionis aut persecutionis obsidentur. Incurvatos dirige, eos qui ceciderunt erige, neque sinas, ut somnum peccati ullatenus dormiamus, qui ad mortem aeternam deducit: sed nos omnes per poenitentiam purifica et per lacrymas conversionis: et referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [6] Regum Orthodoxorum et terrum, simulque quidquid super illam est, pacifica: ut vitam tranquillam et quietam ducamus, vacuam et liberam a turbis et contentionibus.

Elevans vocem. Reges fideles et pacem amantes pacifica per potentiam tuam excelsam, et ordines eorum qui ministerium et auxilium praebent adversus hostes regni Christi tui; adjunge illos, et

domesticos fac, atque ad timorem tuum eos adduc, et incende eos zelo fidei Orthodoxae: ut cum tranquillitate Ecclesias tuas regant: quia tu Deus es volens misericordiam: et tibi gloriam referemus.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine et illorum qui a principio coram te illustres fuerunt, Patrum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Joannis Baptistae, Stephani Diaconi, Sanctae Genitricis Dei, et omnium piorum et justorum.

Elevans vocem. Da nobis Domine mores qui conveniant sanctis, amicis tuis, et dignos effice nos parte illorum qui mysteriis tuis divinis initiati fuerunt. Profer nobis verbum Apostolicum quod spiritualem alimoniam praebet fidelibus, quia tu es inopum sustentator, et indigentium repletor, qui figmento tuo per multiplices salutis effectus, das causas vitae: quotidie enim aperis tu manum tuam omnibus sufficientem, et imples quodcumque vivit bona voluntate tua. Libera etiam nos Domine ab omnibus malis, et communibus saeculi cladibus, et averte omnem iram et plagas ab omni creatura, et referemus tibi gloriam etc.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Episcoporum, et Doctorum qui steterunt in Ecclesia tua et doctrinis suis paverunt oves tuas spirituales, et errabundas ad te converterunt: praecipue vero D. Jacobi principis Episcoporum et reliquorum sanctorum Patrum.

Elevans vocem. Sapientes et nuncios mysteriorum verae fidei, lumina et stellas quae populum tenebris obscuratum illustraverunt, fundatores Ecclesiae sanctae, Theologiae electae interpretes, curatores gregis empti sanguine unigeniti Filii tui [7] laetifica per visionem vultus tui, o pastor et largitor scientiae divinae. Et nos qui vestigia eorum sequimur, et passiones eorum aemulamur, custodi in sanctitate. Emitte nobis fontem perennem doctrinae eorum, et effice nos dignos vocatione, ad quam vocati sumus. Salva nos ab omni errore haeretico, et ab omni fovea et laqueo alienorum a timore tuo; ut in die illo ultimo sententiarum ferendarum, in coetibus patrum nostrorum locum habeamus, et inter agmina eorum numeremur, et referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Psaltarum, Interpretum, Confessorum, Monachorum, virginitatem perpetuam profitentium. Fortem animum, et modestiam quae illis convenit tribue, et omnium homi-

num generis qui in Christo obierunt et pro quibus haec oblata sunt, memento.

Elevans vocem. Omnium illorum qui ex carne et sanguine ad te Domine universae carnis, profecti pervenerunt, animabus, corporibus et spiritibus praesta quietem in sinu Abraam, Isaac et Jacob, in paradiso voluptatis, in loco quietis, et tabernaculis sanctorum, ubi est multitudo eorum qui festum agunt celeberrimum: ubi est perfectio vitae sine molestiis, et primitiae promissionum ineffabilium: quarum consummatione dignos illos effice, non reputans illis omnia delicta eorum, neque intrans in judicium cum servis tuis, quia non justificatur coram te omnis caro. Unus enim et solus super terram absque peccato communicavit carni, et impetum desideriorum peccati, qui ex carne oritur, plane eradicavit, ita ut nullus in eo illis omnino locus esset, Dominus ac Deus noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem et nos speramus. etc.

Sacerdos inclinatus. Et vitam nostram temporalem Domine, guberna et praepara in occursum unigeniti Filii tui, ut quando venerit cum Angelis Sanctis in gloria tua, o Pater, ad congregandos sanctos suos, non deficiamus ad occursum passionibus affixi, onere peccatorum quae commisimus praeponderante, cum electi rapientur obviam ei per aëra. Praesta ut etiam nos simul cum illis hymnos triumphales canamus, et cum gloria et laude dicamus, Benedictus qui venit in nomine Domini: ut in hoc sicut et in omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum. etc.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos. Domine omnipotens, cujus magnum nomen est: Domine qui fecisti omne quod est, et cogitationem: qui cum essemus peregrini a testamentis promissionum, et alieni a republica Israëlis, adduxisti nos ad hanc cognitionem: et qui pulsare ad ostium non poteramus, nos ad penetralia sanctuarii introduxisti in ea quae desiderant Angeli prospicere; purifica, et sanctifica mentes nostras, et praesta ut depellentes omnem materialem cogitationem, et curam hujus saeculi, quaeramus tantummodo regnum tuum et justitiam tuam, et sicut jussi sumus, orationem hanc corde puro recitemus et dicamus. *Pater noster.* O Domine qui non permittis ullum tentari supra id quod potest, sed tribuis etiam illi cum tentatione proventum, ut possit sustinere, libera nos ab omni tentatione, cujus fuga

sit difficilis, et ab omni operatione, et depraedatione maligni, per Christum Jesum Dominum nostrum, cum quo te decet gloria. etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Deus qui tantopere dilexisti nos, et dedisti nobis jus adoptionis filiorum ita ut filii Dei vocaremur, et essemus haeredes quidem tui, Pater, cohaeredes autem Christi tui: inclina Domine aurem tuam et exaudi nos, coram te capita inclinantes et purifica interiorem nostrum hominem, sicut purus est unigenitus Filius tuus, quem suscepturi sumus. Fugiant a nobis fornicatio, et cogitationes immundae, in nomine Dei qui ortus est ex virgine: superbia autem, et elatio mala depellantur a nobis, per illum qui se ipsum humiliavit: pusillanimitas, per eum qui passionem in carne sustinuit, et signum victoriae crucis erexit. Vana gloria a nobis compescatur per illum qui percussus et flagellatus est, neque avertit faciem suam a sputorum opprobrio: invidiam, homicidium, dissensionem et odium auferat a nobis, Agnus Dei qui tollit peccatum mundi: furor et ira procul a nobis fiant, per illum qui diabolum et inimicum traduxit crucifixione sua, et chirographum delictorum nostrum scidit. Omnem terrenam cogitationem aufer a nobis, per illum qui nos secum assumsit in coelum, ut pure communicemus sacramento purissimo, sanctificemurque perfecte in corpore, anima et spiritu, et referamus tibi gloriam. etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictio Dei sit etc.

Diaconus. Cum timore.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Sacerdos. Quam gloriam, aut quam laudem, aut quam retributionem gratiarum actionis referemus tibi, Deus amator hominum, quia nobis qui mortis rei, et dudum immersi peccatis eramus, libertatem donasti, et participes nos fecisti alimenti istius immortalis et coelestis, et omne mysterium quod a saeculis et generationibus erat absconditum nobis revelasti, ut illud notum fieret Virtutibus, Principatibus et Potestatibus coelestium, per Ecclesiam. Sapientia tua superat omne quod sapiens existimatur, et supra omnem comprehensionem haec nostra dispensas. Quanta haec est omnis dilectio ca-

ritatis, quam magna est sollicitudo tua paterna, quantum pelagus gratiae tuae vere etiam tibi gloriam referimus et unigenito Filio tuo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Deus spirituum et omnis carnis, qui fecisti nos dignos communione hac divina, et susceptione gratiae tuae, tu omnes sensus nostros a mortalitate passionum libera: statue etiam illis principii vice timorem tuum et mentem interiorem. Oculus nihil obscoenum aspiciat: auditus non pateat verbis otiosis, et cantibus lascivis. Labia nostra quae te glorificant, purifica: effice ut manus nostrae abstineant ab operibus nequitiae, et extensae sint ad misericordiam praestandam; gressus nostros averte a semitis peccati, et ad cursum Evangelii dirigantur: in omnibus membris nostris insere timorem tuum, et mentes nostras confirma, ut habitet in nobis divinitas tua. Et sicut Moyses qui ministraverat cultui umbrarum et figurarum, quando descendit de monte, agnitus fuit a filiis Israël, quod cum Deo conversatus esset: ita etiamnum, sed perfectiori et diviniori modo, gratia tua adveniat et exoriatur super eos qui mysterio hujus ministerii spiritualis consecrati sunt, apparentes tanquam luminaria in mundo, et tenentes verbum vitae: salvans nos a cruciatu qui finem non habet, transmutans figuram corporis humilitatis nostrae, in similitudinem gloriae tuae, in vita beata, et indeficienti et referemus tibi gloriam et laudem, et Patri tuo qui misit te ad salutem nostram, et Spiritui tuo sanctissimo, et adorando, vivificanti tibique consubstantiali etc.

AD LITURGIAM SEVERI OBSERVATIONES.

1. Severi.

Quam celebris sit illius memoria nemo ignorat, cum ipse Jacobiticam sectam per annos multos propagaverit, et infinitam librorum copiam ad illius causae defensionem ediderit. Etsi vero multa jam aliunde nota erant, cum

eorum fragmenta passim reperiantur in Graecis Catenis, plures longe indicavit ex antiquissimis Codicibus Bibliothecae Seguierianae, Vir doctissimus D. Bernardus de Montfaucon. Etsi Graece plerumque scripsisse videatur, multa Syriace extant in variis Manuscriptis. Patria ejus fuit Sozopolis, et ea ratione legitur in Officiis Syrorum Jacobitarum: *de Severo gloriatur Sozopolis:* laudaturque quod Leonem Romanum, oves Christi devorare cupientem, et Calchedonense Concilium debellaverit. Haec Liturgia reperitur in paucis Codicibus, neque usus illius frequens esse videtur: sed quod ejus recensio facta fuisse dicatur a Dionysio Barsalibi, non mediocrem eidem Liturgiae autoritatem conciliat. Sane antiquitatis plus quiddam habere videtur, quam multae aliae posterioribus saeculis compositae, in quibus autores genio uberrimae linguae suae nimium indulserunt, majorque est istius simplicitas. Edidit Guido Fabricius Boderianus Officium Baptismi, quod apud Syros vulgo usurpatur, et Severo tribuitur, Antiocheno scilicet, ut habent omnes Codices, et res ipsa demonstrat: non Alexandrino, qui nullus unquam fuit. Subjecit Ordinem Liturgiae Generalem, qui in multis simillimus ei est, quem ex Codice Colbertino transtulimus, et quem Boderianus absque autoritate Severo attribuit: ad quem nullatenus pertinebat, et de quo dictum est superius.

2. *Opus cujuscumque hominis ignis probabit.*

Enchir. c. 68.

Num hoc loco intelligendum est de igne purgatorio, quamvis hunc Apostoli locum Augustinus, et Gregorius Nyssenus ita interpretati fuerint, ut ex eo communis Ecclesiae Catholicae doctrina possit confirmari: sed agitur de extremo Judicio. Quamvis enim de quaestionibus circa animarum purgationem, quae tantopere Graecos et Latinos vexaverunt, pauca aut nulla Theologice tractata legantur in Orientalium libris: agnosci tamen facile potest illos veteris Ecclesiae doctrinam et disciplinam de utilitate orationum, et sacrificii Eucharistici oblatione pro mortuis, constantissime retinuisse. At in isto articulo causa praecipue versatur, et si Graeci, Latinos calumniandi libidine caruissent, lites illas componere facile fuisset. Verum cum neque Severi, neque Barsalibii qui Liturgiam recensuit aetate agitarentur, in ista et similibus orationibus, neque unde Syri accusentur quaerendum est, neque doctrina illis attribuenda, quae licet vera et pia, nondum tamen apud illos satis explicata fuerat. Videnda quae observavimus alibi de eodem argumento.

Perpet. T. l. 5. 3. c. 9.

3. *Invocatio Spiritus sancti.*

Eadem ac in reliquis Liturgiis hujus orationis sententia, et eadem prope verba: cum illo solum discrimine, quod uno tenore dicitur, quae antiquitatis nota est non dubia. Ita enim agnoscitur illam ita pronunciatam fuisse, ut continuam cum sacramentalibus verbis Christi sententiam efficeret: qua ratione

evanescit maxima illarum ambiguitatum pars, quibus illam obscurare multi conati sunt, cum tamen nulla magis perspicue et minus obscure veritatem fidei de vera elementorum transmutatione stabiliat. In aliis Liturgiis interjicitur acclamatio *Amen*. Illa tamen fortasse subintelligi debet, quia in Cod. MS°. omnia fere quae populus dicit, omissa sunt, quae supplere ex aliis Liturgiis facile est.

4. Omnes ad bonam voluntatem tuam converte et dispone quia tu es qui facis, convertis et ordinas quodcumque ad bonum.

Simplex haec est et orthodoxa expositio doctrinae de gratiae divinae ad bona opera auxilio, nullis ambagibus obnoxia. Orientales de Pelagio, multo minus de Pelagianorum reliquiis vix quidquam audierunt, tametsi habeant in suis Collectionibus Canones Africanorum Conciliorum, in quibus Pelagiana haeresis damnata est, atque adeo de peccato originali, de Baptismi necessitate, et praecipuis doctrinae Orthodoxae articulis, hac in parte conveniunt cum Ecclesia Catholica. Haec vero oratio etiam id significat, quod omnia Deus operatur, convertit et dirigit ad bonum, quae sententia alteri contraria non est, sed eam confirmat, et explicat.

5. Digni facti sumus perfectione oblationis divinae etc.

In his verbis non nihil obscuritatis est, quam discutere, ita ut simplici versione verborum Syriacorum vis exprimatur, non est facile. Dictum est alibi et semper in animo habendum, multas quae in Syriacis Liturgiis usurpantur voces ex Graeca potius origine, quam ex nativa sua intelligendas. *Perfectio* igitur nihil minus hic significat, quam actionem qua Sacerdos sacramentum perficit seu consecrat: sed respondet graecae voci τελετῆς. Illa autem non modo apud scriptores Christianos, verum apud alios, sacrificium, mysterium, et sacra significat. Eo sensu, nulla est difficultas. Gratiae vero aguntur Deo non de consecrationis effectu, sed de divino beneficio, quod per mysterium suscipitur.

6. Regum Orthodoxorum etc.

De illa formula saepius dictum est, demonstratumque nullum ex ea capi posse vetustatis indicium: quamvis enim a primis Ecclesiae saeculis repetenda illius origo sit, cum Imperatoribus Christianis conveniat: ex veteri instituto in multis Liturgiis servata est, etiam ex quo infideles Orientis imperio potiti sunt. Olim quidem nominabantur pii et religiosi Imperatores: Orthodoxi dici coeperunt a Jacobitis illi demum, qui ut Zeno et Anastasius, illorum

sectam opibus suis, quantum fieri poterat, juverunt, quod Severi aetati convenit.

7. *Laetifica per visionem vultus tui.*

Eorum memoria in hac oratione fit, qui habentur in Sanctorum numero: atque ita videntur Liturgiae autores, et qui eam recensuit, existimasse, Sanctos plenam perfectamque felicitatem nondum esse consecutos. Eam opinionem Graeci recentiores altercando, et Latinos calumniando impeditissimam fecerunt, et nuper Dositheus Hierosolymitanus Patriarcha vir sane doctus, magno molimine tuendam suscepit. Quamvis Syri quorum opera Theologica vidimus, mediocrem in ea expendenda operam posuerint, ad eam tamen videntur inclinasse, cum Moses Barcepha cujus maxima apud eos autoritas est, eam probaverit, animasque Sanctorum in Paradiso voluptatis, ad ultimum judicii diem quiescere affirmaverit. Quod vero Syri eam opinionem, veluti *χυρίαν δόξαν* et quae ad fidem pertineret, eadem pervicacia, qua Graeci, propugnaverint, non apparet. Quod enim in Officiis exequiarum variisque orationibus pro mortuis, oratur Deus, ut animas illorum collocet in sinu Abrahae, in locis voluptatis, super aquas refectionis, et si quae sunt alia ex variis sacrae scripturae locis desumta, figurate non Theologice esse intelligenda, vel eo solo demonstratur, quod Ecclesia Latina similibus locutionibus utitur, etsi a Graecis vehementissime dissentiat.

Perp. T. 5. l. 8. c. 9. et 10.

In Enchirid. c. ult.

De Parad. p. 1. c. 18.

LITURGIA JACOBI

COGNOMENTO BORDAYAEI,

SEU, UT GRAECI PRONUNCIANT, BARADATI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater pacis, sanctissime, quique solus bonus et beatus es, qui parens et autor es tranquillitatis, et fons absconditus pacis, caritas infinita, et misericordia nullis terminis circumscripta; tu Domine praesta nobis per gratiam tuam, ut cum pace quae nos ab omni dolo et fraude praestet immunes, amanter amplectamur invicem in

osculis sanctis, quae te deceant et unigenitum Filium tuum Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum; et per eum, simulque cum eo, te decet gloria et honor cum Spiritu tuo sancto nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Demus pacem.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Et nunc Domine miserator, postquam pace tua divina delectati, et caritate tua pura simul conjuncti sumus, colla demittentes, et inclinati, deprecamur abundantiam bonitatis tuae, ut effundas super nos omnia bona tua et benedictiones tuas coelestes, per eumdem Christum unigenitum Filium tuum: cum quo te decet gloria et honor, cum Spiritu tuo sancto nunc, etc.

Oratio ad Velum.

Te obtestamur Domine dominantium; fiduciam habentes in caritate mansuetudinis tuae, et precamur te, ut sicut misertus es nobis, per unigenitum Filium tuum, et per eum commendasti nobis mysteria haec adoranda et sancta; ita etiam per eumdem depellas et ejicias a nobis omnem phantasiam mundanam; concede nobis spiritum castitatis et sanctitatis, ut caste, et praeclare stemus coram te, et operemur tibi ministerium hoc mysticum, quod commendavit nobis unigenitus Filius tuus, per quem et cum quo te decet gloria et honor, cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus, etc.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Tibi juste debetur laus, et te decet gratiarum actio, tibique aequum est adorationis cultum exhiberi, ab omnibus

quae per bonitatem tuam creasti, Pater, Fili, et Spiritus sancte in saecula.

. *Elevans vocem.* Misce etiamnum Domine hymnos et laudes imperfectas nostras, cum laudibus Vigilum [2] et Angelorum qui perpetuo glorificant te, et junge cantus, et psalmos nostros imbelles cum cantibus illis suavissimis igneorum et spiritualium ordinum, qui indesinenter laudant te; simulque junge cantus insuaves nostros cum cantibus praeclaris Cherubim, qui cum timore benedicunt tibi, et voces tenues sanctificationum nostrarum, cum sanctificationibus suavissimis Seraphim sex alas habentium: qui ter sanctificant te, duabus alis tegentes facies suas, propter aspectum terribilem tuum: duabus autem tegentes pedes suos ab ardore tuo: duabus autem volant ad alterutrum, voce magna clamantes et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine Sanctorum, Deus Pater: qui misisti ad nos Salvatorem Dominum Christum, qui a te genitus est ab aeterno, non temporaliter, et natus est ex Deipara Virgine Maria, nativitate humana, Deus tamen permanens absque mutatione, secundum naturam, aut personam.

Elevans vocem. Qui cum perfecisset totam dispensationem suam salutarem, supra humanae naturae conditionem, propter nos, ipse Verbum Deus, incarnatus, vespere illo quo futurum erat ut pateretur voluntarie, accepit panem [3] communem in manus suas sanctas, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit, deditque turbae suae Apostolicae, et dixit ad eos. Hoc est corpus meum, accipite et manducate ex eo, [4] quia absque dubio illud frangitur pro mundi vita, eritque vobis et omnibus in me credentibus, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et postquam coenavissent, accepit calicem mistum vino et aqua, in manus suas puras, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit discipulis suis, dixitque ad eos: Hic est Sanguis meus Testamenti novi, accipite, bibite ex eo vos omnes: absque dubio enim ille effunditur pro mundi vita, eritque vobis et omnibus, qui in me credituri sunt, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque igitur manducabitis panem hunc, et calicem hunc bibetis, mortem et resurrectionem meam commemorabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Secundum praeclaram tuam traditionem dominicam, super hoc sacrificium mysticum et divinum, memoriam agimus totius periodi dispensationis tuae, pro nobis: conceptionis tuae, et nativitatis tuae ex Virgine Deipara Maria: baptismi tui in Jordane, a Joanne praecursore tuo; passionis et mortis tuae voluntariae: sepulturae tuae et resurrectionis tuae de sepulcro, post tertium diem; Ascensionis tuae gloriosae, et sessionis magnificae tuae ad dexteram Patris tui. Rursus memoriam agimus adventus tui tremendi et formidandi e coelis, quando revelabitur gloria majestatis tuae, supernis simul et infimis; quando excitabit valida vox tua omnes mortuos e sepulcris, absque corruptione: quando in igne secernes justos ab iniquis, et fideles ab infidelibus, veracesque a mendacibus: quando pudore confundentur Judaei, qui te crucifixerunt, et confundentur infideles, qui te contemserunt et tabescent haeretici, qui te contumeliis affecerunt: quando laetabuntur justi qui te dilexerunt, et exultabunt Sancti qui te amaverunt: laetitiaque et gaudio cumulabuntur praeclari illi viri, qui tibi adhaeserunt: quando gloria ornabis Prophetas, et Apostolos super thronos gloriae collocabis, Martyresque et Confessores coronabis: quando Pastores et Doctores Orthodoxos stola gloriae indues, solitariosque et religiosos ad mensam regni tui accumbere jubebis, Virginesque et pudicos in thalamum lucidum regni tui introduces: quando filios dexterae ad regnum vocabis, et filios sinistrae in gehennam quae non extinguitur, cum diabolo et copiis ejus amandabis. In illo tempore Domine plene misericordiarum, quo haec omnia perficientur, bonosque a malis separabis, cum electis tuis statue nos; cum illis scilicet qui perfecerunt voluntatem tuam numera nos; cum illis qui recte laudaverunt te, conjunge nos: cum illis qui praedicaverunt te Deum incarnatum absque immutatione, simul cum bonis moribus, constitue nos, et cum iis qui placuerunt tibi per fidem et opera bona, ad mensam bonorum regni tui cum voluptate colloca nos. Ecclesia tua Domine Deus noster Jesus Christe, quae credit mortem et resurrectionem tuam, et adorat crucem tuam, gemebunda deprecatur te pro his omnibus, et Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.
Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit orationem Invocationis Spiritus sancti.

Te invoco Domine Deus, fiduciam habens in misericordia tua, ut mittas super nos gratiam Spiritus sancti, qui aequalis est tibi et unigenito Filio tuo, secundum essentiam et naturam; qui descendit super unigenitum Filium tuum in Jordane flumine et super Apostolos sanctos.

Elevans vocem. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ille ipse Spiritus Paraclitus, veniat et illabatur super mysteria haec praeparata, et per illapsum inhabitationis suae, efficiat panem istum, Corpus vivificum Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et Calicem hunc perficiat sanguinem propitiatorium Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem efficiat per gratiam suam puros et mundos, atque ita, dignos dono hoc mystico, quia tu es bonus, et multae misericordiae, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine dominantium sacrificium hoc spirituale, pro universa Ecclesia Catholica emta sanguine Christi tui: praecipue vero pro Episcopis, Sacerdotibus, et Diaconis, et pro omni populo zelante orthodoxorum: et mihi infirmo, quique misericordia indigeo veniam tribue et mei miserere.

Elevans vocem. Compesce Deus bone et veniae largitor, ab Ecclesia tua sancta, bella et pugnas: eos qui mysteriorum ejus sunt dispensatores, instrue sapientia adversus omnes haereses quae illam impugnant, et veritatem tuam ignorant: Sacerdotes ejus honestate, Diaconos fac castitate commendandos, imple eam tranquillitate, caritate et concordia quae a te provenit: quia tu misericors es et multae misericordiae, tibique gloriam referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine totius populi fidelis

qui in nomine tuo refugium quaerit, et salutem tuam expectat, et unicuique auxilium et beneficia concede.

Elevans vocem. Et suscipe Domine Deus sacrificium servorum tuorum in odorem suavitatis: largire illis per clementiam tuam, tempora bona, et plena gaudio, concedens per gratiam tuam infirmis et afflictis sanitatem, et consolationem: in necessitate constitutis, armaturam bonam: vinctis et captivis libertatem: peccatoribus, et criminum reis, remissionem, quia a te est omne donum bonum, et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. [5] Memento Domine per gratiam tuam quae omnibus sufficit, Regum qui veram Religionem profitentur, qui curam gerunt Ecclesiae tuae et Monasteriorum tuorum sanctorum, victoriisque perfectis corona illos.

Elevans vocem. Adjuva etiam illos qui in maribus, aut laboriosis itineribus sunt, Domine, et eos qui a malignis spiritibus infestantur, libera. Potentiam Regum Tyrannorum comprime, et liberationem perfectam ab omnibus quibuscumque inimicis nobis tribue, quia tu salvator, et liberator omnium es, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, hoc tempore hujus sacrificii, omnium sanctorum, qui fuerunt a saeculo: praecipue vero semper Virginis sanctae genitricis Dei Mariae, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Solitariorum, et reliquorum Agonistarum praeclarorum pro vera Religione.

Elevans vocem. Ut per orationes eorum acceptabiles, suscipiatur sacrificium hoc tenuitatis nostrae, coram majestate tua, et digni efficiamur nos, et qui ex nobis defuncti sunt, pari cum eis sorte, et deliciis quae ipsis praeparatae sunt, quia tu sanctus es, et in sanctis beneplacens, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Pastorum et Doctorum Ecclesiae Orthodoxae, eorum qui a Petro et Paulo huc usque praedicaverunt Evangelicam praedicationem in orbe universo, praecipue vero S. Jacobi [6] Bordaei.

Elevans vocem. Eorum qui in unaquaque generatione praefuerunt populo tuo fideli, quique lumine praeclaro doctrinae suae

Evangelicae illustraverunt tenebras gentium, et persecuti sunt obscurum errorem haerescon, quae blasphemabant impie adversus Incarnationem Verbi unigeniti Filii tui, et [7] unionem in natura, cum carne assumta ex sancta genitrice Dei dividebant; gregemque sacerdotalem ab omnibus perniciosis pascuis dogmatum perversorum elongaverunt: quia ad orationes eorum confugimus, ut in fide prudentes simus, habitaculisque eorum lucidis digni efficiamur, et lumine vultus tui, cum voluptate perfundamur: quia tu benignus es erga unumquemque qui in te sperat, et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine per abundantem clementiam tuam, omnium defunctorum fidelium, qui ex hoc loco aut ex nobis morte divisi sunt, in confessione Orthodoxa, atque etiam ex omni loco: patrum, fratrumque nostrorum, tam secundum carnem quam secundum spiritum: Sacerdotum, Diaconorum, Monachorum, hospitum, alienorum, praesertim vero eorum pro quibus offertur hoc sacrificium.

Elevans vocem. Domine Deus spirituum et omnis carnis fac ut illi omnes quorum meminimus, et illi etiam quorum non meminimus, qui in fide Orthodoxa ex vita hac mutabili migraverunt, digni fiant vita indefectibili, in sinu Abraham, Isaac et Jacob, ubi sunt omnes sancti: ubi dolores et angustiae non reperiuntur, sed ubi beatitudo et gaudium regnant tantummodo: ubi unigenitus Filius tuus tecum ab omnibus glorificatur; per quem etiam misericordiam consequi, et revelationem faciei coram te speramus, et propter eum tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Quietem praesta Domine in habitaculo regni tui omnibus qui in spe tua obdormierunt, et libera nos atque illos ab igne inextinguibili, et a verme qui non moritur. Dignos fac nos voluptate illa quam oculus non vidit, et auris non audiit, neque in cor hominis ascendit quae electis tuis praeparata est, ut in hoc et in omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum benedictum, et unigeniti Filii tui et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Miserationes Dei sint super vos omnes.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus dicit Catholicam. Iterum atque iterum, etc.

Sacerdos signat et frangit Oblatam, et mox dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater sancte, et qui sanctitatem largiris Sanctis; qui etiam sanctificasti nos per sanctitatem quae a te est, per unigenitum sanctum, qui a te genitus est ab aeterno, et non temporaliter: qui tecum adoratur, et glorificatur substantialiter a millibus et decem millibus incorporeis: qui homo factus est ex genitrice Dei Maria conjugii experte, naturaliter et personaliter, absque ulla mutatione: qui sacramenta haec adoranda et vivifica nobis commendavit, et orationem hanc paternam ad te, docuit nos. Tu igitur tanquam Pater filiorum amans, praesta nobis ut simus tibi filii, digni nomine tuo sancto: filii perfecti adimplentes voluntatem tuam et observantes praecepta tua: ut cum revelati vultus fiducia qualis filios decet, invocemus te, Deus Pater coelestis et sancte, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Pater sancte, qui bona voluntate tua et per Filium naturalem tuum largitus es nobis, ut filii tui vocaremur per gratiam tuam: idcirco deprecamur te ut dignos efficias nos omnes sanctitate nominis tui et regno tuo aeterno, liberationeque a maligno, et a tentationibus gravibus, quia tuum est regnum et excellentia, et potentia et laus, ut etiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti nunc, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Coram Domino etc.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram potentia majestatis tuae Domine inclinamus colla nostra, et cum lacrymis suspiriisque deprecamur te, ut dignos efficias nos susceptione mysteriorum istorum sanctorum, et vivificantium, corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, et sint ad nobis expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam:

quia tu omnia potes, teque decet omnis gloria et honor, simul cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Miserationes Dei sint, etc.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Cum timore.
Sacerdos. Sancta Sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus, etc.
Sacerdos. Unus, etc.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Gratiarum actionem debitam offerimus majestati tuae incomprehensibili, Domine, propter salutem hanc quam praestitisti nobis per unigenitum Filium tuum, qui ab initio ante constitutionem mundi praeparabat mysterium hoc absconditum a generationibus et a saeculis, quod infirmis et imbecillibus nobis revelatum est, et datum. Offerimus ipsum [3] tibi deprecatorem pro nobis, ut in eo, et per eum liberemur a judicii venturi damnatione, et digni efficiamur coronis gloria splendidis hominum beatorum, et cum ipsis referamus gloriam et laudem unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Postquam, etc.
Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tibi fili unigenite Patris unici Jesu Christe Deus super omnia, gratias agimus, laudamusque summam tuam erga nos benignitatem pro omnibus beneficiis tuis, qui nos contemtibiles, infirmos, perditos, errantes, egenos, aegros, contritos, captivos, vinctos, passionum servituti subjectos, adorantes daemonia, tenebris obsitos et absque Deo, per incarnationem supernaturalem tuam fratres tuos et filios Patris tui, participesque Spiritus sancti perfecisti nos per baptismum divinum, et corporî et sanguini tuo sancto univisti nos. Idcirco petimus a te Domine et Deus noster, bone, benigne, et veniae largitor, ut non in reatum et accusationem sint

nobis mysteria tua sancta, sed ad praeservationem ab omnibus malis, et ad liberationem et conservationem ab omnibus angustiis, et ad emundationem ab omnibus maculis, et ad consequendam purgationem perfectam ab omnibus praevaricationibus, et ad susceptionem omnium benedictionum et bonorum, et liberationem a Belial venatore animarum, et ad effugienda amarissima suspiria quae finem non habent, reservanturque operantibus mala, et ad consequendas delicias sempiternas, quae repositae sunt operantibus bona: ut cum illis qui digni erunt hacreditate tua, laetemur in tabernaculo regni tui, quod auferri non potest, et referemus tibi gloriam et laudem Patrique tuo et Spiritui sancto tuo nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

IN LITURGIAM JACOBI BARADATI

NOTAE.

1. Liturgia Jacobi.

Hoc nomine famosissimi apud Syros Jacobitas extitere plures, quos aeque, non modo ut Sanctos, sed ut Ecclesiae suae praecipuos Doctores venerantur, et in Diptychis commemorant. Is quem a Graecis Zanzalum vulgo appellatum fuisse testatur Nicephorus, et quem Syri sui, duplici cognomine designant, Syriace quidem scribentes, *Fasselita*, Arabice *Bardaï*, quam vocem Syriace exprimunt, ut hic scripta est, *Bordyaea:* Graeci *Baradatum* pronuntiant. Alii recentiores fuerunt, Botnanensis, seu Serugensis: Edessenus, famosus apud eos Theologus, et scripturae interpres. Primus de quo dicendum est, cujusque nomine hanc Liturgiam habent, ut etiam duorum alterorum singulas, *Bardaï* appellatus est *quod ei amictus erat, e segminibus Albaradaï seu dorsualium quae jumentis insterni solent, consutis.* Verba sunt Eutychii Alexandrini secundum versionem Pocockii. Favet huic etymologiae ejusdem vocis Ὁμολογία ut graece vocatur seu Confessio, quae Syro-Jacobiticarum Ordinationum ritu exigitur ab ordinandis, in qua Jacobus ille inter alios Doctores recensitus appellatur *Fasselita*, cujus vocis origo est, ab ea quae *Segmenta* significat, qua significatione ῥαχενδύτης apud Graecos recentiores usurpatur. Conjectura tamen esse potest *Bardaï* vocatum esse ab urbe *Bardaa*, quae non longe ab Istachara aberat, in montana Regione,

Niceph. l. 18. c. 52.

Eutych. Tom. 2. pag. 147.

quam Geographi nonnulli Armeniae attribuunt. Illum enim Episcopum fuisse Nestoriani Autores testantur, qua de re nihil apud Jacobitas nobis occurrit. Verum cum inter tot Syriacas Liturgias nulla sit quae alicujus autoris, qui Episcopus aut Patriarcha non fuerit, nomen praeferat, ex eo indicio haud fortassis temere conjici potest, in simili Jacobum dignitate fuisse. Si Nestorianos audimus, Marin Salomonis filium, et Amrum ejus abbreviatorem, postquam Severus Antiochiae Episcopatu quem occupaverat dejectus, in Aegypto obiisset: ut ejus discipulus et assecla Jacobus Serugensis, Jacobus ille de quo agitur, mirifice sectam ejus per totam Syriam propagavit, praecipue Takritae in Armeniae finibus, ubi Jacobitae sedem Catholici sui, seu *Mofriani* ut illum vocant, dudum constituerunt, et in vicinis urbibus. Illic magnam eorum caedem fecit Peroses seu ut Persae scribunt *Firuz:* et ex ea se surripuit Jacobus, habituque Sufii sive Religiosi Persae, evasit. Comites fugae duos illum habuisse, iidem autores scribunt Georgium et Gregorium, quos ille Episcopos, illum ipsi Patriarcham ordinaverunt. Cumque passim ordinationes faceret, quocumque transibat, aiunt cum Sacerdotes et Diaconos octoginta mille ordinasse, longo vitae decursu, cum septuaginta tres annos impleverit. Nihil illum in scriptis reliquisse verisimile est, cum in Tractatu de Fide Patrum, qui totus ex autorum qui apud Jacobitas commendantur testimoniis contextus est, ut et in aliis ejus generis collectaneis mentio ejus nulla fiat.

2. *Vigilum et Angelorum.*

Ex loco Danielis cap. 4. v. 10. Orientales singularem beatorum spirituum ordinem fecerunt, Vigilum scilicet, quorum satis frequens memoria est in libris Ecclesiasticis, quamvis de illorum dignitate, et loco in coelesti Hierarchia, perplexe loquantur plerique eorum Theologi. Inter eos praecipue laudare solent Joannem Darensem, cujus testimoniis ab Abrahamo Echellensi acceptis usus est vir clarissimus Joannes Morinus, qui de Angelis ex Syrorum mente, scripsit in notis ad Ordinationes Syriacas. At de Joannis istius Darensis aetate Maronitae ipsi inter se dissentiunt, cum Echellensis eum vixisse quarto saeculo scripserit in notis ad Hebedjesum: Faustus Nairo- *No. 22.*
nus inter quintum et sextum saeculum, nec satis probat. Recte quidem *Evopl. p. 115.*
Severo Antiocheno posteriorem illum judicat, cum eum citet; sed quod ex linguae Syriacae elegantia quam in ejus scriptis observat, antiquiorem esse Muhamedanorum imperio existimat, nihil egit. Multos enim habemus Syros qui patria sua lingua longe post Muhamedana tempora scripserunt, in quibus maxima sermonis foecunditas, et Asiatica illa elegantia ubique lucent. Unus hanc conjecturam refellit Abulfaragius, qui cum saeculo XIII°. florucrit, plura elegantissime scripsit, quam quivis alius. Dionysius Barsalibi uno saltem saeculo antiquior multis quoque scriptis Syriacis inclaruit. Ipsae quas tractamus Liturgiae aetatis posterioris, stilo illo uberi scriptae sunt, in quo potissimum consistit Orientalis facundia. Verum haec tanti non sunt: neque multum refert, quid de beatis spiritibus Orientales sentiant, cum omnes

illorum Theologi et Joannes Darensis, toti sint in explicanda secundum Dionysii, quem Areopagitam esse credunt, mentem, coelesti Hierarchia. Cumque ille inter novem Ordines, Vigilum non meminerit, ubi illos collocent valde incerti sunt.

3. *Accepit panem communem.*

Vox Syriaca שחימא communem simplicemque significat, respondetque Arabicae סראג: in Lexico Bar Ali. Eo significatu de Christo dicitur quod a Joanne baptisatus fuerit, כשחימא tanquam *simplex* homo scilicet, quae vox inepte prorsus a Boderiano expressa est in hunc modum: *qui tanquam vacuus baptisatus est.* Ex hac tamen voce existimavit Faustus Naironus ad Azymorum usum confirmandum, argumentum posse duci. Citat ex Marulae Liturgia haec verba Invocationis Spiritus sancti, *et panem hunc simplicem commutet et perficiat Corpus quod pro nobis immolatum est in cruce*: Tum sic prosequitur. *Ubi notandum est panem simplicem esse panem Azymum, hoc enim nomen* שחימא, Schhimo, *significat simplicem, sincerum, purum, hoc est sine admistione ulla, teste Joanne Baptista Ferrario in Nomenclatore Syriaco*, quam significationem esse vocis ἄζυμος probare contendit. Sed hoc non agitur: verum an ea voce in tot sacrae Scripturae locis, ubi Azymorum mentio est, ea vox usurpetur; quod probare sane nemo possit. Tum Azyma in usu antiquitus apud Orientales fuisse, adhuc probatu difficilius est, vel potius impossibile. Nam testimonium Gabrielis Klaï quod producit Naironus, nullius autoritatis est, cum Scriptor recentissimus sit, ut qui tempore Leonis X. vixerit, et omnibus praeterquam Maronitis, sit ignotus. Constitutiones Maronitarum quas ipse, Echellensis exemplo saepius allegat, ejusdem generis sunt: neque enim Bibliotheca ulla quantumcumque dives Orientalium librorum, opus illud repraesentat: similes tantum Collectiones nonnullas ex quibus verisimile est Maronitam aliquem novam composuisse. Nam ex relatis ab Echellensi testimoniis, et aliis quae viro clarissimo Joanni Morino subministravit, recentiorem omnino illam Collectionem esse quam Maronitae existiment, manifestum est. Neque major est Joannis illius Maronis Patriarchae, ut volunt, Antiocheni, qui nunquam fuit, autoritas. Illius igitur loci sententia haec est, Christum cum Sacramentum Eucharistiae institueret, panem communem in manus accepisse, quem benedictione omnipotenti in Corpus suum consecraverit.

4. *Hoc est Corpus meum, quia absque dubio illud frangitur, etc.*

Quod in hac sacrorum verborum forma quaedam addita sunt, quae Christum pronunciasse non constat, efficaciae illorum nihil detrahit: cum praecipua et quae vim praecipuam habent non omittantur: neque minus sincerae Orientalium de Eucharistia fidei, ulla inde creatur suspicio, non

magis quam Romanae Ecclesiae quae omittit partem verborum ab Evangelistis relatorum: et ad consecrationem calicis spectantibus alia adjunxit, quae, ut recte notat S. Thomas, Ecclesiae traditione sufficienter commendantur. Quod si, ut olim ab aliquot hominibus factum est, lis moveatur adversus Orientales de Sacramentorum formis, neque ulla admittatur, ut legitima, nisi Latinis verbis syllabatim conveniat, nulla in Ecclesia Orientali unquam fuisse Sacramenta sequetur necessario: nulla dudum superesse in illis Ecclesiis, cum quibus tamen Romana Communionem tenuit.

Parte 3. Q. 68. art. 3.

5. *Memento Domine Regum qui veram Religionem profitentur.*

Io ut alibi monuimus translatum est ex veteri formula, juxta disciplinam Ecclesiasticam, quae orationes pro Regibus etiam non Christianis fieri praecepit, ex Apostolorum doctrina. Affectationem in Jacobitis nimiam si quis inde suspicetur, natam ex vetusto adversus Imperatores Orthodoxos, qui illos represserunt odio, habebit argumenta non pauca quibus conjecturam tueatur. Maledicta enim adversus Marcianum quod Concilio Calchedonensi faverit, pietatis partem videntur existimasse, cum ea non modo in historiis librisque Theologicis, sed etiam in precibus, tamen extra Liturgias congesserint: ut in aliquot Syriacis officiis observavimus: nam moderatiores hoc in genere Aegyptii fuerunt. Imo Nestoriani, licet in suis quoque Officiis quae in *Beit Gaza,* sive Thesauro suo continentur Nestorium laudent, quod contriverit caput serpentis Cyrilli, abstinent tamen a conviciis adversus Theodosium Imperatorem. At Jacobitae Syri modum non tenuerunt, et cum sub Zenone et Anastasio, quos tanquam Sanctos venerantur, et annua commemoratione celebrant, plurimum possent, veteremque consuetudinem orationis pro Christianis Imperatoribus in Liturgia faciendae renovassent, eam postea retinuerunt, etsi praeter Reges Aethiopiae et Nubiae, nullos ex sua sententia Orthodoxos agnoscerent.

6. *Memento Domine, praecipue Jacobi Baradati.*

Quod autoris, si titulus ut legitimus agnoscitur, nomen Diptychis inseritur, novitatis, aut suppositionis certum argumentum non est, quamvis aliter Riveto visum fuerit, parum idoneo veterum Ecclesiasticorum scriptorum censori, qui Liturgias Jacobi, Basilii et Chrysostomi frivola ista ratione impugnat, cujus inanitatem alibi confutavimus. Fieri omnino potuit, ut recentiores istae Liturgiae, quae ut Graeci autores nonnulli observaverunt, a Jacobitis compositae sunt, eo potissimum consilio factae sint, ut in festis diebus quos in memoriam illorum consecraverant, celebrarentur. Ita nomen illius cujus memoria agebatur, Diptychis inseri debebat: atque inde forte, ut alibi observatum est, originem habuerunt illarum tituli, quae nomina prae se ferunt autorum qui vixerunt ante Muhamedana tempora.

7. Et perseculi sunt errorem haereseon, quae blasphemabant impie adversus Incarnationem Verbi, etc.

Notam hic agnoscimus et quidem indubitatam Monophysitarum doctrinae, non modo adversus Nestorianos, sed etiam adversus Orthodoxos Theologice explicatae, quod tamen satis rarum est in Liturgicis officiis. Haec novitas satis convenit homini audacissimo, qualis fuit Jacobus ille, si Graecis, et Nestorianis credimus. Unionem dividebant ex Jacobitarum sententia, Nestoriani, quod duas in Christo personas agnoscerent: Orthodoxis idem impingebant, quod duas naturas statuerent; cum unam Jacobitae profiterentur.

8. Offerimus tibi ipsum deprecatorem pro nobis, etc.

Christum cujus Corpus et Sanguinem susceperunt, Jacobitae offerunt Deo deprecatorem; quae doctrina in aliis quoque precibus privatis et publicis occurrit, quamvis magna confidentia negaverint id dudum Protestantes, et nuper vir inter eos doctus qui longam de Eucharistiae oblatione Dissertationem Fragmentis aliquot Irenaei a se editis subjunxit, adjuncta testimoniorum nube, quibus nihil plane efficitur contra communem omnibus Ecclesiis Orientalibus et Occidentalibus Sacrificii Eucharistici doctrinam, ut alibi demonstrabitur. At rituum et sententiarum quae ad illud Mysterium spectantes extant in Graecis Liturgiis, aut in scriptis Graecorum Patrum, optimi et certissimi interpretes haberi possunt Syri veteres, tam Orthodoxi, quam illi qui ab Ecclesia ante mille et amplius annos secessionem fecerunt, in quos suspicio cadere nulla potest. At illi sacrificium incruentum, *λογικὸν* sive rationale et spirituale, verum et sacrificiis antiquis dignius, quae illius umbra et figura erant, offerri agnoscunt in sacra actione, in qua offertur non sanguis animalium, aut legales victimae, sed Corpus et Sanguis Agni vivi immaculati: quem ideirco oculis fidei jubent nos immolatum super Altare intueri. Fidem istam miraculis comprobant, et illis sane, quae apud eos qui veram et realem elementorum in Corpus et Sanguinem Christi transmutationem negant, ne excogitari quidem possunt. Videnda quae retulimus alibi ex Severo Episcopo Aschmonin et aliis. Christum dicunt esse victimam in Altari sacrificatam: offertur igitur Deo in sacrificium Corpus ejus et Sanguis, ex Orientalium sententia. Id nisi crederent illum manibus sacerdotum ferri, tractarique non dicerent, quod tamen in multis orationibus dicunt, tam privatis, quam publicis. Ad Christum quoque, ut vere in altari praesentem preces dirigunt: et in Liturgia Aethiopica quae Dioscori nomen praefert, id quod in Altari videtur dicunt accusatorem et judicem fore, Christum Dei Filium cui *Pater omne judicium dedit,* in Sacramento agnoscentes. Sacrificium porro fit ejus rei quae oblationis et victimae loco est. In celebratione Eucharistiae infertur oblatio ex pane et vino aqua misto, et illud sacrificium,

Hist. Patr. Alex. p. 181. 187. 270. 306. 378. 438.

Perp. Tom. 4. l. 3. c. 4.

omnibus antiquae legis sacrificiis longe praestare agnoscitur, a plebe in publicis privatisque precibus, et ab omnibus Theologis. At nihil simile cogitari posset, si panis tantummodo, et vinum Deo offerrentur: ita necesse est praestantius quiddam offerri Deo, idque nihil aliud esse potest, quam id quod ex pane et vino per sacra verba et operationem Spiritus sancti in elementa, fieri credunt Orientales. Illud autem est Corpus Christi, nam id ubique testantur in Liturgiis, in Catechesibus, in Homiliis. Ubi porro victima est, ibi quoque sacrificium est intelligendum: illa in ipso sacrificio consumitur: atque ea ratione Corpus Christi immolatum et sacrificatum existere agnoscentes, illudque vere suscipi a Christianis, agnoscunt simul verum in Liturgia Corporis Christi sacrificium, atque adeo oblationem. Haec omnia perspicuis et simplicibus verbis docentur Orientales Christiani per orationes Liturgicas suas: Eucharistiam esse sacrificium spirituale et incruentum, in quo victima sit Corpus et Sanguis Christi, qui se ipsum obtulit hostiam immaculatam Deo: in cruce scilicet. Sacrificium vero in cruce oblatum in multis Orientalium Ecclesiasticis precibus, idem esse dicitur, atque illud quod in altari offertur. Si haec quasi non satis explicata Protestantibus non sufficiunt, licebit illis in scriptis Theologorum plura reperire, et quidem quantum satis erit. Quidquid enim ad confirmandam Eucharistiae fidem dici potest, dictum ab illis est, eaque tractatum methodo, quae cum nostrarum Scholarum Theologia, praeter fidei perfectam similitudinem commune nihil habet, et idcirco a nostris hominibus, ut Albertinus et Claudius frustra probare conati sunt, illis instillari non potuit: sed haec sufficiunt.

LITURGIA

MATTHAEI PASTORIS.

Primum Oratio ante Pacem.

Tranquillitatem securam, et pacem indissolubilem: caritatem non defervescentem, da et concede ovibus rationalibus pascuae tuae Domine.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Praesta nobis.

Sacerdos. Post.

Populus. Coram te.

Diaconus dicit Mediam. Illis qui cum fide inclinantur, praesta Domine ut suscipiant a te benedictiones, ad obtinenda bona quae pacificis praeparasti: ut referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Remoti a passionibus quae peccatum operantur: proximi et domestici in regno appareamus, mediante hac Eucharistia, quam tibi offerimus Domine: ut referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Miserationes, etc.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere Patri, Filio et Spiritui sancto debetur laus magnificentiae honoris ejus.

Elevans vocem. Et cum omnibus naturis spiritualibus et intelligentibus, gloriam [2] secundam cogitationis aeternae barbare et balbutiendo tripliciter celebrantes proprietatum tuarum mysteria confuse explicamus, dicentes.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos inclinatus. Unus es substantia, Domine, trinus personis. Cum vero salutem nostram providenter ordinasti, Verbum ex mente tua, misisti in mundum absque proprietatum detrimento: et ex Spiritu sancto, atque ex sanguine Virginali, carnem induit, et [3] imagini configuratus est, libertatemque dedit jacentibus in peccato.

Elevans vocem. Cumque Testamentum novum, quo vetus aboleretur tradere vellet, panem [4] fermentatum, in quo mysterium vitae tegebatur, accepit, et oculis intentis aspiciens ad te Pater, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, porrexitque discumbentibus in coena sua dicens: Accipite, vescimini ex eo. Hoc [5] est caro mea, quae pro omnibus fidelibus, mihi adhaerentibus dividitur,

ut comedatur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam. *Populus.* Amen.

Diaconus. Similiter et calicem vitae quem temperate miscuerat genimine vitis et aqua, accepit, et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit; † deditque etiam illum mysterio suo initiatis, commendavitque illis ut ex eo omnes communicarent [6] quodque in eo salus bibentibus illum esset declaravit, cum eo uterentur in conscientia pura, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Adjunxit quoque admonitionem, et declarationem dicens: quotiescumque mysteriorum participes eritis, memoriam mortis et resurrectionis meae celebrabitis; donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus.

Sacerdos. Etiam nativitatis, fasciarum, circumcisionis, baptismi, crucis, sepulturae, Resurrectionis et Ascensionis mysteriorum memores, neque ullius obliti, adventum quoque tuum in gloria magna expectamus, in quo omnes homines et Angelos in uno theatro constitues, bonisque et malis quod justum est retribues: propterea Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te: et per te ac tecum Patrem tuum dicens:

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Per miserationes naturales tibique proprias Domine, et placabilitatem a qua cognominaris, mitte Paraclitum Spiritum veritatis, qui perpetuo [6] a te procedit et a Filio quae substantiae sunt accipit, illabaturque, et requiescat super hoc sacrificium, illudque sanctificet, neque propter peccata mea, privetur populus tuus dono tuo divino.

Elevans vocem. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut ille qui spirat occulte, et requiescit invisibiliter, panem istum perficiat [7] corpus Dei incarnati.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc consummet, sanguinem qui effusus est in summitate Golgothae.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis, et illis qui illa percipient, ad expiationem delictorum, ad scissionem chirographorum, et ad adipiscendam haereditatem vitae aeternae in regno coelorum, in saeculo venturo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Pastoribus, qui ut nobis praeessent constituti sunt, esto, Domine, os et lingua: atque haereticos qui cum illis bellum gerunt, increpa et comprime.

Elevans vocem. Ut lupi noxii, qui ovium habitu tecti audent lacerare oves tuas, cito deficiant et depellantur: et referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Illis qui pauperes populi tui adjuvant, da auxilium; illis, qui ecclesiarum tuarum sollicitudinem gerunt, mercedem retribue: illos qui captivi sunt, libertati redde: vinctos solve: et eos qui variis morborum generibus conflictantur, sana.

Elevans vocem. Quia difficilia tibi facilia sunt, et aspera plana, omniumque potens es, Domine, tibique gloriam et laudem referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Reges fideles et Reginas Deum timentes, fortitudine brachii tui potentis robora, et victores effice.

Elevans vocem. Ut manum auxiliatricem ad illos extendens, adjutoriumque dexterae tuae illis submittens, victores, et triumphatores appareant adversus inimicos crucis unigeniti Filii tui; cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, benedictae in mulieribus, ex qua filius unigenitus tuus carnem induit: simulque Prophetarum, qui quod ex ea corpus accepturus esset praedixerunt: Apostolorum, qui illum esse Deum verum praedicaverunt: Martyrum, qui colla sua propter eum tradiderunt, et omnium justorum, qui fuerunt a saeculo.

Elevans vocem. Praesta quoque nobis Domine, ut sub alis dilectorum tuorum protegamur: exercitibusque eorum adjungamur, et inter coetus eorum constituamur: ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Pastoribus ex quorum ventre flumina aquae vivae fluxerunt: quique potum salutarem ovibus et agnis tuis praebuerunt, praesta Domine, memoriam pietatis bonam: nosque per illorum intercessiones custodi.

Elevans vocem. Ut illorum doctrina salutari confirmemur: et exemplis patrum eorum insistamus, atque ita sorte et funiculo haereditatis eorum nos dignos efficias, et inter eos, ut illi, referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Defunctorum qui crediderunt promissis unigeniti Filii tui, et in spe resurrectionis obdormierunt, ossa in pulverem redacta, odorem suscitationis sentire fac: animas eorum reduc ad eorum cadavera, et praevaricationum illorum ne memineris.

Elevans vocem. Ut per te a morte spirituali liberati, et a gurgite perditionis educti et a limo corruptionis extracti, nunc fortes resurgant et enarrent fortitudinem et gratiam unigeniti Filii tui, per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, remissionemque peccatorum quae propter eum est, tam nobis, quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Et novos per secundam formationem factos, resurgentesque, ad convivium spirituale in conspectu tuo, nos renovatos tuos aequaliter pervenire praesta, ut in hoc, sicut in reliquis glorificetur, et laudetur nomen tuum gloriosissimum et benedictum, ut etiam Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat dicens. Credimus.

Diaconus alta voce dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ad Pater noster.

Tange Domine, organum spirituale nostrum, quod ad laudes tuas ordinatum est, studia, et affectus cum motibus et cogitationibus quae nos conturbant tempera, ut secundum institutionem unigeniti

Filii tui, cum suavi harmonia, et gemitu, oremus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Omnia, quae mala, et vitia operantur, in ea quae bona et virtutes producunt cito converte erga nos Domine: et referemus tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra coram Deo.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Populum eorum qui procumbentes coram te inclinati sunt, et miserationes tuas coelestes suscipere se expectant, dignos fac participatione mysteriorum tuorum sanctorum, et ad gaudia fruenda tecum in regno tuo illos praepara: et referemus tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Unusquisque cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Unus Pater sanctus, etc.

Diaconus. Fac.

Sacerdos. Gloria tibi.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Laudamus.

Sacerdos. Ora non sufficiunt ad laudandum te: neque linguae ad enarrandam gloriam tuam, quod digna illa fecisti deliciis, quae percipiuntur in corpore et sanguine unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Christe qui dedisti corpus tuum ut comederetur,

esseque fermentum vitae, ne condemnes eos, qui te comedunt, cum illis qui contemserunt passiones tuas salutares: et referemus tibi gloriam et laudem, Patriquo tuo benedicto, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM MATTHAEI PASTORIS NOTAE.

De Mattheo Pastore, qui hujus Liturgiae autor perhibetur, nihil nobis occurrit, unde quando vixerit, aut quem gradum in sua Ecclesia obtinuerit, vel divinando assequi possimus. Jacobitam illum fuisse hinc probatur certissime quod haec ejus nomine Liturgia occurrit cum multis aliis eidem sectae propriis, quae, si eam quae Jacobi dicitur excipimus: nullam cum aliis Ecclesiis communem habet. Eam tamen Missali Chaldaico inseruerunt qui editioni praefuerunt, cum, ut alibi monuimus, et illa et aliae omnes, non alia ratione ad Maronitas pertineant, quam reliquae: omnes enim Jacobitarum propriae sunt, sed neglecta, post depulsos Syria Latinos, Maronitarum Ecclesia quae cum Romana reconciliata fuerat, qui prius Monothelitae fuerant, perfecti Jacobitae evaserunt. Extat in Romana editione p. 146. et sequentibus. Ejus autem ut aliarum recentiorum stilus, ex elegantiae Syriacae studio intricatissimus est, nec levis multis locis, quorum tamen nullus ad fidem pertinet, obscuritas reperitur.

2. *Et cum omnibus naturis spiritualibus, etc.*

Sententia, ut videtur, haec est. Cum beatis illis spiritibus laudes nostras conjungendo, aeterna tua consilia, non nisi secundo post illos loco, valde imperfecte noscimus et balbutiendo de Trinitate loquimur, dicendo *Sanctus.* Verum aliquid fortasse aliud intelligendum est, quod qualecumque sit, non valde refert.

3. *Et imagini configuratus est.*

Dei filius carne assumta, homini, qui erat imago Dei, configuratus est.

4. Panem fermentatum accepit.

Nihil simile in plerisque aliis Liturgiis: in ea quae dicitur Ignatii Patriarchae Antiocheni legitur, *Accepit panem perfectum*, quod idem est. Nam Graecorum qui impotentius adversus Latinos in Azymorum quaestione declamaverunt palmare illud argumentum fuit, panem non esse, si fermentum deficeret, quo in explicando operosissime nugati sunt. Iisdem quoque rationibus pugnat Joannes Patriarcha Jacobitarum Antiochenus, in Apologia Syrorum suorum, et ut alii ad fermentum variis ex Scriptura sacra autoritatibus stabiliendum utuntur, ita ille aliis nihil ad rem facientibus abutitur, ad salis et olei admistionem probandam. At disputationes de Azymo et Fermentato quae Latinos inter et Graecos usque ad anathemata exarserunt anno J. C. MLIII. tempore Constantini Monomachi, et Michaëlis Cerularii Patriarchae Constantinopolitani, tum primum Orientalibus innotuerunt, cum Tractatum adversus Latinos de eodem argumento edidit Joannes cognomine Ebn-Botlan Medicus Bagdadensis, quem reperimus in Codice MS. Bibliothecae Vaticanae. Erat Ebn-Botlan Christianus, et verisimiliter Melchita sive Orthodoxus, nam in titulo interfuisse disputationi dicitur, et scripsisse pro Michaële Patriarcha, quod Jacobitae nec libuisset, nec licuisset. De eo scribit Gregorius Albufaragius, sed tantum ut de Medico loquitur, non ut de Theologo. Antea nullius de hoc argumento operis apud Orientales memoria est, vixque ullae inter Latinos et Orientales controversiae de Religione, scripto vel voce, intercesserunt: unde quid recentiores illos moverit ut ea ratione verba Christi interpolarent, causa legitima nulla fuit.

Hist. Dynast. p. 233. et seq.

5. Haec est caro mea, etc.

Audacior sane neque excusanda interpolatio in verbis quae ad calicis consecrationem spectant; quam ut paucas alias similes ad Librariorum indiligentiam aut oscitantiam referre vix possumus. Temere vero prorsus Matthaeus ille Pastor, contra omnium aliorum exemplum formam illam mutilavit: dum alias voces, earum loco quas usus Ecclesiae toto orbe diffusae consecravit, substituere ausus est. Quod vero ut Itinerarii Montis Libani interpres ex duabus aliis, quarum sola excerpta viderat, factum id arbitratus est, quod totam consecrandi vim Invocationi Spiritus sancti tribuerent, speciosa quidem, sed parum firma conjectura fuit, ut alibi probavimus. Fieri tamen potest, ut inter ea verba, *deditque mysterio suo initiatis*, seu ad verbum *filiis mysterii sui* primitus extiterint alia necessaria. *Hic est calix sanguinis mei, etc.* ut omnino verisimile est accidisse circa Liturgiam Dionysii Barsalibi: cum ipse verba Christi necessario pronunciari a Sacerdote, testetur in suo ad Jacobi Liturgiam commentario. Hanc porro difficultatem resolvere ex comparatione exemplarium non est facile, et quod rarissima sunt, et quod tanta est scri-

ptorum imperitia, ut quemcumque Codicem nanciscantur, eum describant, judicio nullo, diligentia mediocri.

6. *Spiritus qui a te procedit, etc.*

Occurrunt eadem verba in aliquot aliis Syrorum Liturgiis sumpta ex Jacobi primaria: unde agnosci potest eos verba ipsa quae ex Scriptura sacra deprompta sunt, rectius et ad doctrinam Romanae Ecclesiae accommodatius intellexisse, quam Graecos recentiores, praesertim quorum certamina de processione Spiritus sancti Orientales non aliter didicerunt, quam a Missionariis: qui quod symbolum sine additione *Filioque* recitari audirent, eos in eadem esse ac Graecos Schismaticos opinione, existimaverunt. *Spiritus sanctus*, inquit Christus, *qui a Patre procedit, de meo accipiet.* Graeci ultima verba sic intelligunt, ut dona Spiritus sancti quae Christi morte parta sunt, ab eo accepta, hominibus communicet. At quod ea quae *οὐσιώδη* sunt, a Filio Spiritus sanctus accipiat, non agnoscunt, ut prae caeteris longa et subtili disputatione in Concilio Florentino probare nisus est Marcus Ephesius, et qui odii et belli adversus Latinos haeres fuit, Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, ab urbe capta primus. Qui igitur verba Christi de Spiritu sancto contra Graecorum mentem publicis testimoniis declaratam, variisque Theologorum scriptis confirmatam interpretantur, eorumdem errori affines esse non possunt. Docendi igitur sunt Orientales, non insectandi, ab illis praesertim, qui totam illam materiam, non ex probatis autoribus, quos ignorabant, sed ex Collectaneis didicerunt, aut ex aliquorum hominum relationibus, qui domum ex Oriente reduces, de triumphatis Schismaticis aut Haereticis sibi plaudunt inaniter.

7. *Panem istum perficiat, etc.*

Quae ad istius loci intellectum pertinent alibi fusius explicata sunt: illud tantum breviter repetendum est. Ex illis verbis quibus Syri uti solent in exponenda *Invocatione Spiritus sancti*, non captandam esse occasionem varias ipsis significationes attribuendi, jam diximus. Utuntur Graeci in vetustissimis Liturgiis vocibus *ποιεῖν*, *ἀναδεῖξαι*, *ἁγιάσαι*, *τελειοῦν*, quae omnes idem significant. Orientales qui ejusdem omnino potestatis voces non habent, utuntur illis quae, si non ad ipsam singularem significationem accedunt, at originem exprimunt. Manifestum est porro, tum ex Invocationis variis formulis tum ex Theologorum testimoniis, praecipuam et ad quam reliquae omnes referuntur esse τὸ *ποιεῖν*, *facere*, *efficere*, cui *ἰσοδύναμος* est *ἀναδεῖξαι* ut ab ipsis Protestantibus, doctissimo praesertim in Graecis literis Casaubono agnoscitur. Syri ad originem primariam attenti, verterunt aliquando per ܥܒܕ, quod proximiorem vocem non reperirent, ut Arabes Liturgiae Copticae interpretes, per similem. De illius interpretatione secundum verbi *ποιεῖν* significationem,

si quis litem moveat, ut vocem Syriacam, ad simplicem designationem, typicamque significationem referri debere contendat, facili negotio refelletur. Nam cum eadem res, divinus scilicet effectus, variis verbis postuletur, eam solam significationem convenire, quae petitioni respondeat, certissimum est. Illa cum pluribus verbis exprimitur, adjunctas habet voces alias, quae τῷ ποιεῖν respondeant: ex illo igitur, non ex linguae origine significatio peti debet, non minus quam in multis aliis. Ita תריץ שובחא qui vertat *rectae gloriae*, ut Boderianus, nugas aget: multo magis qui שויב אוסיא, *similem aut aequalem substantia:* cum Ὁμοούσιον aliter explicare non possint. Igitur hoc loco, ut in aliis Liturgiis נשמלא, *perficiat*, respondet Graecae τελειώσῃ, hoc est *consecret:* ποιήσῃ, *faciat* et aliis similibus. De ipsa re quantum ad Invocationis effectum, veramque ejus intelligentiam videndus Commentarius ad Liturgiam Basilii Copticam.

8. *Reges fideles, etc.*

De ea formula jam dictum est: quae licet minus frequens sit, occurrit tamen in pluribus Liturgiis, neque alia utuntur Nestoriani. Vetustissimae illa disciplinae notam praefert, omnibus Ecclesiis communem: mutatam fuisse Muhamedanorum metu satis patet.

9. *Qui dedisti corpus tuum ut ederetur, et esset fermentum vitae.*

Idem legitur in plerisque Orationibus gratiarum actionis post communionem: ut in hymnis qui canuntur a Diacono, cum sacramentum distribuitur: sed praesertim in Officiis exequiarum. Inde certa probatio doctrinae Orthodoxae deducitur, pro reali, non spirituali solum susceptione corporis Christi a Christianis: ut alibi expositum est.

LITURGIA

S. JACOBI I. EPISCOPI

BOTNANENSIS ET SERUGENSIS, SYRORUM DOCTORIS, QUI TABELITA ETIAM VOCATUR.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater qui es tranquillitas terminum non habens, et pax indeficiens: caritasque inseparabilis; qui per abundantiam gratiae tuae creasti hominem ad incorruptibilitatem: ille tamen eo quod transgressus esset praeceptum, reus mortis factus est per invidiam Diaboli; per adventum autem unigeniti Filii tui Domini et Dei nostri, pace e coelo demissa terram replevisti; quod etiam exercitus Angelorum hymnis celebraverunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo et super terram pax, atque hominibus bona voluntas:* imple Domine corda nostra bona voluntate tua, purgans nos ab omni macula; et liberans nos ab omni dolo, odio mortifero, et ab omni perversitate et astutia. Praesta etiam ut demus pacem nobis invicem in osculo sancto: et absque ullo crimine participes efficiamur doni tui coelestis et incorruptibilis, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo te decet gloria, honor, et imperium, cum Spiritu tuo vivo, sancto et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Praesta, etc.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Adorande qui ab Angelis glorificaris, et a Cherubim benediceris, a Seraphim sanctificaris, ab Igneis laudaris, a spiritualibus extolleris, et a filiis hominum exaltaris, et ab omnibus creaturis laudaris, respice Domine famulos tuos qui inclinaverunt colla

sua coram majestate tua, et emitte dexteram tuam plenam miserationibus, super coetum hunc adorantium te. Mitte ad eos ex sublimi sanctuario tuo abundantiam benedictionum, fontem bonorum, scaturiginem sanctitatis, puritatis et castitatis rivos perennes, fac eos filios et haeredes in regno tuo coelesti, per pacem hanc quam tuo beneficio suscipere a te meruimus; et referemus tibi gloriam et laudem simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus magne et aeterne, superne, excelse, mirabilis et abscondite, qui facis misericordiam in millia et decem millia eorum qui timent te, et observant praecepta tua: qui revelasti nobis per adventum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, mysterium quod absconditum fuerat a saeculis et generationibus: praestitistique ut essemus mediatores, et ministri sacramentorum tuorum venerandorum et coelestium: ne aspicias vilitatem nostram, quia indigni sumus accedendi et participes fieri munerum tuorum divinorum; sed per gratiam tuam et amorem tuum erga homines, visita nos in misericordia et miseratione, et libera nos ab omni dolo et invidia. Largire nobis Spiritum illum tuum sanctum, Spiritum sapientiae et prudentiae; Spiritum scientiae et fortitudinis, Spiritum castimoniae et sanctitatis, Spiritum timoris, et bonae voluntatis, ut aspersione hyssopi tui mundati, et abstersi, mereamur corde puro stare coram te et ministrare tibi, offeramusque tibi sacrificium hoc timendum et incruentum, ad consequendam veniam delictorum nostrorum, et remissionem peccatorum nostrorum: ad memoriam defunctorum, et ad gloriam tuam Deus Pater, et unigeniti Filii, et Spiritus tui sanctissimi.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Ad te Deus omnium Domine, timende et laudande, et faciens mirabilia, Pater vitae et Rex omnium saeculorum: occulte nec investigabilis, excelse nec comprehensibilis; praeclare qui nullo fine circumscriberis. Deus quem assequi cogitatio non potest, Pater et genitor Domini nostri Jesu Christi Filii tui di-

lecti: Filii tui aequalis tibi unigeniti, qui est similis tibi, et persona ex substantia tua: Filius praeclarus majestatis tuae: oriens lucis tuae, et splendor ignis tui, germen gloriae tuae, et imago substantiae tuae, omnipotens virtute verbi tui: qui ab aeterno ex te genitus est, et absque initio: estque tecum substantialiter et absque fine, in quo et per quem creavisti mundum per gratiam tuam. Nos igitur Domine te et illum et Spiritum sanctum adoramus, confitemur, et glorificamus, quia tu unus es tripliciter absque divisione.

Sacerdos elevans vocem. Gloria tibi Domine per Ecclesiam tuam, quam illuminasti ad praestandam tibi adorationem: laus tibi reddatur per ora quae novam per Verbum tuum dignitatem acceperunt: sanctus dicaris ab immundis illis qui hyssopo tuo purgati sunt; non quod glorificatione nostra magnificeris, aut quod gratiarum actione seu confessione nostra, magnum aliquid tibi accedat. Sunt enim tibi in coelis coelorum laudatores absque numero: juventus lucida et indeficiens, exercitus coelestes qui praeclare essentiam tuam glorificant: agmina lucida quae magna voce hymnos ad invicem canunt, millia millium, et myriades myriadum, quae coram te consistunt et nomen sanctum tuum adorant: series longissimae ignis devorantis: qui hymnos gloriae majestati tuae offerunt; virtutes admirabiles Spiritus vehementis, quae benedictiones mittunt illuc ubi es: legiones exercituum flammantium, quae laudes canunt naturae tuae absconditae: strepitus rotarum, vocesque Cherubim qui gloriam tuam benedictionibus prosequuntur: coetus Seraphim qui sono alarum suarum, et plausu suavi volatus sui, cantica dulcissima sanctitati tuae canunt, oribus igneo ardore, et labiis carbonum instar inflammatis, triplices sanctificationes inclamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Voces Cherubim Domine Trinitatem tuam explicant: et congregationes Seraphim absconditam naturam tuam benedicunt: ordines Angelorum substantiam tuam admirabilem glorificant. Gloria tibi, qui genus nostrum gratia tua magnificas; misce voces nostras terrenas cum hymnis coelestium ordinum. Tu Domine per miserationes tuas magnas, misisti ad nos Salvatorem et liberatorem, unigenitum Filium tuum dilectum: qui ortus est ex te o Virgo, tanquam radius ex luce in oculo puro effulgens. Accepit similitudinem servi ex utero sancto, cum vere sit similitudo majestatis tuae: homo factus est sicut ipse voluit, ut faceret nos Deos, quemadmodum ipsi

optimum visum est: natusque est ex utero carnali, ut regeneraret nos ex spirituali utero. Factus est nobis frater, ut nos filios tibi faceret: extulit nos ex humili servorum conditione, et dedit nobis ut ad haeredum dignitatem perveniremus: abstulit a nobis mercenariorum servitium, et constituit nos in gradu filiorum dilectorum. Depulit a pectoribus nostris spiritum servitutis, ut jam absit a nobis timor captivorum, et dedit nobis spiritum adoptionis, quo te fiducialiter vocaremus Patrem nostrum.

Elevans vocem. Et [2] cum paratus esset ad patiendum, reliquit nobis sui commemorationem. Ea scilicet vespera qua completa sunt omnia mysteria typi, et miracula, ea nocte qua tradebatur pro vita et salute mundi, accipiens panem in manus suas sanctas aspexit ad te Deus Pater, gratias egit † benedixit † fregit † deditque congregationi Discipulorum suorum, et dixit eis: Accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam postquam coenaverunt, calicem quoque vitae miscuit ex vino et aqua, † et † sanctificavit † deditque congregationi Discipulorum suorum, et dixit eis: Accipite, bibite ex eo vos omnes; Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et hunc calicem bibetis, mortem et resurrectionem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos junctis manibus. Quis inveniri potest qui magnificentiam tuam sublimem et aeternam digne enarret, o Verbum Deus! aut quis comprehendet exinanitionem tuam voluntariam; aut quis explicare poterit nativitatem tuam mirabilem ex Virgine; aut quid referemus pro passionibus voluntariis, et immeritis, quas nostri causa sustinuisti, et pertulisti? Quis sufficiat ad adorandam, et laudandam universam dispensationem tuam salutarem pro nobis? Deprecamur igitur te Domine, ut in die ultimo adventus tui, quando venturus es judicare vivos et mortuos, quando sedebis super solium excelsum et elevatum, quando Angeli et Archangeli consistent coram te judice

aequo et justo: quando abscondita revelabuntur, et opera examinabuntur, et omnes homines stabunt cum timore et tremore: in hac hora Domine, plene misericordiarum, ne avertas faciem tuam a nobis: ne intres in judicium nobiscum, ne examen severum adversum nos instituas: ne confundas nos confusione aeterna: ne repellas nos a servorum tuorum numero, neque projicias nos a conspectu tuo: ne expellas nos ab ostio thalami tui, neque dicas nobis; nescio vos, quia non abnegavimus nomen tuum sanctum; sed convertere Domine misericorditer, parce et miserere nobis. Ignosce peccatis Domine, dimitte insipienter commissa, parce criminibus, audi voces servorum tuorum; suscipe deprecationes adorantium te; propitiare supplicationibus deprecantium te; et pro his, atque in hunc modum poenitens Ecclesia tua deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te adoramus, te glorificamus, etc.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit [3] *Invocationem Spiritus sancti.*

Domine Deus omnipotens, precor miserere mei hoc tempore; aperiantur coelorum ostia, et veniat Spiritus sanctus, consubstantialis tibi, et unigenito Filio tuo: descendatque, illabatur, et requiescat super nos, et super oblationes has propositas, et transmutet eas.

Sacerdos elevans vocem. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos. Et exhibeat panem quidem istum, corpus ipsum preliosum Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, ipsum sanguinem vivum Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et faciat [4] utrumque unum corpus, et sanguinem, unum sanctum aequale et mysticum, ut commistum animabus et corporibus nostris, sit nobis, et illud accipientibus, in augmentum verae in te fidei; et in abstersionem macularum omnium. Expientur per illud peccatores, sanctificentur per illud poenitentes, justificentur per illud qui insipienter egerunt, convertantur per illud errantes, recon-

cilientur ira laborantes, concilientur odio perciti, tranquillitatem consequantur inquieti, lactentur per illud angustiati, consolationem habeant lugentes, recreentur oppressi, sanentur infirmi, ut ex omnibus, et in omnibus et propter omnia referamus tibi gloriam et exaltationem, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine sacrificium hoc tremendum et incruentum, pro Ecclesia tua sancta Catholica, in omni loco diffusa. Confirma eam in fide Orthodoxa, orna eam donis Spiritus sancti. Memento Domine Pastorum et Doctorum illius, praecipue vero beatorum Patriarcharum nostrorum D. *N.* et D. *N.* et venerabilis Episcopi nostri D. *N.* reliquorumque omnium Episcoporum Orthodoxorum, et omnium Ordinum Ecclesiae sanctae. Memento Domine etiam mei peccatoris et infirmi, omnibus nequitiis inquinati, et per aspersionem hyssopi tui abstersivi, munda me. Ne avertas faciem tuam, aut elongeris a me; sed secundum multitudinem misericordiae tuae magnae, abundet in me gratia tua, et multiplicetur tua erga me clementia.

Elevans vocem. Et populum tuum fidelem ab omnibus plagis et virgis furoris conserva Domine, et ab omnibus spiritibus malignis et ab omnibus technis fallacibus impiorum libera, et ab omni errore impio, aut idololatria eos eripe, neque permitte ut polluatur nomen tuum sanctum inter gentes: neque procul sis a nobis, aut nos negligas, ne inique colaphisemur et humiliemur; sed adjuva nos Deus salutaris noster, tu enim solus potes salutem nobis praestare, et tibi laudes perpetuas referimus et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, etiam eorum qui obtulerunt has oblationes ad altare tuum sacerdotale, et eorum qui attulerunt fructus ad Ecclesiam sanctam tuam, eorumque qui offerre quidem voluerunt, sed non potuerunt: et eorum qui injunxerunt nobis ut memores essemus illorum in orationibus ad te, Deus noster: retribue illis bona quae a te sunt.

Elevans vocem. Memento Domine omnium qui nobiscum stant et orant, eorumque qui procul sunt: eorum qui pauperes, egenos, et in angustia spiritus constitutos, adjuvant. Conserva nos simul cum illis per exercitus potestatum tuarum Angelicarum. Salva nos, et libera nos ab omnibus telis ignitis et perniciosis diaboli, et ab

insidiis et laqueis daemonum, a fame perniciosa doctrinarum malarum: et ab insultu hostium audacium; a manibus filiorum alienorum; ab hominibus malis, et sceleratis perversa loquentibus: atque confirmans nos per tranquillitatem quae a te est, dignos effice ut non spoliati, custodiamur, ad ultimum usque vitae nostrae spiritum; et referamus tibi laudem simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium Christianorum, et exercituum eorum, adversus eos qui contra illos pugnant. Memento etiam Domine eorum qui in mari navigant, aut in incommodis itineribus versantur: infirmis et in dolore constitutis, liberationem et sanitatem cito concede. Memento etiam Domine aëris, imbrium, roris et fructuum, et coronae anni: ad te enim respiciunt oculi universae carnis, et tu eis distribuis vitae necessaria in tempore opportuno.

Elevans vocem. Adjuva etiam Domine omnes Reges veram religionem profitentes, et populum tuum qui quaerit apud te refugium. Comprime Ecclesiarum schismata, compesce superbiam gentium, haereses a fundamentis destrue: eos qui in carceribus, exilio, aut servitute sunt, libera: eos qui in captivitate, persecutionibus aut periculo sunt, eripe: eos qui gravissimis morbis conflictantur, sana: eos qui dolore et angustia animi tenentur, recrea; reduc eos qui in mari, aut longinquis itineribus peregre absunt: imbres tempestivos, roremque commodum locis secundum necessitatem mitte. Benedic coronae anni per gratiam tuam, quia tu clemens es et multae misericordiae, et tibi laudem offerimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium piorum et justorum, patrumque sanctorum, qui ab Adamo usque ad hanc diem fuerunt. Et Virginis Mariae thorum conjugalem non expertae, Joannis-Baptistae, Stephani primi Diaconorum; et eorum omnium qui placuerunt coram te.

Elevans vocem. Constitue et recense nos Domine, inter coetus dilectorum tuorum, inter ordines eorum qui dilexerunt veritatem tuam, in coetibus piorum et justorum, qui expectaverunt salutem tuam, in congregationibus martyrum qui mortem cum spe tua sustinuerunt: in partibus praeclaris religiosorum tuorum et virginum: in consessu Apo-

stolorum, et Evangelistarum: in theatro Praedicatorum et Prophetarum, qui revelationem a te acceperunt: in festo et gaudio gloriosorum agonistarum qui perfecerunt voluntatem tuam: in regione gaudii et voluptatis indeficientis tuae, ut cum illis et inter illos, referamus tibi gloriam et laudem et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Patrum Sanctorum et Doctorum electorum, qui cum recta fide praefuerunt Ecclesiis tuis sanctis, pugnaveruntque pro verbo veritatis, praecipue vero Ignatii, Dionysii, Basilii et Gregorii, reliquorumque Patrum et Doctorum Orthodoxorum.

Elevans vocem. Luminarium splendidorum Ecclesiarum tuarum sanctarum, eorum qui in certamine pro religione suscepto, animi robur demonstraverunt: eorum qui nomen tuum inter gentes, Reges et filios Israël praedicaverunt. Per orationes eorum acceptabiles audaciam haereseon compesce: doctrinas rectas fidei eorum in animabus nostris insere, et inter ordines eorum beatos nos colloca, et gloriae triumphique coetuum eorum coelestis participes nos effice. Da nobis etiam fiduciam coram solio tuo excelso, quia tu es sanctus, et in sanctis requiescis, sanctosque perficis; et te decet gloria, honor, et imperium cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium qui in fide vera pridem obdormierunt, ab Adamo ad hanc usque diem, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Psaltarum, Interpretum, Cantorum, Monachorum, et omnium Saecularium fidelium qui in Christo obdormierunt, et eorum pro quibus uniquique obtulerunt.

Elevans vocem. Domine quietem praesta animabus eorum quorum memoriam fecimus, et in libro tuo vitae nomina eorum scribe, dignosque illos fac voluptate quae in Paradiso percipitur. Colloca eos in regione justorum, et ordinibus piorum illos adjunge, atque ad portum vitae pervenire fac, ubi est habitaculum quietis, unde fugiunt dolores, infirmitates, suspiria et angustiae: ubi omnes sancti voluptate fruuntur, ubi omnes pii quiescunt. Nullum ex nobis, aut ex ipsis condemnatum, projectum, aut exclusum facias a regno tuo coelesti: unus enim fuit tantummodo qui apparuerit super terram immunis a peccato, unigenitus Filius tuus Dominus et Deus noster Jesus Chri-

stus: per quem nos etiam speramus consequi misericordiam et remissionem peccatorum, et propter eum, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Parce Domine, et remitte omnes iniquitates nostras et illorum, et libera nos ab omnibus aegritudinibus perniciosis, iniquitatis et peccati, cujuscumque generis: dirige gressus nostros in semitis mandatorum tuorum divinorum: et da nobis ut simus populus sanctus, congregatio salvata, et Sacerdotium angelicum. Da etiam nobis, ut cum exultationibus spiritualibus, et choreis intellectualibus, tripudiisque cum summo gaudio conjunctis, laetemur et eadem voluptate fruamur, cum viris illis beatis; ut cum illis et inter illos glorificemus, laudemus et exaltemus gloriosissimum, et benedictum nomen tuum, et Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones Dei sint, etc.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat.

Et dicit Orationem quae dicitur ante Pater noster.

Deus admirande et ineffabilis, excelse et infinite qui laudis perpetua decantatione a potestatibus coelestibus exaltaris, et canticis triumphalibus, et sublimibus celebraris: te oramus ore mentium nostrarum, te qui occulta intueris nostra. Tu es enim Creator et Deus, primus, et novissimus: neque est alius Deus praeter te. Tu es spes eorum qui persecutionem patiuntur: comes exulantium: pauperum confortator, consolator afflictorum, et perditorum repertor. Te igitur precamur, ut misericordia tua inveniat perditionem nostram, ut mundemur per gratiam tuam a sordibus peccatorum, et liberemur a tentationibus animam et corpus impugnantibus. Da etiam nobis ut orationes nostrae, alis optabilibus gratiae tuae subvectae, perveniant usque ad infimum gradum solii gloriae tuae; utque cum fiducia a te concessa, stemus coram te cum corde puro et vultu laeto, dicamusque hanc orationem quam docuit unigenitus Filius tuus, discipulos suos sanctos: respondeamusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Ne Domine inducas nos in tentationem, animae vel corporis, ita ut per dolores, vel per peccata tentemur. Sed tu Domine Deus per misericordiam tuam tanquam Pater misericors et clemens conserva corpus a doloribus et infirmitatibus, et animam ab iniquitatibus et peccatis; atque in hunc modum liberemur a malo, a potestatibus et artificiis ejus. Non enim est in nobis virtus qua possumus maligno resistere, si nomen tuum sanctum non adjuvat nos: quia tuum est regnum et potestas, et gloria, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra Deo inclinemus.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram te Domine, Rex Regum et Domine Dominantium, et faciens mirabilia, excelse per gloriam tuam, praedicande per majestatem, abscondite secundum essentiam, inclinant servi tui capita sua hoc tempore, expectantes spem promissorum tuorum, et clementiam tuam, sitientesque miserationes quae a te conceduntur. Extende Domine manum tuam potentem, et omnibus sufficientem, benedicque servis et adoratoribus tuis. Perfice illos, ita ut puri sint, et absque macula sordibusque peccati, ut digni efficiantur susceptione mysteriorum tuorum sanctorum et divinorum. Libera nos ab omni phantasia nocturna, diurna, meridiana et vespertina: corpusque et sanguis unigeniti Filii tui sit nobis fermentum, et pignus vitae in die judicii, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen. *Sacerdos.* Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Quid habemus quod retribuamus Domino pro omnibus quae retribuit nobis; et pro omnibus donis, beneficiis, et muneribus ejus erga nos: qui nos terrestres, dignos fecit communicandi

mysteriis ejus sanctis? Confitemur, adoramus, et glorificamus, et voces gratiarum actionis offerimus, rogamusque, o amator hominum, ut sicut vocasti, et adduxisti nos, ad convivium hoc beatum et vivificum, des, et praestes nobis, ut sit nobis ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, ad viaticum vitae aeternae, et ad gloriam laudemque nominis tui, et unigeniti Filii tui et Spiritus tui sanctissimi. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Post susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quae nobis data sunt iterum, coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Sacerdos. Coram te, Domine Deus, inclinantur mentes nostrae, motus animi et intellectus nostri, omnisque corporum nostrorum compages cum animabus nostris: rogantes et obsecrantes misericordiam tuam, ut requiescat dextera tua invisibilis, et plena benedictionibus super nos omnes. Benedic, sanctifica, custodi per crucem tuam victricem, nos omnes, qui accepimus corpus tuum sanctum, et bibimus sanguinem tuum purum, ab omnibus damnis animae et corporis. Confirma in nobis voluntatem tuam vivificam, insere in nobis fidem in te veram, et da nobis virtutem ad observationem mandatorum tuorum sanctorum: facque nos pervenire ad finem bonum, et voluptatem regni tui, et referemus tibi gloriam et laudem, et Patri tuo, et Spiritui sancto, nunc, etc.

IN LITURGIAM JACOBI SERUGENSIS

NOTAE.

1. Jacobi Botnanensis.

Frequens Jacobi hujus memoria est apud Syros Jacobitas, extantque ejus nomine Homiliae non paucae Syriacae, et opuscula Theologica in Codice antiquissimo Colbertino. Citatur a Mose Barcepha in Commentario de Paradiso, nec mirum cum in eadem uterque secta vixerit. Botnan autem quae

apud Syros ita appellatur, urbs est Syriae, Orroënae sive tractatus Edesseni, quem ארהאי vocant. Stephanus *Βάιναι πόλις τῆς ὀρροήνης, τὸ ἐθνικὸν βαιναῖος. Batnae urbs Orrhoenes:* Procopio *Βάινη* singulari numero appellatur. Ait esse *πόλισμα βραχὺ καὶ λόγου οὐδένος ἄξιον ἡμέρας δὲ ὁδῷ ἐδέσσης διέχον. Urbeculam nullius nominis unius diei itinere ab Edessa distantem.* Meminit Julianus Imp. Ep. 27. *Osroenae* legendum monet Holstenius apud Stephanum, nec temere, nam ita vulgo haec regio a Graecis et Latinis autoribus appellatur; nihil tamen mutandum, ut saltem quae apud eos remanent scripturae Orientalis et genuinae vestigia, intacta serventur. Urbeculam hanc praesertim afflictissimis Christianorum rebus, sub uno Episcopo cum Seruga fuisse conjunctam, verisimile est. Nam ut ex hujus Liturgiae titulo, aliisque Syris et Arabicis monumentis intelligitur, utrique urbi Jacobus Episcopus praesidebat. Nec immerito vocatur *Syrorum Doctor*. Nam si vera est narratio de rebus Armeniae quam e Regio Codice edidit Combefisius, ab isto Jacobo nomen Jacobitae habuerunt, quem *Ἰάκωβον Βιτναναῦ* vocat; qua in voce *Botnan* facile est agnoscere. Quamquam verisimilior omnino conjectura videtur, eorum qui Nicephorum et Graecos alios autores secuti, Jacobitas non a Botnanensi Jacobo, sed a Baradaeo, sive Baradato quem et *τζάνζαλον* per contemptum appellant, ita cognominatos existimant. Tabelita unde dictus sit, haud aliter scimus quam ex Cod. MS. inscriptione: ex qua etiam conjectari licet non pauca Constitutionum Ecclesiasticarum fragmenta quae in Nomocanone Syrorum leguntur, nomine Tabelitae, ad hunc esse referenda. Fuit autem ille, ut Christiani tam Orthodoxi quam Nestoriani testantur, Severi Antiocheni discipulus, et maximus Jacobiticae fidei propugnator, cum alter in exilium pulsus foret: successoremque in eadem causa sustinenda habuit Jacobum alium Baradatum, a quo Jacobitas nominatos fuisse Nicephori, Eutychii Alexandrini, et aliorum multorum opinio fuit. Cum autem Jacobus Botnanensis multa scripserit, non modo inter Ecclesiae Jacobiticae Doctores numeratur in *Ὁμολογίᾳ*, sive Confessione fidei quae ab ordinandis exigitur, sed multa ejus testimonia occurrunt in Tractatu de fide Patrum. Historiae Nestorianae scriptores tradunt, Jacobum aequalem fuisse Acacio, quem vigesimum secundum Catholicorum suorum numerant: literis sacris operam dedisse in Schola Edessena quae florentissima tunc fuit: et initio Nestorianorum opinioni adhaesisse. Postquam vero Anastasium Imperatorem Severo plurimum tribuere, et in ejus sententiam consensisse intellexit, unius naturae fidem professum fuisse, illamque acriter defendisse.

L. 2. de bell. Pers. p. 119. ed. Regiae. Et de Aedif. l. 2. p. 22.

2. In codice Colbertino vetusto et bonae notae forma verborum Christi aliter se habet; magisque paraphrastica est; sed quia luculentam continet Jacobitarum de Eucharistiae fide confessionem, eam referemus. *In ea nocte qua tradebatur, ut animas nostras in captivitate servitutis constrictas liberaret, atque a maledictione et scandalo idolorum mutorum et mortuorum homines eriperet; ornatum sacerdotii demonstravit et pro Ephod atque Cidari sacerdotii antiqui, potestatem Deo dignam coram Apostolis sanctis manifestavit. Accipiens panem in manus suas sanctas, aspexit ad te Deum Patrem,*

gratias egit † benedixit † sanctificavit † fregit, divisitque Apostolis suis sanctis: dicens: Accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Populus. *Amen.* Sacerdos. *Etiam super calicem perfecit hoc mysterium dispensationis, miscens illum vino et aqua, et virtutem verbi sui vivificantis in eo abscondit, ipsam quae semper et perpetuo sanctificat et perficit: gratias egit † benedixit † et sanctificavit † dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.* Populus. *Amen.* Sacerdos. *Quotiescumque sacrificio hoc divino reficiemini, et panem hunc manducabitis, calicemque hunc bibetis, ego in medium vestri veniam, super thronum sedens, panemque et vinum per unionem assumens: atque in patena et calice habitabo. Cum igitur ad mysterium istud celebrandum convenietis, non recedet a vobis memoria mortis meae, et illam annunciabitis, resurrectionem quoque meam confitentes, donec veniam.* Insignis sane locus, in quo explicando, et ad Protestantium sententiam reducendo exercere se possunt, quicumque Claudio saepius de Orientalium fide pejeranti, nimium facile crediderunt. Quamvis autem rara sint ejusmodi expositionum fidei in Liturgiis exempla, cum tamen istius certa sit apud Jacobitas Syros autoritas, rejici testimonium illius non potest, praesertim cum nihil contineat, quod iisdem verbis alibi non occurrat: tum in precibus, tum in scriptis Theologicis. Verba illa *virtutem verbi sui vivificantis in eo abscondit*, eadem significant, ac ista quae in orationibus leguntur, *virtutem Spiritus sancti habitare in pane et commisceri calici.* Dicunt etiam Jacobitae Christum post consecrationem elementorum, *venire et quiescere in altari:* id enim hoc loco significat vox *Throni,* nam Graecam retinuerunt hujus Liturgiae autores. Ita autem Syri in stilo Ecclesiastico vocant, mediam altaris partem in qua discus Eucharisticus et calix collocantur, ut videre est in Rituali Severi Antiocheni, et pari ratione Arabice vocatur כרסי *Karsi,* pars illa scilicet in qua *Tablito,* sive Tabula consecrata fixa est. Quod sequitur *panem et vinum per unionem assumens*: ad verbum redditur *uniens:* sed cum eadem voce explicetur a Syris, unio qua Verbum carnem assumsit, alia hujus loci significatio esse nulla potest. Frequentissima porro apud Syros Jacobitas est haec Theologia; panem et vinum fieri Corpus et sanguinem Christi, per assumtionem, et unionem, sicut corpus humanum ex carne et sanguine Beatae Virginis formatum, factum est corpus Verbi Dei, assumtum et unitum Verbo Dei. Ita Anonymus in Codice Mediceo, et plurimis locis autor Homiliarum de circulo anni ad usum Ecclesiae Alexandrinae, qui in prima de Evangelio Lucae ita loquitur. *Sacerdos postulat illapsum Spiritus sancti super panem et vinum, ut ea sanctificet: et postquam ab ipso sanctificata sunt, tunc unitur illius Filius, fiuntque ejus corpus et sanguis per unionem ejus, cum illis.* Et in ea quae est de Cantico Zachariae ad ea verba: *illuminare eos qui in umbra mortis sedent:* ita loquitur. *Significat hic locus, quod nobis quotidie Christus oritur, incarnatus in disco et in calice:* atque id

Severi lib. Rit. p. 101.

multoties repetitur in iisdem Homiliis, et in Tractatibus Theologicis. Indo constat non singularem quamdam in ista Liturgia proponi opinionem, sed communem Ecclesiae Jacobiticae doctrinam.

2. *Invocatio Spiritus sancti.*

Invocatio Spiritus sancti, communem omnibus Liturgiis Orientalibus lectionem repraesentat cum perspicua illa distinctione duplicis effectus per sancti Spiritus adventum postulati: nempe in dona proposita, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi Domini: in Sacerdotem et circumstantes, ut mysteriorum participatio prosit illis ad remissionem peccatorum et vitam aeternam. Utrumque enim effectum, dum similem ex Gregorii Coptica Liturgia formulam vexavit Salmasius, confundere conatus est, ut scilicet fierent dona proposita corpus et sanguis, sed illis duntaxat quos Spiritus sanctus prius sanctificavisset; qua interpretatione nihil absurdius, aut magis abhorrens ab Orientalium Theologia, ut ab antiquorum Patrum doctrina. In hujus autem Liturgiae Invocatione singulare est, quod cum pleraeque, ex vocibus quae adventum seu *ἐπιφοίτησιν*, et *ἐπισκίασιν* Spiritus sancti significant, et omnes eamdem vim et significationem habent, unam aut duas repraesentet, ista omnes complectatur: nempe ܐܬܐ *supervenial,* ܢܪܚܦ *obumbret,* ܢܬܢܝܚ *requiescat,* quibus *illapsus, obumbratio, adventusque* sancti Spiritus in Beatam Virginem ad Incarnationis mysterium significantur a Theologis, dum miraculum quod in Eucharistia fit, alteri quod factum est in Incarnationis momento, comparant. In ista porro forma Invocationis adjicitur, et *transmutet* eas oblationes: quae verba occurrunt in Graeca Liturgia Chrysostomi: et in Syriaca quae Nestorio tribuitur: tum in Jacobitica Jacobi Edesseni, Marutae et aliis. Hinc agnoscitur vocem ܐܝܟܢܐ, quae in sequenti periodo legitur, ut in Syriaca quoque Jacobi Apostoli, non aliter intelligendam, quam ut intelligenda est vox *ἀναδείξῃ* quae eodem loco usurpatur in Graecis codicibus: nempe *consecret*, et *efficiat,* ut saepius exprimitur in diversis aliis Liturgiis Syriacis. De illis vero locutionibus, et Orientalium hac in parte Theologia, sufficienter dictum est alibi.

3. *Et faciat utrumque unum Corpus et Sanguinem unum, sanctum, aequale et mysticum.*

Sententia hujus loci quiddam obscurum habere videbitur, illis qui Theologos Orientales minus familiares habent. Docent non modo in Tractatibus Theologicis, sed in orationibus quae ad populum dicuntur, atque adeo simplicissimae sunt', et ad plebis captum accommodatae, dona consecrata unum esse; sicut Christus ipse unus est, neque panem et calicem quamvis seorsim consecrentur et sumantur, duo esse mysteria sive sacramenta, sed unum. Hoc simplicibus verbis ita exprimunt in oratione, quam plerique co-

dices repraesentant, nonnulli eam Dionysio Barsalibi attribuunt, dicenda paulo ante Communionem. *Hoc est corpus istius sanguinis: hic est sanguis istius corporis.* Rogant igitur ut Spiritus sanctus panem et calicem faciat unum corpus et sanguinem: hoc est, ut cum mysterium consummatum est, utraque species, tam simul, quam divisim consecrata vel sumta, unum sit sanctum τὸ ἅγιον hoc est una Eucharistia, unum sacramentum, *aequale*, ut scilicet et in pane corpus et sanguis, et in calice sanguis et corpus aequaliter credantur: *aequale* etiam idcirco, quia utrumque sub alterutra specie continetur: *mysticum* sive *sacramentale*, ut pariter verti potest, quia licet vere et realiter, mystice tamen fit, quia non sensibiliter fit, sed in sacramento. Ita illos credere et multa alia firmissima argumenta demonstrant, et maxime, optima fidei interpres disciplina: secundum quam infirmis longe positis solum panem consecratum mittunt: infantibus solam vini speciem, ut alibi fusius explicatum est. Eamdem sententiam aliis verbis, sed idem significantibus, expressit in Liturgia sua Gregorius Abulfaragius, in qua gratias agit Deo *propter illud munus duplex, quod duplicibus dedisti, quamvis tamen unum sit et unius typum exhibeat.* Duplex munus vocat panem et vinum, facta corpus et sanguis Christi, datum hominibus, qui constant ex corpore et anima: quamvis tamen munus illud unum sit, quia unum est, in duplici specie sacramentum, et unius typum exhibet, quia sacramentum unum est ea qua mox dictum est ratione, Christumque unum non persona solum, sed natura, ut existimant, repraesentat et exhibet. Nam ex praejudicata illa sua opinione, licet praeclare de Eucharistiae fide scribant, argumenta ducunt, quae illam magnopere confirmant.

LITURGIA
BEATI JACOBI INTERPRETIS
EPISCOPI EDESSENI.

Primum Oratio ante osculum Pacis.

Deus Pater omnium et Domine dominantium, genitor aeterne qui genuisti Filium aeternum, et ab aeterno, neque temporaliter, non divisibiliter, aut mutabiliter: ipse fons pacis, et origo tranquillitatis, abyssusque caritatis perfectae; Tu largitor illius pacis, praesta nobis

omnibus, ut pure et spiritualiter, absque ulla animi perturbatione, amplectamur et osculemur invicem in caritate vera, perfecta atque vacua omni dolo: per eum ipsum largitorem tranquillitatis, unigenitum Filium tuum, cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem. *Et* Post, etc.

Sacerdos. Quando igitur conjuncti et uniti sumus alter alteri, per caritatem veram et spiritum mansuetudinis, deposuimusque vetera vestimenta hominis veteris, et colla nostra coram clementia tua inclinavimus, rogamus bonitatem tuam naturalem, ut effundas super nos, et super omnem populum et haereditatem tuam, quae sanguine salutari Christi redempta est, omnes benedictiones tuas abundantes, et omnes gratias tuas perfectas, ut [2] linguis quae accipiunt unum corpus sanctum unigeniti Filii tui, et per eum et cum ipso referamus tibi gloriam et laudem et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tu per bonitatem beatam tuam naturalem, et misericordias, et miserationes, quae substantialiter tibi connexae sunt, ex nihilo ab initio creasti nos ad imaginem praeclaram majestatis tuae: cumque corrupti fuissemus, et corruptioni relicti obnoxii, per eamdem gratiam tuam, et non per justitiam nostram, Verbum Deum Filium tuum misisti ad salutem nostram. Tu ergo etiam nunc Domine, per eamdem bonitatem tibi naturalem, per quam creasti nos a principio, et per misericordiam illam etiam tibi naturalem qua in fine salvasti nos: per illam igitur age nobiscum benigne in hac hora, ut accedentes ad mysteria haec sancta, non afficiamur pudore peccatorum nostrorum, sed per eadem mysteria tua, purgemur a sordibus et spurcitiis peccati, et referamus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo.

Diaconus. Stemus, etc.

Sacerdos. Caritas Dei, etc.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Dignum et valde justum est, ut benedicaris, glorificeris, honoreris et exalteris. Deus noster, neque solummodo a nobis, sed etiam ab omnibus virtutibus quae in coelo sunt: quia creasti nos ex nihilo per amorem tuum erga homines, et docuisti nos glorificationis et gratiarum actionis voces, quas offerremus tibi. Sed nunc conjunge nos per Spiritum tuum sanctum in unam spiritualem concordiam.

Elevans vocem. A te enim contremiscunt millies millia, et decem mille myriades mentium coelestium, et multitudines sublimium: substantiae simplices nec compositae, a flamma illa intelligibili decisae, quae tibi benedicunt. Ordines mirabiles et timendi ex carbonibus ignis levissimi constantes, qui te laudant: exercitus maxime admirabiles, quorum inter labra carbones terribiles defluunt, te glorificant; catervae prolixae et fortes, cum motu Cherubim carbones ferentium, te exaltant: ordines praeclare dispositi Seraphim, sex alas habentes, trina te sanctificatione sanctificant, qui facies suas, quamvis igneas, ab ardore tuo protegentes, canticis suavissimis, et quae humana labia efferre non possunt, trinam sanctificationem uno concentu intonantes, cum jubilo clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, Domine, fons sanctitatis; qui cum praevaricati fuissemus et in pulverem recidissemus, in eam scilicet naturam ex qua creati fueramus, per bonitatem exaltasti nos, et Prophetas misisti ad directionem nostram: cumque non suppeteret illis virtus ad salutem praestandam, Verbum Deum Filium tuum misisti ad auxilium nostrum. Ipse autem corpus assumpsit ex figmento nostro, ut illud iterum refingeret: et quaecumque homini conveniunt (excepto peccato) suscepit pro nobis, et illa quae Deo digna erant, operatus est ad salutem nostram.

Elevans vocem. Cum igitur agnum legalem illum, qui typus erat agni coelestis cum discipulis suis sanctis manducaret, velletque nos a sacrificiis corporeis, agnorum, taurorum, et haedorum liberare, et nos attollere ad digniora sacrificia, coelestia divinaque mysteria, eo vespere quo traditurus erat se ipsum in sacrificium pro nobis, panem accepit in manus suas sanctas, et expertes omnis maculae et elevans oculos in coelum ad Patrem, gratias egit † benedixit † fregit † [3] edit deditque discipulis suis dicens, accipite edite

ex eo: Hoc est Corpus meum, quod pro vita creaturarum frangitur, et dividitur, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam miscuit calicem temperate ex vino et aqua, gratias egit super eum, postquam coenavit cum discipulis suis in mensa mystica, † benedixit, † sanctificavit † et porrexit Apostolis sanctis, et dixit. Hic est Sanguis meus quem effundo pro mundi vita, et eis qui credunt in me praeparat vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita perficite quotiescumque manducabitis corpus hoc, et bibetis hunc calicem, memoriam agite mortis meae, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos. Dispensationem tuam supernaturalem scribimus super tabulas cordis nostri; et mysteria praeclara mirabilium tuorum, o Verbum Deus, oculis mentium nostrarum intuemur. Memoriam etiam facimus exortus tui tremendi et timendi in adventu tuo secundo: quando sicut fulgur vehemens, ab oriente exorieris, et orbis fundamenta virtute potentissima tua conculies: quando super nubes coeli cum pompa ingenti venies, quando super thronum sublimem majestatis tuae cum gloria inenarrabili sedebis: quando terra sicut vas figulinum evomet corpora in ea deposita, et abyssus excitabit defunctos in ea quiescentes, tanquam ex somno: quando nulla erit consolatio luctui impiorum, neque ulla tristitia superveniet gaudio justorum. In hac hora terribili effunde commiserationem tuam Domine, super populum tuum, et haereditatem tuam: ne deficiat spes nostra a gratia tua, neque privetur confidentia in te nostra miserationibus benignitatis tuae. Non tegant peccata nostra sigillum [4] Chrismatis tui sancti; neque spoliemur per insipientias nostras, baptismo tuo divino. Ne immisericors sis erga nos Domine, ne avertas faciem tuam a nobis o clemens, ne quaeramus misericordiam et non sit qui misereatur, neque fleamus in passionis dolore, et non sit qui consoletur. Non torqueamur in gehenna, et non sit qui ignoscat; ne effectum non habeant promissiones erga nos tuae veraces, propter peccata, praevaricationes, et iniquitates nostras: non cum illis qui contemserunt passiones tuas recenseantur, qui non abnegaverunt crucem tuam: neque cum illis qui te non confessi sunt, numerentur illi qui crediderunt in te. Nos ii sumus Domine qui sustinuimus contumeliam et opprobrium pro nomine tuo sancto, qui ja-

ctati, praedae expositi et persecutionem passi sumus pro nomine tuo sancto; qui colaphis caesi sumus á gentibus alienis, pro fide tua vera. Quandoquidem te non abnegavimus, ne abneges nos: qui non contempsimus humiliationem tuam, ne per contemtum privemur convivio tuo. Pro his et ejusmodi rebus Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te et per te et tecum Patrem tuum, dicens. Miserere mei, etc.

Sacerdos. Nos quoque. *Populus.* Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Domine Pater miserere nostri, et mitte gratiam Spiritus tui sancti qui vivificans est, tibique consubstantialis; qui per Prophetas locutus est, qui Apostolis sapientiam, qui martyribus fortitudinem inspiravit, ipse veniat et requiescat super haec mysteria et sanctificet illa, et nos sua sanctitate repleat. Exaudi me, etc.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens et requiescens, efficiat panem hunc, ipsum corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, exhibeat ipsum sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut commista et unita animabus et [6] corporibus nostris, sint nobis ad veniam, et non ad accusationem; ad mundationem, et non ad condemnationem; ad fiduciam consistendi coram throno terribili majestatis tuae, et non ad confusionem; imo ad revelationem vultus coram timenda majestate tua, quia veraces et fideles sunt promissiones tuae, Pater, Fili, et Spiritus sancte nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Hoc sacrificium offerimus tibi, pro universa Ecclesia Orthodoxa, pro Patriarchis nostris, pro Episcopis, pro Sacerdotibus, pro Diaconis, pro Monachis, pro Religiosis, pro Fidelibus veris, pro vilitate mei peccatoris, et pro insanabilibus infirmitatibus meis, ut cures eas per medelam tuam saluberrimam, Domine misericors, bone et longanimis.

Elevans vocem. Ut per illa extollatur, et triumphet Ecclesia haec sancta et praeclara tua, quae extendit tentoria sua a finibus

usque ad fines terrae habitabilis. Confirmetur per fortitudinem brachii tui, confortetur per virtutem potentiae tuae, referatque tibi gloriam et laudem simulque unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Sacerdos inclinatus. Et per solam misericordiam tuam, suscipiens has oblationes ex manibus meis peccatricibus, eorum etiam qui optaverunt offerre et facultatem non habuerunt, memento per misericordiam tuam.

Elevans vocem. Et eorum qui cum fide et zelo ardenti veritatis, primitias, decimas, oblationes et dona, Ecclesiae tuae sanctae separant et largiuntur, quique necessitatibus et inopiae pauperum, afflictorum, et persecutionem patientium communicant, in hoc tempore hujus sacrificii memento. Sed neque suspiria et gemitus eorum, qui in angustia spiritus, et cordis afflictione sunt, negligas Domine: quia tu beatus, veniae largitor et hominum amator es, tibique gloriam et laudem referimus, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [7] Regum fidelium qui auxilium dant Ecclesiae tuae sanctae, et pugna pro eis, et judica causam eorum, adversus inimicos eorum.

Elevat vocem. Et lupos, atque tyrannos qui avide frendent dentibus contra Ecclesiam tuam, et contra oves gregis tui sancti, perde et dissipa. Gladios etiam sitientes sanguinem adorantium te, magna fortitudine brachii tui hebeta et perde, confringe et repelle: militiam quoque illam quae decertat pro aedificatione Ecclesiae unigeniti Filii tui, virtute tua insuperabili confirma et adjuva: quia tu refugium, salvator, et adjutor noster es, tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo.

Sacerdos inclinatus. Ad bonam etiam memoriam revocans, Prophetas electos, revelationum investigatores: memento genitricis Dei Mariae, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Stephani, Joannis Baptistae, et omnium Sanctorum qui a saeculo placuerunt tibi.

Elevans vocem. Eorum qui interpretes fuerunt mysteriorum inscrutabilium dispensationis unigeniti Filii tui, qui abscondita tua viderunt, qui res abstrusas annuntiaverunt: qui futura indicaverunt: qui sermone simplici, sapientiam sapientum confuderunt: qui in ipsa corporis infirmitate thronos regum potentium terrore concusserunt, ut etiam eorum qui cervices suas tradiderunt tormentis et doloribus, propter nomen tuum sanctum: eorum qui mundo et concupiscentiis ejus renuntiaverunt, et cucurrerunt post praecepta Christi tui memento Domine,

et nos per eorum intercessiones robora et adjuva. Animas etiam nostras in veritate tua firmas effice, corda nostra in fide tua confirma, quia tu dator et largitor bonorum es, Domine, tibique laudem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Sacerdos inclinatus. In hac etiam hora memento, Domine, Doctorum, Orthodoxorum, praecipue [8] vero Ignatii, Dionysii, Basilii, Gregorii, Cyrilli, Severi, Philoxeni, Jacobi, et reliquorum omnium Doctorum qui vestigia illorum secuti sunt.

Elevans vocem. Eorum qui radiis Theologiae a Spiritu tuo sancto inspiratae, tenebras omnium gentium illustraverunt: eorum qui funes extenderunt Ecclesiae ex gentibus congregatae, et redemptae sanguine unigeniti Filii tui, a finibus usque ad fines terrae habitabilis: eorum qui gladio spiritus resciderunt membra mortua ex corpore Ecclesiae Christi tui: per quorum orationes acceptabiles, Domine nos etiam confirma et dirige in fide et doctrina eorum beata; ut cum illis et inter illos, referamus tibi gloriam, et laudem simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo.

Sacerdos inclinatus. Mortuorum etiam fidelium, pro quibus hoc sacrificium oblatum est, memento Domine in hac hora: nominatim vero mortuorum omnium fidelium, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, tam secundum corpus, quam secundum spiritum.

Elevans vocem. Et eorum qui cum spe vera, et confidentia fidei quae in te est, ex hoc mundo angustiarum migraverunt, et ex vita hac gemebunda profecti, ad te pervenerunt, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum recordare. Memento eorum, et suscipe, eosque quiescere jube in sinu Abraham, in tabernaculis laetitiae et quietis, in habitaculis lucidis, in mundo voluptatum, in Ecclesia Jerusalem, ubi locus non est afflictioni, neque via tristitiae. Per misericordiam tuam, Domine, veniam consequantur, subter alas aspectus tui abscondantur, et peccata eorum non revocentur in memoriam: quia nullus extitit plane liber ab hujus mundi sordibus, ex omnibus qui carne induti super terram vixerunt, nisi salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: per quem etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum propter eum, tam nobis quam illis.

Quietem praesta. Et onera gravia quae nobis ipsi hoc in mundo imposuimus, aufer a cervicibus nostris Domine: peccata nostra et eorum ignosce, dimitte et aufer, tam ea quae voluntarie, quam quae

involuntarie, scienter aut ignoranter commisimus, neque rigidum nobiscum examen instituas, quando stabimus coram solio tremendo et timendo majestatis gloriae tuae, Domine, sed secundum misericordiam, gratiam, et clementiam age nobiscum: neque laetentur de nobis inimici nostri, aut exultent de perditione nostra: neque alieni simus a deliciis optatissimis regni tui: neque careamus fiducia illa filiorum quam habent coram te omnes qui faciunt voluntatem tuam, ut in hoc, sicut et in omnibus, glorificetur, laudetur, honoretur, et exaltetur nomen tuum benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit et signat. Mox dicit Orationem ante Pater noster.

Existens, aeterne, Pater sancte Filii aeterni, et sancti: abscondite nec investigabilis: excelse, non comprehensibilis: gloriose, et quem assequi cogitatio non potest: secrete qui explicari non potes, qui in ultimis diebus temporis, modo inexplicabili, per dispensationem verbis inenarrabilem, et per miserationes essentialiter tibi congenitas, summo in homines amore egisti erga figmentum tuum, quod mortuum, corruptioni subjacebat: ipsumque Verbum Filium tuum, Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum misisti ad nostrum auxilium; qui omnia quaecumque ad emendationem nostram erant necessaria perfecit, nosque filios tuos et fratres suos vocari, praestare dignatus est, et orationem Dominicam docuit nos, quam tibi cum deprecatione offerremus; tu nunc, Domine, praesta nobis omnibus, ut labiis impollutis et cum fervore verae fidei et fiducia nulli confusioni obnoxia, qualis filios decet, clamemus ad te, uno ore aequaliter, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Pater sancte et misericors ne dimittas nos ex manibus tuis, ne incidamus in tentationes quarum vim sustinere non possimus. Verum ut Pater benignus visita filios imbelles, neque prives nos gratia tua, aut prohibeas a nobis influxum benignitatis

tuae. Non avertas vultum tuum a nobis, neque ejicias nos ab ovili tuo: quia tua est excellentia, gloria et regnum, simulque unigeniti Filii tui et Spiritus tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potentia cum Spiritu tuo sanctissimo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Et populum fidelem hunc tuum Domine qui cum humilitate mentis, cervicem suam inclinat coram misericordia tua, expectatque dona tua abundantia, benedic dextera tua benedictionum feraci, ut ab omni labe et macula peccati mundati, corporique sancto et sanguini divino Christi tui communicantes, laudes, hymnos, et glorificationem quae diviti misericordiae tuae debentur, referamus tibi, gloriamque et gratiarum actionem, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sancto tuo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Misericordia Dei sit, etc.

Sacerdos. Sancta Sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Confitemur.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Gratiarum actionem debitam tibi Deus offerimus, et continuo quantum nobis licet, secundum officium nostrum, linguis non conticescentibus tibi confitemur, petentes a te, Deus noster, ut mysteria haec sancta quae suscepimus, sint nobis ad remissionem peccatorum et expiationem delictorum, et ad excusationem coram solio tuo terribili, per gratiam et misericordiam, amoremque erga homines unigeniti tui, qui nos vivificat, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem.

Sacerdos. Coram te Domine misericors, inclinamus colla nostra, et populi tui fidelis: concede omnibus nobis, o clemens, concordiam

et caritatem veram, statum aequalem, non accusationi obnoxium, sed modestum: effundens super nos per misericordiam tuam omnia bona abundantia, per benedictiones tuas indeficientes: conserva eos ab omnibus angustiis; protege illos ab omnibus offensionibus, et praesta illis ut perficiant omnia dextra: deducque nos omnes ad finem illum bonum, qui promissus est omnibus piis et justis, et illis qui faciunt voluntatem tuam. Tu enim es solus Pastor bonus, et veniae largitor, qui voluntarie tradidisti te ipsum, et liberasti animas perditas et tibi gloriam referimus, et Patri tuo, qui bonis petitionibus annuit, et Spiritui sancto tuo qui vivificat creaturas, nunc, etc.

Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM JACOBI EDESSENI

NOTAE.

1. Jacobi Interpretis Edesseni.

Nomen illius inter Jacobitas celeberrimum est, et inter sectae illius doctores non minima est ipsius dignitas et autoritas. Vocatur autem interpres, quia varios in sacram Scripturam commentarios scripsit, ex quibus testimonia passim referuntur in Catenis Syriacis et Arabicis. Ejusdem mentio fit a Gregorio Abulfaragio, tum in Historia Dynastiarum, tum in aliis operibus: ut etiam a Mose Barcepha in Tractatu de Paradiso et expositione in Hexaemeron. Extant quoque varia ejus de Jure Ecclesiastico Responsa in Nomocanone Syrorum Jacobitarum, tum in Collectione quae subjicitur antiquissimo Codici Mediceo: ex quibus non pauca his in notis ad Liturgias decerpsimus. De illo scripsit Faustus Naironus in Evoplia sua, sed ea quae tenebras potius historiae, quam lucem inferant. Ait enim vocatum illum fuisse *Malfono Doctorem:* non vere. Is quippe titulus proprius est alteri Jacobo Botnanensi et Serugensi Episcopo, de quo diximus ad ejus Liturgiam. Utrumque sacculo septimo vixisse scribit, et nihilominus, inquit: *Orthodoxi a nationibus Catholicis Orientalibus reputantur, cum in eorum scriptis quae circumferuntur,* *Evopl. p. 48.*

nihil quod haeresim sapiat inveniatur: imo de Jacobo Edesseno mentio fit in Calendario Maronitarum die 27. Januarii, una cum sancto Ephrem. Sancti Ephrem Doctoris, et S. Jacobi Edesseni, cujus aevo asserit Barebraeus, id est Abulfaragius, *initium habuisse hymnos illos qui Canones Graeci nuncupantur.* Verba sunt: *Atque etiam sub aevo sancti Jacobi Edesseni, et electi Georgii gentium Arabicarum, coeperunt hymni qui Canones Graecorum nuncupantur.* Hinc colligit Naironus diversum illum esse a Zanzalo, quem eumdem fuisse cum Edesseno, nemo quod sciam existimavit.

Circa Muhamedani imperii initia vixisse Jacobum Edessenum verisimile est. At Orthodoxum illum fuisse, neque Abulfaragius, neque idoneus ullus inter Orientales Autor, memoriae prodidit. Stephanum Edenensem Maronitarum Patriarcham Antiochenum, quem adducit in testimonium Naironus, et omnes, quotquot sunt aut fuerunt Maronitas, nihil moramur, in quibus amor patriae, si veritatis limitibus contineretur, esset excusandus: verum in rebus ad historiam Ecclesiasticam spectantibus, illudere lectoribus, quia pauci his studiis operam dederunt, et alios omnes fallere facile est, omni excusatione caret. Quae enim sunt nationes Catholicae Orientales a quibus Jacobi illi duo Orthodoxi judicati fuerint, nisi Jacobitae sincerissimi? Nam illi in Confessione fidei, quae ab Ordinandis exigitur, inter Doctores Ecclesiae suae probatissimos Jacobum Edessenum et Serugensem nominant: eorum testimonia producuntur a Theologis ad impugnandam Concilii Calchedonensis fidem; tandemque illorum Liturgiae habentur in Codicibus Jacobiticis, ubi eorum qui post illud vixerunt Orthodoxorum nulla reperitur. Pari ratione Severi, Philoxeni, Barsomae et aliorum haereticorum fama purgabitur, quia nomina illorum extant in Diptychis Liturgiarum, quas Maronitae sibi vindicant, cum Jacobitarum propriae sint, ut alibi probavimus. Idem de Calendario illo judicandum: neque Orthodoxi judicari potuerunt Jacobus Edessenus, et Serugensis, quia nihil occurrit in eorum scriptis, quo fides Catholica offendatur, nisi ab illis qui illa ne ex titulo quidem noverunt: cum contra laudentur a Jacobitis, quod adversus Calchedonenses antiquam fidem strenue propugnaverint. Episcopum fuisse Jacobum Edessenum certum est ex inscriptione Codicis Medicei, in quo continentur *Responsa* ejus de Jure Canonico *ad quaestiones propositas ab Adaeo quodam sacerdote.* In margine et eadem qua codex scriptus est manu, antiqua sane et sexcentis, ut minimum, annis vetustiore, legitur. *Hoc opus factum fuisse anno Graecorum* DCCCCXCVIII. Is autem respondet anno Aerae Christianae DCLXXXVII. Muhamedanae LXVII. Ea igitur aetate vixisse Jacobum Edessenum certum videtur, hoc est labente septimo saeculo.

2. *Linguis quae accipiunt unum Corpus sanctum unigeniti Filii tui, etc.*

Frequentissima est haec locutio in Syrorum sacris Officiis, et praecipue in orationibus gratiarum actionis post Communionem, tam in istis quam in aliarum Ecclesiarum Orientalium Liturgiis: nec minus familiaris inter Theo-

logos, Severum Episcopum Aschmonin, qui idem fuse exponit, et alios, quorum alibi testimonia relata sunt. Unum autem corpus sanctum dicitur: quia ut multis docet Barsalibi sacramentum unum est, quamvis in speciebus duabus, et vasis duobus: *quapropter*, inquit, *particula calici immittitur, ut significetur, hoc esse corpus istius sanguinis: hunc que sanguinem istius corporis, quodque licet sint in vasis duobus, corpus et sanguis, unum tamen est corpus dominicum Verbi Dei.* *Com. in Lit. Jacobi cap. 16.*

3. *Benedixit, fregit, edit, etc.*

Ita in Liturgiis Copticis et Syriacis nonnullis, sed rarius. Constans tamen Syrorum Doctorum sententia est. Barsalibi. *Sacerdos primum communicat mysteriis: sicut etiam Dominus noster primum quidem communicavit corpori et sanguini suo in coenaculo: deinde utrumque Discipulis communicavit.* *Id. c. 18.*

4. *Non tegant peccata nostra sigillum Chrismatis tui sancti.*

Hoc loco μῦρον sive Chrismationem significari perspicuum est, ut etiam iisdem verbis in Liturgia Philoxeni Mabugensis sive Hieropolitani, legitur: *non facias nos partem ignis illius ardentis, quia Chrisma tuum sanctum signatum in nobis est.* Eo loco per vocem Chrismatis, intelligitur non modo sacramentum Confirmationis, sive *Myron*, ut appellatur a Christianis Orientalibus, sed etiam Baptismi, qui simul in Oriente administratur. At in ista Liturgia utrumque sacramentum distinguitur, sigillumque Chrismatis, a veste Baptismatis, qua Christum induimus, aliud esse declaratur. Eo nomine, id quod nos Catholici characterem appellamus intelligi certum est, quem dum aeque per Chrisma sive Confirmationem imprimi agnoscunt, simul rectae suae de hoc sacramento doctrinae testimonium dicunt.

5. *Nos ii sumus, Domine, qui sustinuimus contumeliam, et opprobrium pro nomine tuo, etc.*

Ad miseram Christianorum conditionem sub Muhamedana tyrannide haec verba referenda sunt: cum jam extinctum esset Persarum Imperium.

6. *Ut commista et unita animabus et corporibus nostris.*

Ex his et similibus sententiis, quae passim in Officiis sacris Orientalium occurrunt, satis constat, quid illi sentiant de vera et reali corporis Christi per sacrorum mysteriorum susceptionem manducatione, quod non modo animae

per fidem communicetur, sed ore et lingua suscipiatur. Ea ratione dicunt Christum esse super altare; manibus Sacerdotum teneri, ore fidelium et lingua suscipi: corpora sanctificare et ad resurrectionis beatae spem, tanquam fermentum vitae praeparare: simulque agnoscunt ab indigne communicantibus, et peccatoribus suscipi: aut quemadmodum Severus, Barsalibi et alii ex vetustiorum Theologorum suae Ecclesiae sententia existimaverunt, tunc per miraculum auferri: quod alibi fusius, eorumque verbis exposuimus.

7. *Memento Domine Regum fidelium.*

Diximus jam de illa formula, ex qua deduci non potest antiquiorem esse hanc Liturgiam Muhamedanis temporibus, cum illa aetate Jacobus Edessenus vixerit, ut supra dictum est, quando non modo infidelibus dominis, sed immanissimis, et belluina crudelitate Praefectis, Syria subjecta erat. Itaque illa verba ex veteri usu retenta sunt.

8. *Doctorum Orthodoxorum, etc.*

Haec sola periodus omnem, si quae superesset, de Jacobi Edesseni secta dubitationem tolleret; eam enim amplectebatur, quae Severum, Philoxenum, et Petrum Gnapheum scilicet, doctores Orthodoxae fidei ejusque propugnatores, agnoscebat. Si igitur Maronitae in Calendario suo nomen illius habuerunt, majores suos, quos tanquam Ecclesiae veteris Syriacae lumina, veraeque doctrinae defensores haberi volunt, Jacobitas fuisse demonstrant. Sed Calendarium illud quod Naironus citat, non magis Maronitarum est, quam ipsae Liturgiae, quas Jacobitarum esse nemo possit cum aliqua ratione dubitare.

LITURGIA

THOMAE I. HERACLEENSIS.

Primum oratio ante Pacem.

EXISTENS, aeterne, abscondite, qui in tua propriaque essentia permanes: qui ab omnibus creaturis et servis adoraris et glorificaris; sicut olim, ita etiam nunc sanctifica animas, et corpora omnium nostrum, ut in una concordia caritatis, tam ad te, quam ad nos invicem mutuae, mereamur laudare te et unigenitum Filium tuum, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem, etc.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Per multitudinem misericordiae tuae Domine, benedic servos tuos et adoratores tuos istos, qui nunc coram te inclinati, expectant donum tuum coeleste: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria et honor, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Perfecte applica mentem nostram ad lumen perfectissimum Theologiae, quae contemplatur summas laudes tuas beatas, Domine; et praesta nobis, ut pure atque sancte perficiam ministerium hoc purum atque mysticum; per gratiam et misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae, etc.
Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Deo.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Domine timende qui glorificaris in coelo et in terra, cum Filio tuo unigenito et Spiritu sancto.

Elevans vocem. Mentes perfectae et ordines spirituales, mundoque superiores, in sancto sanctorum tuo, sanctificant gloriam tuam, qui incessanter glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Convenienter secundum misericordiam tuam, Deus Pater, nobiscum dispensasti, et misisti nobis unigenitum Filium tuum, qui unitus est nobis secundum omnia, excepto peccato, tanquam scilicet ad salutem, et vitam nostram.

Elevans vocem. Vere et certe accepit formam servi, ut in ea perficeret, quae futura erant ad salutem, vitamque nobis praestandam, [2] Accepit panem et vinum, benedixit †, sanctificavit †, fregit, † deditque Apostolis suis dicens: accipite, utimini, et ita facite. Et cum hoc acceperitis, credite et certi estote, quod corpus meum editis, et sanguinem bibitis in memoriam mortis meae facientes, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Maxime etiam nunc memoriam agimus coram te, omnium earum rerum quas nostri causa gessisti, o Verbum Deus, quae a nativitate tua gestae sunt: Baptismi tui, passionis, mortis, sepulturae, resurrectionis tuae, et ascensionis in coelum, sessionisque ad dexteram majestatis Dei Patris, adventusque tui secundi et terribilis. Propterea Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.
Sacerdos. Nos quoque.
Populus. Te glorificamus.
Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus. Gratiam Spiritus tui, Deus Pater, qui a te procedit, et tibi consubstantialis est, unigenitoque Filio tuo, mitte

etiam nunc, veniatque et requiescat super nos, et sanctificet mysteria haec, atque illa perficiat.

Populus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, *ter.*

Sacerdos elevans vocem. Largitorem illum bonum: ut illabens, faciat panem istum, et vinum istud, corpus et sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Feliciter per accessum ad haec sacramenta, participes tui efficiamur, et cum fiducia a te concessa, hymnis repleamur, et referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Generaliter ad te et per te, suscipe Domine has oblationes, quas nunc tibi offerimus, in nomine sancto tuo, pro Ecclesia tua sancta et Pastoribus ejus, pro ordinibus qui in ea sunt, et pro pace inter regna, bellorumque cessatione; pro benedictione pura anni, pro tenui mea infirmitate, et pro illis qui in quacumque necessitate positi sunt.

Sacerdos elevans vocem. Te Domine Deus noster adorande, rogamus, suscipe deprecationem nostram, imperfectam, pro omni populo et haereditate filii tui: mitte nobis et omnibus fidelibus divitias nulli egestati obnoxias, munerum tuorum laetificantium, secundum promissionem unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es, simul cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Perfecte memento, Domine, secundum memoriam divinam tuam, eorum qui nunc nobiscum simul uniti sunt et tibi noti: eorum qui fidem habent.

Sacerdos elevans vocem. Lux inaccessibilis et largitor munerum divinorum, fonsque auxiliorum es Domine, erga omnes qui te invocant. Divites illos fac divitiis illis laetitiam conciliantibus, munerum tuorum coelestium, quia tua est gratia et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Visita Domine per misericordiam tuam, Pastores hos nostros, qui claves scientiae tuae tenent perfecte; et da illis victoriam propter veritatem tuam.

Sacerdos elevans vocem. Auxilia nulli confusioni obnoxia, confer Domine in eos omnes qui diligenter praesunt gregibus tuis sanctis, et in uberrima voluptate Evangelii unigeniti Filii tui, illos pascunt et regunt: et cum illis gloriam referemus tibi et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Convenienter memento Domine, eorum qui persecutionem patiuntur pro nomine tuo sancto. Etiam praecipue et singulariter memento matris illius, quae vitam peperit, et Dominum sanctorum: reliquorumque omnium qui in singulis generationibus placuerunt coram te.

Sacerdos elevans vocem. Placeat tibi Domine ut per intercessiones dilectorum tuorum, cito salvati appareamus coram te, et voluptate qua fruuntur, quaeque finem non habet, digni efficiamur: per gratiam et misericordiam amoremque erga homines unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe in memoriam tuam Domine Patres beatos, quique mysteria docuerunt, Ecclesiam tuam sanctam; eorum, qui ab antiquis temporibus tibi noti sunt, ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Praecipue stabili et confirma, Domine, Ecclesiam tuam sanctam per invocationem Spiritus tui sancti, et dirigentis: atque universim orna eam et conspicuam effice, per doctrinam sinceram dilectorum tuorum: quia tu munificus, et donorum liberalissimus es, tibique gloriam et laudem referimus et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praeclare et abundantissime, memento Domine animarum et spirituum patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et eorum omnium qui in confessione Orthodoxa ex hoc mundo ad te profecti obierunt, et illis requiem praesta, ut iis etiam, pro quibus hoc sacrificium oblatum est.

Elevans vocem. Efficaciter memento illorum Domine. et animas eorum colloca in habitaculis aeternis lucis, et illius beatitudinis quae per misericordiam tuam singularem obtinetur, et in locis quietis spiritus eorum colloca, nosque et eos simul laetifica lumine praeclaro vultus tui: quia quod ab unigenito Filio tuo commendatum erat, accepimus, et per illum etiam speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Ad lucem inaccessibilem, quae in te est, Domine, nos pervenire fac, et inter exercitus tuos pacificos nos accense: atque ad partem dexteram simul cum electis tuis nos et illos constitue; quia in numerum dilectorum tuorum vocati sumus: ut in hoc sicut et in omnibus glorificetur, et laudetur gloriosissimum nomen tuum, et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Miserationes Dei sint.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Angelus, etc.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater, Filii unigeniti, Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui supra omnes ordines, potestates et agmina incorporea extolleris et honoraris, cujusque gloriae, millia millium, et myriades myriadum indesinenter ministerium exhibent. Tu nunc etiamnum, Domine, praesta nobis, ut cum conscientia pura, et cum fiducia, atque amore qualis filios decet, audeamus invocare te Deum Patrem omnipotentem, orenusque et dicamus: Pater noster qui es, etc.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Per virtutem tuam potestas est inter creaturas, et illae te glorificant, o Rex saeculorum, et Domine potestatum. Tu etiam praeservator noster es; salvati cito coram te appareamus omnibus diebus vitae nostrae: quia bonum tibi videtur salutem praestare: et tibi gloriam referemus simulque unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Animi mentisque perfectione nobis concessa per Spiritum tuum sanctum, benedic hos servos et adoratores tuos qui nunc cum timore inclinantur coram te, expectantes misericordiam tuam

aeternam, ut in omnibus laudatores tui apparcamus, et referamus tibi gloriam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictio Dei sit etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater Sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Convenienter et secundum veritatem tibi debetur adoratio cum omni gratiarum actione, et sincera beneficiorum agnitione, Rex Domine et Deus noster adorande et salvator noster Jesu Christe, eo quod cum essemus indigni; nunc tamen praestitisti nobis, ut ex pinguedine domus tuae, in anima reficeremur. Tu igitur, Domine, nos omnes confirma, adjuva nos, conforta nos et erige, parce nobis omnibus et quietem praesta, ut tam in his praesentibus, quam in futuris, laudabiles appareamus, facientes voluntatem tuam. Et pro omnibus quae circa nos dispensasti, beneficiisque tuis erga nos, gloriam, honorem et adorationem offerimus tibi, et per te atque tecum Patri tuo benedicto. et beato, atque Spiritui tuo vivo et vivificanti nunc, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Domine qui inclinasti coelos et descendisti pro salute nostra, et pro salute totius generis nostri infirmi, effunde super nos misericordiam benignitatis tuae, et concede nobis, congregationi scilicet Ecclesiae tuae sanctae, divitias et benedictiones tuas coelestes, ut absque fine et perseveranter glorificemus te: te qui es Deus verus super omnia, et Patrem tuum, qui misit te ad salutem nostram, et Spiritum tuum sanctissimum. *Populus.* Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos dicit ultimam benedictionem.

AD LITURGIAM THOMAE HERACLEENSIS OBSERVATIO.

Quis ille Thomas Heracleensis Episcopus fuerit, haud facile est conjicere: Jacobita sane, et Episcopus fuit. Sed qua aetate vixerit, huc usque assequi non potuimus. Citatum tamen alicubi hunc autorem reperimus, quasi quaedam de Christiana religione opuscula scripserit: tum etiam hanc Liturgiam, quae a nobis primum reperta est in antiquo Codice Colbertino. An eadem sit quae numeratur inter alias ab Abrahamo Echellensi, attributa Thomae Giarmachitae, obscurum plane nobis est: nam nihil adducit ex ea, unde vel levissimum indicium duci possit, istane, an altera sit. Haec autem Liturgia singulari apud Jacobitas Syros artificio commendatur, et quod diversae quibus constat orationes secundum Alphabeti litteras, Threnorum, et Psalmorum Abecedariorum more incipiat, et quod cultiori stilo scripta sit. Altum est sane de hoc Thoma apud eos quos vidimus autores silentium. Quis tamen ille fuerit existimamus haberi posse ex Codice MS. Bibliothecae Regiae Syriaco membranaceo qui Evangelia quatuor continet elegantissime scripta anno Alexandri MDIII. hoc est Christi MCXCI. Ad operis calcem haec leguntur. *Hic est liber IV. Evangeliorum sanctorum qui translatus est ex Graeca lingua in Syriacam, studio exactissimo maximoque labore: primo quidem in urbe Maboug, sive Hierapoli anno* DCCCXIX. *Alexandri Macedonis, tempore S. Philoxeni Confessoris et Episcopi ejusdem civitatis. Deinde vero recognitus summa cum diligentia, a me Thoma paupere, ad duo exemplaria Graeca eximia et accuratissime scripta Alexandriae, civitate magna ad S. Antonium sive Monasterium Religiosorum S. Antonii anno Alexandri* MCCCXXVII. Christi DXV. Haec erant descripta ex Codice primario ab ipso libri scriptore Jeschua F. Johanan Sacerdote, qui addit, *finita esse quatuor Evangelia secundum editionem Heracleensem:* hoc est Thomae illius, de quo supra. Is ergo videtur esse Thomas Heracleensis Episcopus: ut proclive est existimare: atque adeo vixisse illum oportet ineunte saeculo VII. quo potissimum tempore floruerunt Severi discipuli, atque reliqui ejusdem sectae Antistites, quos inter divos Jacobitae numerant. Parem epigraphen exhibent codices alii vetustissimi Evangeliorum Vaticani, et Florentini quos Romae et Florentiae vidimus ann. MDCCI. et antiquissimus noster scriptus anno Graecorum MCDIV. J. C. MXCI. Meminit quoque editionis Heracleensis Dionysius Barsalibi, citatus ab Eduardo Pocockio in Praefatione ad Epistolas aliquot Catholicas Syriace et Latine a se editas: in quibus verbis vocatur, *Thomas Episcopus Heracleae. Versionem*, reddidit Pocockius: at vox Syriaca ܦܫܩܛܐ, non versionem significat, sed editionem, seu recensionem, quam ad Graeca exemplaria se fecisse testatur ipse Thomas, non Syriace vertisse.

In hac Liturgia nihil occurrit, quod alibi explicatum non fuerit. Nisi defectum quem in paucis aliis circa verba Christi observamus; et quod de aliis dictum est, de ista quoque dicendum videtur: nempe sequi debuerunt verba Christi: *Accipite et manducate: Hoc est Corpus meum*, et *similiter et calicem.*

Si plures illius Liturgiae Codices habuissemus, fortasse alia lectio in aliis reperta fuisset, cum librariorum culpa omissa potius videantur verba Christi sacramentalia, quam pravo consilio, ex falsa suppositione opinionis de Invocatione Spiritus sancti, de qua Syri aut reliqui Orientales numquam cogitaverunt. Videnda quae de hoc argumento dicta sunt ad Liturgiam Petri, Dionysii Barsalibi et paucas alias.

Quae sequuntur, paraphrasin continent verborum: *Hoc facite in meam commemorationem:* simulque continent professionem fidei de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. De disciplina porro Syrorum Jacobitarum, statuere oportet, non ex duabus vel tribus Liturgiis quarum usus infrequens est, sed ex communi omnium forma, qui in Liturgia Jacobi continetur. De Invocatione Spiritus sancti, quae subjungitur, adversus communem illam regulam deduci nihil potest, cum iisdem verbis extet etiam in illis quae integram habent verborum Christi formam.

LITURGIA
MOSIS I. BAR-CEPHAE.

Oratio ante Pacem.

Domine Deus lumen aeternum et verum: parens luminis aeterni et veri; fons vitae et causa bonorum, principium tranquillitatis, et origo pacis: praesta nobis ut cum tranquillitate et pace ornemur misericordia spirituali, et rectam de te fidem habeamus: utque liberi ab omni passione reprehensibili, in caritate vera, demus pacem nobis invicem, in osculo sancto et divino, et referemus tibi laudem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Sacerdos. Te enim solum novimus, fontem benedictionum et

largitorem misericordiae, Domine: coramque altari tuo sancto inclinamus colla animarum et corporum nostrorum: et cum deprecatione propitiatoria, rogamus et obsecramus te. Mitte benedictiones tuas uberes, et benedic servos et adoratores tuos, et referemus tibi gloriam et laudem, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tu enim es Domine ab initio creator sapiens, et in fine temporum extitisti nobis salvator, et veniae largitor: et per Filium tuum dilectum salvasti nos, atque ad haereditatem nostram pristinam nos reduxisti. Nunc etiam, Domine, hoc tempore, per misericordiam, facilem te nobis praebe, et suscipe hoc sacrificium quod pro peccatis nostris offerimus tibi; juxta doctrinam Evangelicam Christi unigeniti Filii tui, per quem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus nobis.

Populus. Cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere et plusquam juste, cum timore et tremore gratias agemus tibi, adorabimus et laudabimus te corde, mente, et lingua: te, Deus Pater omnipotens, qui adoraris, laudaris et celebraris ab omnibus ordinibus igneis et spiritualibus.

Elevans vocem. Tibi enim, Domine, sunt in coelo et coelis coelorum, ministri nunquam silentes, et laudatores innumeri, qui te perpetuo et indesinenter laudant: Angeli et Archangeli, hymnis suis: Throni et Dominationes cantibus suis: Principatus, Virtutes et Potestates, jubilis suis: qui oribus igneis, reverenter te laudant, ter clamant et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, Deus Pater omnipotens, qui per tuum amorem erga homines, mundum salvasti a morte, et a peccato, per incarnationem Filii tui unigeniti, qui voluntate bona, descendit de coelis, nec tamen reliquit sinum tuum; et incarnatus est de Spiritu sancto sibi consubstantiali, et ex Maria Virgine san-

cta, factusque est homo, vere, et propria persona sua liberavit, salvavitque naturam humanam ab erroribus, et a peccato.

Elevans vocem. Verbum enim Deus factus est homo, propria voluntate: non immutatus a natura substantiae suae, sed unione naturali et personali, omnia haec nostra suscepit, et passus est pro nobis in carne. Vespere autem passionis salutaris, agnum quidem legalem comedit et abrogavit: tum accepit panem in manus suas sanctas, et aspexit ad te, Deus Pater, gratias agens, † benedixit † et sanctificavit † et fregit, deditque discipulis suis sanctis, dicens: Accipite, edite ex eo. Hoc est corpus meum quod pro omnibus in me credentibus frangitur et dividitur, in expiationem delictorum, remissionemque peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem mistum temperate aqua et vino, accepit, et gratias agens † benedixit † et sanctificavit † deditque discipulis et Apostolis omnibus, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis, et pro illis qui in me credunt, effunditur, et datur, omnes illum suscipientes praeparans ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque haec ita perfeceritis, credite et pro certo habete, quod corpus meum editis, et sanguinem meum bibitis, mortisque, sepulturae et resurrectionis meae memoriam agite, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, etc.

Sacerdos. Omnia etiam illa quae fecisti pro nobis dispensatorie, novimus et oculis secretis conscientiae nostrae intuemur. Adventum quoque tuum secundum timemus et magnopere formidamus, tunc cum juste in justitia advenies, quando super tribunal judicii sedebis, et cum aequitate retribues unicuique secundum opera sua. Cum vehementer, et in furore, latera duo separabis, et impios ad latus sinistrum constitues: quando voce forti tua dices illis: ite maledicti in ignem qui non extinguitur. In illa hora terribili, propitius esto Domine per misericordiam tuam populo tuo, neque statuas nos ad latus sinistrum, neque vocem illam amarissimam intona adversus nos, quae ad ignem deducit: sed te ipsum pro nobis concilia, et ab incendio nos libera: a gehennae doloribus nos eripe; et a reatu peccatorum libera nos. Propterea Ecclesia tua sancta quam

redemisti, et grex tuus orthodoxus, quem acquisivisti te deprecatur, et per te tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Propitius esto nobis Domine Deus creator noster, secundum promissionem veram unigeniti Filii tui, et mitte Spiritum tuum sanctum super oblationes nostras: illum qui tibi aequalis est tam essentia, quam throno et gloria, tecum et cum unigenito Filio tuo: ipse veniat, et illabatur super mysteria haec, illaque sanctificet illapsu suo.

Populus. Exaudi me, etc.

Sacerdos elevans vocem. Ipse, inquam, ipse Spiritus sanctus illapsu suo, perficiat panem hunc, corpus vivum et vivificans animas nostras: corpus sanctum et vivificans corpora nostra: corpus verum Christi Dei nostri ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum, suscipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem sanctum et sanctificantem animas nostras: sanguinem purum et purificantem corpora nostra: sanguinem dominicum Christi Dei nostri; ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum, accipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et illis sacramentaliter communicantes cum fide vera, custodi nos, et ab omni haeresi quae animam inficiat, salva nos; a reatu peccatorum nostrorum libera nos, et ab igne gehennae eripe nos, ut referamus tibi gloriam et laudem.

Inclinatus. Offerimus tibi sacrificium hoc timendum, et incruentum, pro Ecclesia sancta, et ejus Pastoribus, Patriarcha nempe Domino N. et Episcopo nostro N. qui eam recte pascunt: proque omni Clero qui in illa est, et pro filiis ejus, qui in universo orbe sunt, etiam pro infirmitate mei peccatoris: per misericordiam tuam, Domine, ignosce, et dimitte peccata mea et defectus meos, et concede tranquillitatem in habitaculis ejus usque in saeculum.

Elevans vocem. Eamque in fortitudine et gloria quae te dignae sunt conservans, Domine, etiam omnes haereses impietate plenas e medio illius depelle, et fidem Orthodoxam in ea confirmans, et ab illis qui eam dividunt et lacerant, eam liberans, in doctrina vera eam stabiliens, ut ita ab ejus filiis referatur tibi gloria et laus, et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, per miserationes tuas multas, eorum qui adjuvant Ecclesiam tuam sanctam, et communicant necessitatibus pauperum et afflictorum, et adjuva eos quando te invocant.

Elevans vocem. Fideles etiam veros qui sunt in toto orbe, commemoramus: rogantes et deprecantes te Domine, ut per misericordias et gratiam tuam, illos visites, et fortitudine brachii tui eos adjuves. Ab omnibus angustiis libera eos: a necessitatibus et oppressionibus eripe eos, oblationes, decimas et primitias eorum suscipe ab illis, dexteraque tua custodi illos, ut pariter referamus tibi laudem.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, per gratiam tuam Regum fidelium qui ad te confugiunt, et fortitudine brachii tui conforta illos, et bella barbarorum ab illis, et ab omni mundo depelle.

Elevans vocem. Omnia etiam regna quae imperio tuo subjecta sunt, et omnes potestates quae in virtute tua fiduciam habent, Regesque fideles adjuva: Principes Orthodoxos virtute instrue, seditiososque et rebelles ex universo mundo compesce: atque in tranquillitate et pace rege gregem tuum spiritualem, ut referamus tibi gloriam et laudem, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, genitricis unigeniti Filii tui, et omnium Sanctorum qui placuerunt majestati tuae.

Elevans vocem. Per te enim, Domine, vaticinati sunt Prophetae: per veritatem tuam armati sunt Apostoli: secundum spem tuam dimicaverunt Martyres: per caritatem tuam vicerunt Confessores: per te illustres facti sunt justi: in nomine tuo profecerunt jejunantes: per te coronatae sunt Virgines, et Sancti. Te obsecramus et deprecamur, ut orationibus eorum acceptabilibus, mereamur sortem habere cum illis, et partem quae illis servatur; ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam et laudem, ut etiam unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, Doctorum Orthodoxae fidei, illorum qui vere praedicaverunt et docuerunt populum tuum,

doctrinam Apostolorum tuorum sanctorum, ab Apostolicis temporibus, ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Doctorum electorum, et qui mysteria recte interpretati sunt, Ecclesiae tuae sanctae: illorum qui vere praedicaverunt dispensationem unigeniti Filii tui, et qui luce dogmatum suorum a Spiritu tuo sancto inspirata, illustraverunt gregem tuum rationalem, emtum sanguine unigeniti Filii tui. Nos etiam qui veritatem doctrinae eorum tenemus, te obsecramus, ut orationibus eorum, pacem tuam Ecclesiae tuae concedas, et schismaticos atque dissidiorum autores e medio nostri expellas: in recta illorum confessione nos confirmes: atque cum illis, et inter illos, referamus tibi gloriam etc.

Sacerdos inclinatus. Praesta, Domine, per clementiam tuam requiem et memoriam bonam, omnibus defunctis, qui decubuerunt, et quietem acceperunt, in spe unigeniti Filii tui.

Elevans vocem. Te Domine, Domine dominantium obsecramus, et te Deus, Domine spirituum et universae carnis deprecamur, pro illis, qui jussu tuo ex hac vita migraverunt; et ex hoc mundo flebili profecti, ad te pervenerunt. Quietem praesta animabus, corporibus, et spiritibus eorum: et a tenebris exterioribus salva illos: a cruciatu amaro eripe illos, et ad habitacula lucis et gaudii deduc illos: lumine vultus tui gloriosi lactifica illos, et a reatu peccatorum suorum libera illos; quia nullus inter natos mulierum purus fuit a sordibus peccati, nisi unus Dominus Deus magnus et salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus, per quem nos etiam misericordiam speramus.

Populus. Requiem praesta, etc.

Sacerdos. Viam enim generalem illam, primitus naturae nostrae constitutam novimus, et te Deus Domine universi obsecramus, ut delicta nostra voluntaria et involuntaria remittas, et ultimi illius boni quod viris pacis praeparatum est nos dignos efficias, et per misericordias gratiae tuae in hoc saeculo nobiscum te benignum praebeas, et in futuro perducas nos ad habitacula lucis et gaudii, et tam hic, quam illic celebrabimus, laudabimus, et extollemus nomen tuum sanctissimum et benedictum.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.
Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicet Orationem quae dicitur ante Pater noster.

Deus absconditus et incomprehensibilis, occultus, nec comprehensibilis, et gloriosus, nec visibilis, lux aeterna, et inaestimabilis, existens, excellens, nec mente comprehensibilis: genitor Verbi non temporalis, cui cum timore ministrant Ordines ardore succensi: qui videns genus nostrum quod ceciderat in abyssum profundum perditionis, et a Deo alienatum, non neglexisti salutem nostram, sed Filium tuum unigenitum e sinu tuo misisti ad nos, qui assumsit corpus humanum nostrum, et nobiscum in mundo versatus est ad emendationem nostram, et Orationem dominicam docuit nos, ut corde puro et anima lucida clamemus ad te, oremus, et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. O Pater miserator, et misericors, Pater clemens, et veniae largitor, a te petimus et deprecamur te, ut salves nos a malo, et exercitibus ejus, et liberes nos a tentationibus, afflictionibus, plagis et virgis furoris: dimitte etiam nobis delicta et peccata nostra, per multitudinem magnam clementiae tuae, quia tuum est regnum et potestas, et referemus tibi laudem, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante, etc.

Sacerdos. Ter tibi gratias agimus, te adoramus unice: te cum timore laudamus, tibi adorationem offerimus inclinabundi, et a te misericordiam deprecabundi petimus. Mitte benedictiones tuas abundanter, et benedic populum tuum et gregem tuum aequaliter, ut mysteriis istis communicemus sancte, et referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Diaconus. Unus Pater.

Sacerdos. Gratias agimus tibi, et laudamus te, Deus creator noster, qui semper de salute nostra sollicitus, in omnibus genus nostrum magnificasti, et ornasti; nunc etiam nos dignos effice, ut ex pinguedine domus tuae, secundum animam impinguemur: per fidem alimoniae illius spiritualis ab igne liberemur, et in lumine tuo praeclaro laetemur, et exultemus, referamusque tibi laudem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Te Jesu Christe Deus cognoscimus, te confitemur, te laudamus, quod per te Deo Patri oblati sumus, et fide recta ditati sumus, corpusque et sanguinem tuum edimus et bibimus. Adorationem veram tibi offerimus, amoremque tuum erga homines deprecamur. Benedic dextera tua gloriosa et brachio tuo excelso populum tuum et haereditatem tuam, custodi illos per crucem tuam victricem, et referemus tibi gloriam et laudem, et Deo genitori tuo, et Spiritui sancto tuo, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen. *Diaconus.* Benedic Domine.

Sacerdos. Deus qui nos dignatus es etc.

AD LITURGIAM MOSIS BAR-CEPHAE

OBSERVATIO.

Mosis Barcephae nomine Liturgia extat in omnibus prope codicibus Syrorum Jacobitarum, inter quos celeberrima est illius memoria, tanquam insignis ex illorum Ecclesia Theologi. Is est cujus opus de Paradiso Latine interpretatus est vir doctissimus Andreas Masius, quae versio primum typis Plantinianis edita, in Bibliothecam Patrum translata est. Sed quis fuerit aut quando vixerit Moses, neque docuit nos Masius, neque aliunde certo scire potuimus. Vixisse illum diu ante Dionysium Barsalibi perspicuum est, cum is in Commentario suo ad quatuor Evangelio et alibi, illius testimonia frequenter referat: ut etiam juniorem fuisse Jacobo Edesseno, et altero Serugensi ex eo probatur, quod illorum sententias referat eodem in opere. Valde autem hallucinatus est Masius, dum illum non longe post Joannem Chryso-

stomum vixisse existimavit, cum Severum citet, Antiochenum scilicet Monophysitarum praecipuum. Sed gravius adhuc erravit Margarinus Binius, qui ad tempora Julii II. et Pauli III. illum reduxit, immani anachronismo, cum Moses ille alter Meredinensis fuerit, *Mardenus* a Masio ejus in Syriacis discipulo perperam appellatus. Nec meliora Possevinus. Sane cum Monophysitam fuisse constat, quales erant, quos honoris et testimonii causa appellat, Severus, Jacobus Edessenus, et alter Serugensis. Illum Episcopum fuisse verisimile est, ex hac quae ipsi tribuitur Liturgia: neque enim ab aliis quam ab Episcopis aut Patriarchis compositas, aut saltem illis adscriptas Liturgias Syri agnoscunt, ut ex Elencho illarum quas interpretati sumus manifestum est. Eum decimo saeculo vixisse scribit Naironus, sed nullam hujus conjecturae suae probationem offert.

In ista porro Liturgia nihil singulari observatione indiget, cum reliquis Jacobitici ritus sit omnino similis, maxime vero duabus in partibus quae a multis vexari solent. Verba Christi referuntur prout vulgo in Graecis Liturgiis et reliquis referuntur. In uno codice desunt ad benedictionem calicis verba haec, *Accipite et bibite ex eo vos omnes:* sed manifesto errore librarii, cum in praecedentibus legatur, *Accipite et manducate.* Invocatio Spiritus sancti multis quoque aliis similis est, habetque verbum *perficiat* τελειώσῃ, quod ex sensu Graecae vocis consummatam et perfectam consecrationem significat, ut alibi expositum est. In Oratione quae sequitur, *Et illis sacramentaliter communicantes cum fide vere, etc.* quae verba literaliter idem significant, ac alia quae in similibus orationibus occurrunt, *Qui illius sacramenti participes per ejus susceptionem erimus.* Nam qui ex illis elici posse existimabit, mystice tantum et metaphorice suscipi corpus Christi et per fidem: nihil habebit ex etymo Syriaco praesidii, vox ܪܙܐ *mysterium* et *sacramentum* significat: hoc loco participium *mystice*, sive *sacramentaliter*, ex idiotismo idem est suscipere sacramentum seu mysterium, ut cum dicunt Spiritum sanctum in piorum fideliumque animabus quiescere et illabi *perfectorie, et dominanter*, idem est ac si dicerent, *ut Dominum et perfectorem.* Si quid obscuritatis esset, discuteretur facile, per ejusdem generis orationes multas, quae veram, et non spiritualem corporis sanguinisque susceptionem perspicue significant.

Quae de agni Paschalis coena celebrata in eadem Liturgia leguntur, explicata sunt in Notis ad Liturgiam Dioscori.

LITURGIA

PHILOXENI I. EPISCOPI BAGDADENSIS.

Oratio ante osculum Pacis.

Deus qui es mare pacis, fluvius perennis caritatis, et fons puritatis, qui omnes accedentes ad te, pace quae a te est tranquillos reddis, et sanctitate quae pariter a te est sanctificas: da nobis servis et domesticis tuis, Domine, et praesta nobis omnibus, ut cum caritate odii experte, et dilectione sincera, amplectamur invicem in caritate vera, et dilectione immaculata, efficiamurque tibi filii pacis amantes, perficientesque voluntatem tuam: referemusque tibi gloriam et laudem, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus dicit mediam. Stemus decenter.

Sacerdos. Coram te, Domine magne et terribilis, inclinant servi tui colla animarum et corporum suorum; et cum contritione cordis deprecantur te: exaudi eos per miserationes tuas, et adjuva illos per clementiam tuam, secundum promissiones unigeniti Filii tui: per quem et cum quo, te decet gloria et honor, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Domine factor, et conditor omnium, qui primum hominem ex nihilo formasti, et ad existentiam adduxisti: cumque peccasset, et mandatum tuum transgressus fuisset, salvasti, donisque tuis dignum fecisti: dirige etiam nunc corpora nostra et animas nostras: et a fovea corruptionis, ad excelsum tuum sublime eleva: et praesta nobis ut digni simus muneribus tuis: referemusque tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Miserationes Dei.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut glorificemus, laudemus, canamus et sanctificemus te factorem omnis creaturae, visibilis et intelligibilis.

Elevans vocem. Te enim benedicunt et sanctificant, cum timore et tremore magno, ordines ignis et spiritus: potestates illae beatae: agmina flammantia numerosa: substantiae principatus, ordinesque superni: militiae gloriosae, personae igneae honorandae et timendae: Angeli quoque et Archangeli, qui constituunt coetus splendidos ordinatos ad laudem tuam: Cherubim subjecti cum tremore tibi creatori, portantesque majestatem tuam: Seraphim sex alis instructi, qui circulatim benedicunt tibi, et hymnis Deo dignis extollunt te, cantibusque suavibus et jucundis laudant te, volantes unus ad alterum, clamantes et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim es Pater luminis, omnisque sanctitatis largitor: sanctus etiam unigenitus Filius tuus, salvator omnium creaturarum: sanctus quoque Spiritus tuus sanctus. Tu omnia contines et omnia potes, qui fecisti hominem primum, ad imaginem tuam: is autem cum mandatum tuum esset transgressus, non deseruisti eum, ut in corruptione veterasceret, sed misisti ad eum praedicatores veri et aequi, expositoresque rerum absconditarum. Ipse vero cum adversus voluntatem tuam rebellasset, tandem per unigenitum Filium tuum, eum salvasti, et ad bona pristina restituisti.

Elevans vocem. Volens autem juvare figmentum suum donis suis, et imperium mortis morte sua destruere: ipse ante passionem suam salutarem accepit panem super manus suas puras, immaculatas, et illibatas, et aspexit ad te Deus Pater; et gratias agens † benedixit † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis et Apostolis sanctis dicens: accipite, manducate ex eo: Hoc est Corpus meum, ipsum quod pro vobis frangitur, et datur, in expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem postquam coenaverunt, miscens

vino et aqua, et gratias agens † benedixit † sanctificavit † deditque iisdem discipulis suis et Apostolis sanctis dicens: accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti Novi, ipse qui pro vobis, et pro multis effunditur et datur, in expiationem delictorum; remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in meam commemorationem; quotiescumque enim panem hunc manducabitis, et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Universae igitur periodi dispensationis tuae memoriam facimus, Domine: conceptus tui puri: Annuntiationis per Angelum Vigilem: Nativitatis tuae gloriosae et mirabilis: evangelisationis laetabundae Angelorum: Baptismi tui praeclari et salutaris: elevationis in cruce: descensus ad inferos: Resurrectionis tuae a mortuis: Ascensionis tuae gloriosae et admirandae e terra in coelum: sessionis tuae ad dexteram Dei Patris: et cum his omnibus, adventus tui tremendi et terribilis, in quo cum splendore, et tremore exorieris, et super solium majestatis tuae sedens, fines et regiones terrae judicabis; cum congregatio illa magna et tremenda fiet: quando perditio et cruciatus adversus impios decernentur: quando ignis minaciter splendebit: quando gehenna vehementer ardebit: quando occulta in apertum produces, examenque operum institues: quando justos ad gaudium mittes, et impios operantesque mala, dabis in cibum ignis: quando illi qui regni participes erunt, clamabunt, Fidelis est Dominus in sermonibus suis, et verae sunt promissiones ejus: illi vero qui igni gehennae destinati erunt, Justus es, Domine, et valde recta sunt judicia justitiae tuae. Eo tempore propitius esto populo tuo, Domine, et miserere ovium gregis tui: ne incidamus in chaos illud terribile quod in medio est: ne gemamus in tenebris luce carentibus: ne fletu, lacrymis, et luctu affligamur inter supplicia, dolores et planctus: ne suspiriorum amaritudine cruciemur: non ligentur linguae nostrae vinculis flammae, neque labia nostra fraeno ignis. Non obtegantur oculi nostri tenebris et tristitia. Ne prives nos conspectu facici tuae, Domine: neque abneges nos et dicas nobis, quia non novi nos, sed propitius esto nobis: suscipe preces et lacrymas nostras. Idcirco Ecclesia tua sancta deprecatur te, et per te, atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.
Sacerdos. Nos quoque.
Populus. Te laudamus.
Diaconus. Quam terribilis est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere mei, Deus, Pater omnipotens; et mitte super nos, et super oblationes istas propositas, Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, ejusdem throni consortem tecum Deus Pater, simulque regnantem: qui olim locutus est per eos qui dilexerunt te, dirigens eos ad veritatem: ipse similiter veniat, et sanctificet oblationes istas propositas.

Elevans vocem. Exaudi me Domine.
Populus. Kyrie eleison.
Sacerdos. Ut illabens faciat panem quidem istum, Corpus Christi Dei nostri.
Populus. Amen.
Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, faciat sanguinem Christi Dei nostri.
Populus. Amen.
Sacerdos. Nobis autem, et omnibus qui ea suscepturi, illisque communicaturi sumus, fiant ad sanctitatem animae puritatemque corporis: mundationem cogitationum, et purificationem mentis, ad praeservationem, et cautelam a malo pernicioso; ad excusationem coram te: et ad standum ad dexteram tuam; quia tu benedictus es Domine, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, nunc, etc.
Populus. Amen.
Sacerdos inclinatus. Idcirco offerimus tibi sacrificium hoc spirituale incruentum, pro Ecclesia tua sancta et Orthodoxa: pro conservatione Pastorum verorum, qui religiose dispensant nobis verbum veritatis: pro statu pio filiorum ejus et totius Cleri religiosi: pro pace mundi, et bellorum cessatione: pro Regibus fidelibus, et eorum qui hostili animo sunt, conciliatione: pro illis qui in carceribus sunt, in custodiis aut in exilio: pro illis qui invocant nomen tuum sanctum, et auxilium a te expectant.

Elevans vocem. Da et concede per miserationes tuas multas, Domine, pacem securam Ecclesiae tuae sanctae et Orthodoxae: justi-

tiam et rectitudinem Pastoribus ejus: vigilantiam, et honestatem Sacerdotibus ejus: decorem et sublimitatem Diaconis ejus: modestiam et sanctitatem filiis ejus: sedulitatem et tranquillitatem natis ejus: unitatem et concordiam congregationibus ejus; exultationem et laetitiam illis qui in ejus tutela sunt. Quoniam adjutor et salvator omnium tu es, tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, illorum qui Ecclesiam tuam sanctam verbo doctrinae, et operatione bonorum operum juvant: eorum quoque qui visitant infirmos, et vinctorum curam gerunt: adjuva illos per miserationes tuas, et auxilium illis praebe, per clementiam tuam.

Elevans vocem. Libera et salva nos Domine Deus a furore malo, et a tormentis duris: ab incendio et terrae motu, a submersione et pestilentia: a periculis et persecutionibus: a bellis et captivitatibus acerbis: a populis immisericordibus, et expertibus timoris tui, et ab omnibus illis, quae propter peccata nostra a te super nos inducuntur: quia tu es auxiliator omnium, et salvator omnium qui invocant te: tibique gloriam et laudem referemus et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui obtulerunt hodie oblationes praeclaras super altare tuum sanctum: et retribue bona operibus illorum: comple benedictionem tuam in domibus eorum, et libera eos a malo.

Elevans vocem. Memento Domine eorum qui invocant nomen tuum sanctum: adjuva et conforta illos in praelio: custodi et libera illos a malo: esto illis galea salutis, et brachium insuperabile: comple pacem tuam in cordibus eorum, et dispone timorem tuum in animabus eorum, quia tu es salvator noster Domine: et tibi gloriam et laudem referimus, unigenitoque Filio nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta nobis Domine ut memoriam agamus hoc tempore sanctae Genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae et Stephani primi Diaconorum, omniumque eorum qui a saeculo tibi placuerunt.

Elevans vocem. Eorum qui in cunctis generationibus justi fuerunt et illustres, propter nomen tuum sanctum. Eorum etiam qui praedicaverunt adventum unigeniti Filii tui in mundum: justorum, electorum et sanctorum, qui per inediam exsiccaverunt corpora sua propter te: Martyrum victoria * vestitorum: Confessorum, qui omnia tormenta passi sunt: omnium tandem qui ab initio usque ad hanc diem in via veritatis ambulaverunt: et per orationes eorum divinas, praeserva nos ab omnibus plagis asperis, et custodi nos ab omnibus tempestatibus et fluctibus peccati, quia tu es salvator noster Domine: tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

νικηφόρων.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta Domine memoriam bonam et commemorationem sublimem, omnibus Patribus et Pastoribus electis, qui induerunt nomen tuum, tanquam vestimentum: mysterioque tuo tanquam galea armati sunt: praefueruntque praeclare gregi tuo, populumque tuum gubernaverunt secundum veritatem tuam, primitias gregis tui: acceperuntque coronas victoriae.

Elevans vocem. Eorum qui sustinuerunt pericula et adversitates passi sunt propter nomen tuum sanctum. Dignare illorum meminisse Domine, qui adjutores et praedicatores fuerunt veritatis: qui aedificaverunt Ecclesias sanctas; qui fundatores, et erectores fuerunt templorum verorum nomini tuo constitutorum: qui propter te persecutiones sustinuerunt, et colaphis caesi sunt propter veritatem tuam: qui errantes ad te converterunt: qui portaverunt crucem in populis: et glorificaverunt nomen tuum in gentibus: et per orationes eorum divinas, extolle et eleva nos ad te, et trahe cogitationes nostras ad veritatem tuam. Praesta etiam nobis et omnibus qui laudaverunt te, ut referamus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Pro defunctis.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium eorum qui a saeculo tibi placuerunt; Sacerdotum, Diaconorum, patrum et fratrum nostrorum, pauperum, peregrinorum, et omnium qui cum spe et fiducia in te, ex vita hac temporali migraverunt.

Elevans vocem. Deprecamur te clemens et misericors Domine, pro servis tuis quos formasti, et per unigenitum tuum salvasti, quique per voluntatem tuam ex hac vita migraverunt. Libera et praeserva eos per miserationes tuas, ab ignis supplicio; operantibus ini-

quitatem et impiis destinato: transduc illos ultra transitus illos terribiles et regiones timore plenas: eripe illos a potestate spirituum malorum et inimicorum: eruo illos per miserationes tuas a voragine mortis secundae: fac illos dignos splendore triumphali sanctorum tuorum, et decore eorum qui a te ad nuptias invitati sunt. Aufer et dele defectus eorum: neque intres in judicium cum illis, quia nemo est liber ab accusatione peccati, nisi unigenitus Filius tuus, per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Domine qui delicta dimittis, et propitius es peccatis, parce nobis omnibus, per gratiam tuam, dimitte culpas servorum tuorum, neque accusemur propter opera impura nostra. Ne flamma pars nostra fiat, ob inobedientiam nostram praeceptis tuis. Ne condemnemur illo die quo unusquisque retributionem accipiet, secundum id quod egit: non torqueamur igne illo vehementi, neque a salute tua alieni fiamus: sed splendere fac in nobis virtutem tuam, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur nomen tuum gloriosissimum et benedictum: simulque unigeniti Filii tui et Spiritus sancti, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit et signat: et dicit orationem ante Pater noster.

Venerandus et benedictus es Domine, cujus gloriam coeli enarrant, et potestates igneae te hymnis celebrant: qui propter salutem nostram misisti unigenitum Filium tuum in terram: et ille homo factus pro nobis, liberavit nos a servitute peccati, nosque in sublime et ad vitam elevavit, perfecit et sanctificavit: docuit etiam nos ut orationem et precem offerremus tibi. Tu etiam nunc misericors, et clemens Domine, reple nos donis gratiae tuae, et sanctifica ora linguasque nostras, ut pure et sancte clamemus ad te, et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Bone et benefice Domine, ne inducas nos in gravia et dura pericula tentationum difficilium, quia non est nobis virtus ad sustinendum, sed libera nos per miserationes tuas, ab impugnationibus inimici, et ab operibus tenebrarum, quia tuum est imperium, potestas et regnum, tibique gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quae oblata sunt, et coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Coram te Domine collum nostrum reum inclinamus, et cum lacrymis et suspiriis deprecamur te, et preces coram te effundimus. Tu autem exaudi nos sicut pollicitus es, et miserere nostri secundum gratiam tuam: munda, sanctifica, et purifica nos, per sacrificium hoc vivificum; quia tu es benedictus Domine, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Trinitatis sanctae essentialis, aeternae, increatae et consubstantialis, sit cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos. Unus Pater sanctus, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Gratias agimus tibi Domine et laudamus te, pro auxiliis tuis dexteris, beneficiisque tuis et amore erga homines tuo, qui praestitisti nobis licet indignis, donum pro quo retribui nihil potest; corpus et sanguinem unigeniti Filii tui: fac nos dignos vita immortali, coronisque incorruptibilibus, et mercede operum bonorum: quia tu es Deus benignus et clemens: tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Domine qui inclinasti coelos et descendisti: et ex terra in sublime nos elevasti; peccatisque omnium nostrum pepercisti: propitius esto Domine, per donum hoc quod suscepimus, toti homini nostro interiori et exteriori: et da nobis virtutem et potestatem, ad verae pietatis tuae observantiam, quia tu es Deus clemens; et tibi laudem referimus, Patrique tuo et Spiritui tuo sancto: nunc, etc.

Populus. Amen. *Diaconus.* Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM PHILOXENI BAGDADENSIS OBSERVATIO.

Hanc Liturgiam transtulimus ex Codice Seguieriano, in quo aliquot aliae continebantur, et cujus ope agnovimus, Philoxenum cujus nomen praefert non esse Mabugensem sive Hieropolitanum a Jacobitis tantopere celebratum, sed alterum, Episcopum Bagdadensem, qui etiam vocatus est Lazarus sive Eleazarus filius Sabta. Quis porro ille fuerit, aut quando vixerit plane obscurum est. Notam fuisse, et in pretio habitam hanc Liturgiam, probat autoritas alterius quae vocatur *Doctorum Sanctorum* a Joanne Magno Patriarcha Antiocheno ex aliis collecta: in qua duae orationes referuntur sub nomine Eleazari, quae in ista Liturgia reperiuntur. Ex illius dignitate, Episcopi scilicet Bagdadensis certo scimus, eum ante octavi saeculi finem non vixisse, cum anno DCCLXII. Bagdadum condiderit Almansor, Califa secundus ex Abbassidarum stemmate. Cum vero urbs aedificata fuisset ex ruinis Seleuciae et Ctesiphontis, ubi tanquam in conjunctis urbibus, et quae pro una habebantur esset Persarum Regia, in qua urbe Catholici Nestorianorum, sive supremi eorum Antistites sedem suam constituerant, in novam illam Muha-

Elmac. p. 97. et Arabes Histor. Patrum.

medani Imperii Metropolin paulo post migraverunt, et eorum exemplo, sed aliquanto serius, Melchitae seu Orthodoxi. Cum Catholici nova dignitas sub Justiniano Imperatore instituta fuisset; duoque essent eo titulo Antistites, unus Persidis, alter Armeniae; Antiochenus Patriarcha Graecus suae quoque Ecclesiae Catholicum instituit. *Mittebat*, inquit Nilus Doxapatrius *Catholicum in Irenopolin, Irenopoleos dictum. Κ' ἐκεῖ γὰρ ἔστειλλεν ὁ Ἀντιοχείας καθολικὸν εἰς Εἰρηνούπολιν, τὸν λεγόμενον Εἰρηνουπόλεως.* Sed fallitur is autor, dum alterum Catholicum quem *Romogyreos* vocat, *mitti* scribit *in Persiam, et Babylonem, cui nunc nomen Bagda. Καὶ ἕως τῶν νῦν καθολικὸν χειροτονῶν στέλλει τὸν καλούμενον Ῥωμογύρεως καὶ αὐτὴν τὴν Περσίαν, ἔτι καὶ αὐτὴν τὴν Βαβυλῶνα τὴν νῦν καλουμένην Βαγδᾶ.* Bagdad, ut scribendum est, ab Almansore ejus conditore appellata fuit *Medinet elselam. Civitas pacis*, atque adeo non alibi quaerenda *Εἰρηνούπολις*. Illic etiam fuit Catholicus *Romogyreos*, quod nomen alibi facile non reperitur, formatumque est a *Roum*, quomodo Graeci vocantur ab Arabibus, et *Ygour* quae vox Barbaros Trans-Eufratenses significat linguis, moribus et religione dissimiles. At Bagdadi statim Nestorianorum Catholicus praecipuam autoritatem obtinuit, non modo in suos, sed in reliquos Christianos: quia Muhamedani jura Ecclesiarum, ex possessione determinabant. Nestoriani Christianorum primi Bagdadum venerant, et illic sedem Patriarchalem suam constituerant. Jacobitae Orthodoxorum exemplo Catholicum quoque suum habuerunt in Antiocheno Patriarchatu: sed cujus sedes Takritae fuit, urbis in finibus Mesopotamiae celebris, quam Catholici dignitatem in eadem urbe obtinuit Marutas secundum varios Codices Liturgiae, quae illi tribuitur. Longo postea temporis intervallo Gregorius Abulfaragius ex Historia Dynastiarum a Pocockio edita et interpretata notus, in eadem sede ordinatus est *Mofrian:* nam ita deinde Catholici vocati fuerunt. Itaque Bagdadum simplex apud Jacobitas Episcopatus fuit, quam obtinuit is de quo agitur Philoxenus. Neque Bagdadum ullo inter Jacobitas ampliori honore floruit, cum ex Maris et Amri Nestorianorum historia discamus: Catholicum illius sectae decem subjectas sibi Metropoles habuisse, inter quas Bagdadi mentio nulla est.

Allat. de consensu l. 1. c. 9.

Observari potest Philoxenum istum aliter Eleazarum vocatum fuisse, quod nomen deposuerat cum Episcopus ordinaretur: id enim saepe factum, praesertim apud Syros Jacobitas, ut inter Liturgiarum autores Ignatios reperimus in Patriarchatu appellatos, unum qui prius vocabatur Joseph filius Vahib: alium qui Joannes filius Maadni; et istius mutationis aliquot alia tam in Alexandrina historia, quam in Antiochena, exempla sunt.

In ista Liturgia nihil singulare occurrit, quod explicatione indigeat, cum ad aliarum Syriacarum ritus Jacobitis forma expressa sit.

LITURGIA

DOCTORUM ET SANCTORUM,

A JOANNE MAGNO PATRIARCHA ORDINATA.

Primum Oratio Pacis.

Philoxeni.

DOMINE Deus potens et incomprehensibilis, absconditus, nec investigabilis: tranquillitas et exultatio sublimium: pax et gaudium inferiorum: caritas indivisibilis: misericordia imperturbabilis: laetitia justorum: victoria piorum: spes Sanctorum, et refugium lugentium. Ad te clamant animae nostrae, et deprecantur spiritus nostri, ut uno vinculo spirituali, nos omnes simul invicem connectas, ut osculo sincero, et pace omnis fraudis vacua adoratores tuos unias: simusque unum corpus indivisum, quod te glorificet, et unigenitum Filium tuum et Spiritum tuum sanctissimum, et bonum.

Populus. Det quisque pacem.

Jacobi Serugensis.

Sacerdos. Adorande qui ab Angelis glorificaris, et a Cherubim benediceris, a Seraphim sanctificaris, ab Igneis honoraris, a Spiritualibus extolleris, et a filiis hominum celebraris, ab omnibusque creaturis adoraris et laudaris. Respice Domine servos tuos, illos qui inclinaverunt colla sua coram majestate tua. Demitte manum tuam plenam miserationibus, super congregationem adorantium te, et mitte illis, ab excelsis sanctis tuis abundantiam benedictionum, fontes bonorum, scaturigines sanctitatis, et fontes puritatis: et fac nos filios et hacredes in regno tuo coelesti, per pacem hanc quam a te suscipere meruimus, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus magne, aeterne, summe et excelse, admirabilis et abscondite, qui praestas misericordiam in millia et myriades, eorum qui diligunt te, et observant mandata tua; qui mysterium a sacculis, et generationibus absconditum revelasti nobis per adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quique dignatus es, nos media-

tores et ministros mysteriorum tuorum terribilium et coelestium constituere: ne respicias tenuitatem nostram, nec enim digni sumus accedendi et communicandi donis tuis divinis; sed per gratiam tuam visita nos, in misericordia et miseratione: libera nos ab omni dolo et invidia: et concede nobis Spiritum tuum sanctum, Spiritum sapientiae et intelligentiae, Spiritum scientiae et fortitudinis, quo per haec dona illustrati, mereamur corde puro stare coram te et ministrare tibi, offerreque tibi sacrificium hoc spirituale et incruentum, ad remissionem peccatorum nostrorum, memoriamque omnium fidelium Orthodoxorum, et gloriam tuam, Deus Pater, nec non unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Jacobi Fratris Domini.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti sint cum omnibus vobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Cyrilli.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut te laudemus, te adoremus, tibi gratias agamus, opifici universae creaturae, visibilis aut invisibilis.

Elevans vocem. Te laudat, Domine, coelum, quod est thronus majestatis tuae, et terra quae est scabellum pedum tuorum: terra quae adorat et honorat nomen tuum sanctum, in Ecclesia hac, quae canit tibi hymnos ore filiorum suorum, in consessu Prophetarum, in coetu Apostolorum, in passionibus Martyrum, in ordinibus Confessorum, in Theologia Doctorum, in choris Virginum, in praeclara conversatione Religiosorum: in patientia Nazaraeorum, in habitaculis piorum, in congregationibus justorum, in perseverantia temperata fidelium: coelum autem, in Ecclesia illa sublimi, in qua descripti sunt primogeniti tui, in libris tuis sanctis. In ea enim celebraris cantibus Angelorum, jubilationibus Archangelorum, canticis Cherubim, clamoribus Principatuum, dignitate Potestatum, splendore Thronorum, vigilantia Legionum, in coetibus victorum, in congregationibus perfectorum, in choris et choreis Sanctorum, et in sanctificationibus de-

precatoriis Seraphim, qui alis sex instructi, effusis vocibus suis, laudant, clamant, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, Domine, potens, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, una natura indivisa, sancta, et omnia sanctificante. Pater qui misit Filium suum, ad salutem nostram, et Filius qui incarnatus ex genitrice Dei Maria, passus et crucifixus est, propter imaginem suam quae corrupta fuerat, et Spiritus sanctus, sanctificator sacrificiorum divinorum. Joannis Evangelistae.

Elevans vocem. Cum ergo susceperus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse sine peccato, ea nocte qua tradebatur, ut pateretur, accepit panem in manus suas sanctas, et aspexit ad te Deum et Patrem, et gratias agens † benedixit, † sanctificavit, † fregit, et dedit discipulis suis et Apostolis sanctis, dicens: Accipite, edite ex eo, Hoc est corpus meum quod pro vobis, et pro multis frangitur, et datur, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Similiter etiam, et calicem postquam coenaverunt, miscens ex vino et aqua, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit † et dedit discipulis suis, et Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis, et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Sanctitatem vero corporis et sanguinis sui ipsis communicans, prius admonuit, praecepitque eis; cum illis communicabitis, mementote et agite commemorationem mortis meae, donec veniam. Jacobi Fratris Domini. Cyrilli.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam etiam agimus omnium illorum quae dispensatorie pro nobis a te acta et perfecta sunt, Christe Deus noster: nativitatis tuae salutaris, baptismatis tui divini, sepulturae tuae vivificae, Resurrectionis tuae dominicae, Ascensionis tuae excelsae, sessionisque tuae ad dexteram Dei et Patris. Iterum etiam adventus tui pleni tremore memoriam agimus, cum in gloria magna exoriens, vivos et mortuos judicaturus es: cum Angeli judicio tuo territi erunt, Potestates tremebundae, Ordines coelestes conturbati, omnes homines in animi deliquio stantes, judicium terribile et severum expectabunt: tunc cum justitia minas experietur, neque gratia misericordiam praestabit: cum carbones ardentes, flamma comburens, gehenna inextincta: tunc, cum petitiones repellentur, deprecationes non suscipientur, orationes non audientur, intercessiones cujuscumque Ignatii

cessabunt: parce nobis, Domine, et extende manum tuam super nos omnes. Non intres in judicium nobiscum, ne venias in recordationem iniquitatum nostrarum, non ad accuratum examen voces, et constituas nos, nec simus depulsi a gratia tua: non simus alieni ab haereditate tua, non acerbissimis suppliciis tradamur: non ad vermem stridentem dentibus, cum impiis nos amandes: non in eorum parte qui te crucifixerunt numeremur: non cum impiis statuamur: non socii iniquorum simus, non in fletu et stridore dentium projiciamur. Ne abneges nos: ut eos qui te non noverunt, neque perdas nos cum illis qui in te non crediderunt, sed oriri fac nobis salutem tuam, da nobis veniam secundum amorem tuum erga homines: mitte nobis divitias clementiae tuae, et constitue nos ad dexteram tuam. Memento omnium nostrum per miserationes tuas, salva nos secundum multitudinem bonitatis tuae: adjuva nos per clementiam tuam; adjunge nos gregi tuo, et numera nos in ordine dilectorum tuorum; effice nos dignos regno tuo, introduc nos in thalamum tuum. Eapropter Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Duodecim Apostolorum.

Miserere mei, Domine, et exaudi me hoc tempore, et mitte de coelis tuis excelsis Spiritum tuum sanctum, et sanctificet Eucharistiam hanc spiritualem: spiritum Sanctum, tibi aequalem, substantia, et gloria: qui super unigenitum Filium tuum in Jordane flumine apparuit specie columbae: et super Apostolos tuos sanctos, in linguis igneis in coenaculo requievit; me quoque perficiat per gratiam tuam vas electum, et aptum ministerio gloriae tuae.

Elevans vocem. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut ipse illabens, et sanctificans, faciat panem quidem istum, corpus sanctum, corpus purificans et propitiatorium, corpus praestans incorruptibilitatem: corpus Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et calicem istum, faciat sanguinem purum et sanctum, sanguinem vivum et vivificum, sanguinem purificantem et sanctificantem, sanguinem Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam accipientibus illum. Ignatii.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hac igitur mysteriorum illorum illatione digni effecti, et oculis mentium nostrarum, veritatis significatione illustratis, oramus et obsecramus, ut haec proposita mysteria prosint nobis, et illa suscipientibus, ad animae vigilantiam, ad optimam corporis valetudinem, ad participationem veram adoptionis, ad communicationem Spiritus sancti, ad hacreditatem regni coelorum, ad remissionem delictorum et peccatorum; quia te decet bonitas et benignitas, tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo, bono, et adorando.

Sacerdos inclinatus. Suscipe sacrificium hoc nostrum, Domine, quod mente, verbo et animo tibi offertur: praecipue vero pro tranquillitate et pace Ecclesiae tuae sanctae, pro confirmatione Pastorum ejus justorum et Orthodoxorum, pro honore et exaltatione Sacerdotum ejus, pro puritate et modestia Diaconorum, pro venia et remissione filiorum ejus: pro unitate et concordia congregationum ejus: pro victoria Regum fidelium: pro visitatione afflictorum et infirmorum: pro auxilio omnium eorum qui in periculo versantur. Cyrilli.

Elevans vocem. Etiam pro auxilio, et adjutorio infirmitatis nostrae, invocamus te, Domine. Ne despicias supplicationes te adorantium. Audi orationes gregis tui spiritualis, Pastor bone et vere. Salva agnos tuos, et libera oves tuas de manibus improborum. Adjuva pauperes, et miseros, serva oppressos et afflictos, et libera eos qui infestantur a spiritibus malis. Orphanorum curam gere, famelicos satia plenitudine voluptatis tuae. Adjuva eos qui in itinere sunt; et qui in mari navigant, illos a tempestate et naufragiis libera. Protege Ecclesiam tuam redemptam per crucem tuam, et exalta Praesules ejus per veram fidei conservationem, et referemus tibi gloriam, etc. Philoxeni.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, virginum purarum, conjugum castorum, orphanorum et viduarum, miserorum, et pauperum, eorumque qui in ministerio sancto assidui sunt, et afflictos adjuvant, qui oblationes offerunt, et praeclare vitam instituunt. Clementis.

Elevans vocem. Libera et salva nos Domine Deus ab ira mala, et obstinata: ab incendio, et terrae motu, ab inundatione et peste, Eleazari.

a periculis et persecutoribus, a bellis et duris captivitatibus: a populis absque misericordia, et timore tuo destitutis, et ab omnibus illis, quae propter peccata nostra a te nobis immittuntur: quia adjutor omnium tu es, et salvator omnium qui invocant te: tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo nunc et semper, etc.

Dionysii. *Sacerdos inclinatus.* Iras Regum comprime, Rex Regum, incursiones praedonum, bella et seditiones compesce. Superbiam haereticorum deprime. Decreta aequitatis adversus nos prolata, benignitas tua superet, et convertat in tranquillitatem dulcedinis tuae.

Cyrilli. *Elevans vocem.* Libera et salva nos, tu qui omnium curam geris, ab omnibus angustiis et rebellionibus: ab omni persecutione et pestilentia: ab omni gladio et fame: ab omni contentione, et captivitate: ab omni bello et depraedatione: ab omni denique insultu et effusione sanguinis, ex illis populis metuenda qui alieni sunt a timore tuo. Ne arguas vel corripias nos in furore et ira, propter multitudinem peccatorum nostrorum, sed misericordia et lenitate satia nos, et sicut pater diligens filios, posside nos: quia non est nobis Deus alius praeter te, cujus beneficio salutem consequamur; verum ad te levati sunt oculi nostri et corda nostra, et tibi hymnos offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo, bono, adorando et vivificanti.

Julii. *Sacerdos inclinatus.* Memento Domine, omnium sanctorum, qui a saeculo tibi placuerunt, ab Adam et Abel, ad hanc usque diem; praesertim vero sanctae genitricis Dei Mariae, Johannis praeconis, et Baptistae, Stephani principis Diaconorum et primi Martyrum.

Elevans vocem. Memento, Domine, omnium qui a nobis dicti sunt, omniumque Patrum et Patriarcharum, piorum et justorum, Prophetarum et Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Thaumaturgorum, Virginum sanctarum, coelibum, jejunantium, solitariorum, Monachorum, fideliumque veracium, et omnium qui praeclare vitam egerunt, et per orationes eorum perfectas, et deprecationes acceptabiles, aspice nos oculo misericordi, et vultu pacifico et benigno. Adjunge nos coetibus et ordinibus mansionibusque dilectorum tuorum, ut cum eis, et inter eos, pure et sancte, canamus tibi hymnos incessanter, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo et bono.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, Pastorum beatorum qui in Ecclesia tua sancta steterunt in generatione et generatione, gregemque tuum sacerdotalem paverunt, et rexerunt, et ad aquas quietis deduxerunt: eosque qui in errore erant, doctrina tua divina illustraverunt, atque ad te direxerunt et converterunt, quique in fide recta Trinitatis sanctae populum fidelem confirmaverunt, omnesque doctrinas schismaticas et haereses perniciosas sustulerunt et compresserunt, praecipue vero Ignatii, Dionysii, Julii, cum reliquis omnibus qui cum illis propter nomen tuum sanctum persecutionem passi sunt. Dionysii.

Elevans vocem. Et illorum, qui afflictiones et adversitates sustinuerunt, et passi sunt, pro nomine tuo sancto. Dignare Domine meminisse illorum qui mysteria sancta interpretati sunt, illustrium praeconum veritatis, qui sanctam Ecclesiam aedificaverunt, et fundamenta templorum sanctorum nomini tuo dicatorum posuerunt; qui propter te persecutionem sustinuerunt; et eorum qui colaphis caesi sunt pro veritate tua: qui errantes ad cognitionem tuam converterunt: qui tulerunt crucem unigeniti tui in populis, et nominis ejus gloriam in gentibus propagaverunt: ut per orationes eorum puras, eleves et extollas nos ad te. Trahe cogitationes nostras ad veritatem et fac nos dignos, ut cum illis qui te glorificaverunt referamus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sancto. Eleazaris.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, Presbyterorum Orthodoxorum, qui pridem obierunt, Diaconorum, Subdiaconorum, Psaltarum, Lectorum, Interpretum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, religiosorum, et eorum qui virginitatem perpetuam professi sunt, et Saecularium qui in fide Christi pridem decesserunt, ut etiam illorum pro quibus singuli obtulerunt, et eorum pro quibus unusquisque offerre in animo habuit. Jacobi Fratris Domini.

Elevans vocem. Placide, et tranquille suscipe per benignitatem tuam, Domine, animas et spiritus servorum et adoratorum tuorum, qui ex hac vita migraverunt ad te, maxime vero illorum, pro quibus et quorum gratia, sacrificium istud illatum et oblatum est. Quietem illis praesta, et colloca eos in habitaculis lucis, in locis spirituum, in Jerusalem coelesti, in Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis: commemorationem, et requiem maxime felicem, per amorem erga homines, illis praestans. Largire illis vitam Ignatii.

senii expertem, bona indesinentia, delicias incessabiles. Purificentur per clementiam tuam, quietem accipiant per miserationes tuas, protegantur sub alis bonitatis tuae, neque condemnentur; quia in te speraverunt, et in unigenitum Filium tuum: per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum propter eum, tam nobis quam illis. Tu qui occulta nosti et judex cogitationum es, aufer et dele omnia peccata nostra, voluntaria, et involuntaria, secreta et manifesta, praesentis et praeteriti temporis: et deinde, cum imperio tuo finem vitae attigerimus, juxta viam universalem omnibus hominibus constitutam, reatus immunes praepara nos ad consistendum coram te, et adjuva nos, Domine, salvator noster: indica nobis vias vitae, et semitas lucis plenas, quae recta ducunt ad portum benignitatis tuae, ut in nobis, pro nobis, et propter nos ab omnibus extollatur nomen tuum, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sint benedictiones, etc.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit, et signat tum dicit Orationem ante Pater noster.

Vere enim et indubitanter tu es Pater sanctus Filii sancti, qui aequalis est sanctitate cum Spiritu sancto, qui ut perfector et Dominus in sanctis requiescis, et perpetuo sancta consecrantium suscipis. Tu es fons sanctitatis, et origo auxilii, tu es parens misericordiarum, et pater clementiae, miserator, misericors, auxiliator, adjutor, et curator pauperum, refugium afflictorum, hospitium peregrinantium, portus et requies eorum qui jactantur in mari, familiaris peccatorum, medicus bonus infirmorum: cui acceptae sunt lacrymae poenitentium: qui aspicis sordes eorum qui in cinere volutantur: largitor donorum, thesaurus gazarum abundantium. Tibi qui ab initio, et creationis mundi primordiis, aeterne sanctus es, sanctitate plenus, sanctificator et perfector Sanctorum, doxologiam sanctam mittimus, quam a Filio tuo unigenito didicimus. Rogamusque te ut nos omnes dignos efficias, qui corde puro, et ardenter vigilante, zelo laudabili,

orationes et deprecationes nostras coram te effudimus, ut cum illustratione mentium, animorum puritate, et linguis canoris, clamemus ad te, oremus et dicamus: Pater noster, qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. O Domine misericors, obsecramus te et deprecamur clementiam tuam, ut omnes nos dignos effícias per gratiam tuam, ut sanctificetur in nobis infimis et terrenis, nomen tuum gloriosum et sanctum: veniatque regnum tuum, ad auxilium infirmitatis nostrae: acquiescat voluntas tua, et maneat in animabus nostris, sicut in exercitibus sanctis, et coelestibus. Libera quoque nos ab omnibus tentationibus gravioribus quae superent vires nostras: libera etiam nos ab omnibus iniquitatibus, et insidiis perniciosis calumniatoris, quoniam tuum est regnum, et potentia et glorificatio, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita inclinemus.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Inclina Domine aures tuas ad preces et orationes servorum tuorum, qui coram te colla sua inclinant, hoc tempore, et cum deprecationibus, lacrymis, et suspiriis ad te clamant. Aspice, Domine, et mitte eis petitiones eorum: asperge illos hyssopo tuo sancto; et respice illos. Effunde super illos imbrem gratiae, misericordiae et salutis, atque ab omni perversitate, et proclivitate ad malum liberentur, ut digni efficiantur susceptione mysteriorum tuorum sanctorum et vivificantium: fiantque liberi a peccatis et delictis, et fulgeant sicut sol in regno coelesti; quia tu bonus es, et multae misericordiae, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Juste et secundum veritatem, atque meritissime de-

bentur a nobis summae dignitati tuae, Domine, omnes glorificationes indesinentes, omnes laudes et exaltationes gloriosae, quia per clementiam tuam, dignos praestitisti nos dono praeclaro et coelesti cibi hujus indeficientis. Obsecramus amorem tuum erga homines ineffabilem, ut non convertas festa nostra in luctum, et gloriam nostram in pristinam captivitatem. Ne inclines capita nostra in judicio, neque confusione afficiamur in die novissimo, quo unusquisque hominum remunerationem accipiet, et Angelis cum timore adstantibus, unigenitus Filius tuus judicabit: sed ut misericors, aspiciens nos, veniam concedas tenuitati animae nostrae. Miserere infirmitatis naturae nostrae, verum non ad judicium, sed neque ad condemnationem imputa nobis munus hoc tuum, sed ad sanctitatem, vigilantiam, et viaticum salutis. Et te decet gloria, honor et potestas, cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo sanctissimo, bono et adorando.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Lux mea et Deus omnium Domine noster Jesu Christe, qui de coelo descendisti ad salutem ovium tuarum, extende dexteram tuam sanctam, bonis abundantem, et omnipotentem, benedicque nobis omnibus servis tuis, generaliter, magnis et parvis, viris simul et mulieribus: juvenibus et pueris: virginibus et conjugatis: sacerdotibus pariter et populo. Viribus illos conforta qui imbelles sunt: divites in justitia custodi, orphanos nutri, pauperibus et viduis alimenta praebe. Sanctifica eos qui in peccatis volutantur: extende brachium tuum forte et obsigna nos omnes cruce tua; emitte super nos omnes benedictiones tuas sanctas, per sacrificium hoc quod suscepimus. Agnoscatur sanguis tuus purus et sanctus super limina portae corporum nostrorum. Mens nostra lumine tuo illustrata prudentior evadat: corda nostra confirma in doctrina tua: gressus nostros dirige in semitis tuis: linguae nostrae sint organa laudis tuae, quia tu bonus et amator hominum es, et te decet gloria, laus, etc.

IN LITURGIAM DOCTORUM SANCTORUM OBSERVATIO.

Extat haec Liturgia in omnibus melioris notae Jacobitarum Codicibus, Seguierianis et Colbertinis, ut de ea dubitari non possit, quin apud illos vigeat et ubique probata sit. Vocatur autem Doctorum sanctorum, quia tota contexta est ex aliis Liturgiis, quorum autores perhibentur aut sancti nominatissimi in antiqua Ecclesia ante omnem schismatum memoriam: aut recentiores, qui ob defensionem vel professionem Monophysitarum doctrinae, fama inter eos celebres sunt. Extant autem omnes illae Liturgiae, quamvis aliquando orationes ex illis decerptas reperire non facile sit, fortasse ex parum accurata exemplarium descriptione, in qua indiligentissimos esse Orientales, sciunt qui codices multos tractaverunt. Adscribuntur unicuique orationi autorum nomina, et illi sunt. Jacobus Frater Domini: Joannes Evangelista: Duodecim Apostoli: Clemens: Julius Romanus: Gregorius Theologus: Cyrillus Alexandrinus, Ignatius Martyr, Philoxenus Hieropolitanus: Dionysius: Joannes absque nomine, Eleazarus. Omnium, si unum Theologum excipimus, quod de Gregorio Nazianzeno intelligi debet, nominibus praenotatas Jacobitae totidem Liturgias agnoscunt, istam non item: sed quod ex veterrimo Codice Colbertino didicimus: quae Basilio tribuitur, ea scilicet quam Masius interpretatus est, eadem Gregorio quoque conjunctim adscribitur. Nam multa duobus illis Ecclesiae luminibus Responsa de Jure variisque quaestionibus Ecclesiasticis, attribuere solent, ut factum est de ista Liturgia, quam diu frustra quaesitam in illo tandem Codico reperimus. Clementis quoque Liturgiam habent, quamvis eo titulo nulla Graeca extet. Eos autem omnes tanquam testes et laudatores fidei suae allegare familiarissimum est praecipuis inter Jacobitas Theologis, ut alibi exposuimus.

Joannes Patriarcha quem magnum appellant, quisnam ex aliis qui eodem nomine fuerunt et in eadem dignitate, dicere non possumus. Antiquiorem multis aliis istius nominis fuisse suspicio foret, ex eo quod Liturgias recentiorum, ut Jacobi Edesseni, Mosis Barcephae, et reliquorum, Syris notissimas, in suam non transtulerit. Sed hanc conjecturam evertit Eleazari Liturgia, ex qua duas orationes excerpsit: is autem ut ad illam observavimus: fuit Episcopus Bagdadensis, alio nomine Philoxenus appellatus, ut didicimus ex Codice Seguieriano, cujus beneficio veteris Philoxeni et istius Liturgias distinximus, quae in variis exemplaribus alteri illi Hieropolitano tribuuntur. An Joannes hujus Liturgiae ordinator, is sit qui Apologiam ritus Syrorum circa praeparationem panis Eucharistici cum fermento, sale et oleo scripserit, affirmare non possumus.

In ista autem Liturgia nihil legitur quod singulari observatione indigeat, aut quod notis alias explicatum non fuerit.

LITURGIA
JOANNIS I. BASORENSIS.

Primum Oratio ante Pacem. [2]

Deus largitor caritatis, et aequanimitatis, et dator animi per virtutem compositi, qui mandatum novum dedisti nobis, per unigenitum Filium tuum, ut diligeremus invicem: sicut tu nos indignos dilexisti, et pro vita et salute nostra Filium tuum unigenitum tradidisti; concede nobis servis tuis Domine, toto tempore vitae nostrae super terram, praecipue vero nunc et in diversis occasionibus, cogitationes quae sint absque ulla injuriarum memoria, conscientiam variis dispositionibus non obnoxiam; cogitationes fideles animae, ad fratrum dilectionem; ut dantes osculum sanctum, longe absimus ab exemplo Judae: et tanquam Discipuli et Apostoli tui sancti, pacem inter nos invicem firmiter retinentes, sanctificemus, atque etiam sanctificemur, mediatione Spiritus tui sancti per Christum Jesum Dominum nostrum; cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Dignare, etc.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Tibi Domine inclinamus capita nostra, quandoquidem tibi soli sumus mancipati per servitutem et ministerium. Tibi enim omnis creatura, visibilis, et quae sola mente comprehendi potest, tenetur caput inclinare et cervicem demittere, in signum gratiarum actionis. Nos quoque propter ea omnia quibus a te exornati sumus, sermonem, et intelligentiam, et munus Evangelii Christi tui,

inclinati gratias agimus, et per eam capitis demissionem deprecamur, ut demittas super nos dexteram tuam invisibilem, et efficias nos templa Spiritus tui sancti, quandoquidem cum fide et veritate glorificamus nomen tuum, Pater, et Filii tui unigeniti, et Spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos dicit Orationem ad velum.

Creator creaturarum visibilium et invisibilium, et curam omnium gerens, quia tua sunt: Domine amator animarum. Domine, omnipotens tu es, et ego pauper et infimus minister tuus, indignus qui accedam ad sancta sanctorum tua, et tractem mysterium hoc tuum sacerdotale. Obsecro ut des mihi Spiritum tuum sanctum, materiae expertem, neque humana mente comprehensibilem: ignem illum qui omnem libidinem depellit, et imaginationes perversas incendit, et mortificat, ex membris terrestribus humanae carnis. Coerceat etiam omnem inordinationem mentis erga phantasias passionum exteriorum. Mystice etiam atque sacerdotali dignitati convenienter, et supra omnem mentis mortalis captum, habitet in me plenitudo sanctificationis, ad perfectionem doni hujus propositi. Ipse qui est consummator omnium mysteriorum, per communicationem Christi tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.
Diaconus. Stemus.
Populus. Misericordiae Dei, etc.
Sacerdos. Caritas.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Deo.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est et ab omni creatura pariter debitum, ut te glorificemus, te benedicamus et in perpetua ad te gratiarum actione perseveremus, tanquam virtutes illae intelligibiles, naturaeque illae incorporeae, pulcritudinis quae mundanam excedit: flammae non compositae, spiritus materiae ex-

perles, qui vetustate existentiae dignitatem habent et perpetua ad omnem horam, ante thronum gloriae tuae infinitum consistentia illis competit. Hic solus illis cibus est, ut te glorificent, te honore afficiant, te laudent, et per hymnos te magnificent, qui neque verbis exprimi, neque intellectu comprehendi possunt. Nos autem filii terrae, divites sacramentis ministerii facti sumus. Ut autem figmentum hoc materiale, creatura scilicet sensibilis, nec spiritualis non privaretur eodem splendore, quamvis commune nihil haberet, nihilque lucis illius, et post breve tempus intereundum ipsi foret, me animal rationale constituisti ex anima intelligente et corpore valde materiali, per quam ut intelligens, et videns essem fecisti; mortalem et immortalem, ex duabus contrariis unam naturam indivisam, ut per illam cognationem spiritualem naturae intellectualis, cum superna illa pulchritudine ad illa etiam excelsa aditus perpetuo pateret compositioni luteae: quam adsumsit ad se, et per dispensationem ortus simultanei, interpellaret, pro natura non spirituali, et ut adorationem atque debitam tibi gratiarum actionem referret.

Elevans vocem. Habentes igitur in auribus cordis hymnos laudis perpetuae, et oculis intellectualibus cernentes agmina illa superna, omnia scilicet quae Angelis, et Archangelis propria sunt: honorem dignitatemque virtutum: ordinationem Potestatum: ministeria Principatuum: adorationes Dominationum: perpetuam Thronorum stabilitatem: accedimus ad eosdem hymnos gloriae concinendos, qui ibi canuntur, digne Deo celebrandos, ad doctrinam animabus utilem et salutarem, ad traditionem beatam, et sapientissimam, Theologiae indesinentis Seraphim, quam linguis incorporeis tibi, unus Deus, offerunt, tibi qui unum principium es, una natura et una substantia, qui in tribus personis agnosceris, quae totam amplitudinem Dei complectuntur, et universim absque illis nihil quidquam factum est; a quibus, et ab unaquaque earum, ab ea et ad eam unitur Deus substantia et natura, tanquam Domino, et in rei veritate secundum illam ipsam eamdem divinitatem, non per solam communicationem, aut introductionem. Pater enim, et Filius, et Spiritus sanctus, una substantia, et una natura divinitatis, secundum operationem et veritatem sunt, non secundum imaginationem aut figmentum heterogeneum humanae mentis; quam naturam trine sed indivisim distinguimus, unice, non per effusionem fieri tenemus: hymnumque qui mundanas vires excedit, timorisque testimonium tibi offerimus, eumdem scilicet

quem omnis principatus ordinum militiae coelestis, Cherubim multi-oculi, et Seraphim sex alis instructi, canunt tibi voce triumphali, glorificantes indesinenter, et una voce laudantes dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Tu enim solus sanctus es, tu enim solus bonus, tu enim solus liber, Deus quem in Trinitate confitemur Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Tu etiam Domine omnipotens, cum formasses primum hominem ad opera bona, participem illum fecisti potestatis divinae, quietem, immortalitatem paradisi, et vitam nullis infirmitatibus obnoxiam illi largitus eras. Postquam vero artificio serpentis potestatem illam suam per transgressionem praecepti corrupit, et ab habitatione sua in Eden, depulsus est, et gratia in qua erat spoliatus, quamvis iratus non avertisti faciem tuam ab illo: sed ut converteretur interpellasti per admonitiones, per plagas, per praedicatores, per doctores. Inde Patres extiterunt, et salus; quia vero ubi lex erat, invaluit et valde multiplicatum est peccatum, Prophetae clamaverunt, et ira succensi sunt. Cumque omne remediorum genus quaecumque excogitari possunt, adhibitum fuisset per servos obedientes, et sedulos, nullo fructu, et qui ceciderat in summo periculo versaretur, tunc temporis unigenitum Filium tuum, aeternum illum et consubstantialem, throni et creatoris dignitate aequalem, ad nos peccatores, et impoenitentes misisti, qui secundum beneplacitum tuum, Deus Pater, ex Spiritu sancto, et utero conjugii experte incarnatus et homo factus est. In carne assumta simili nostrae substantiae nostrisque passionibus, et similis cum nostra originis, non in carnem aut sanguinem conversus. Neque a natura superiori mutationem passus, sed omnino in natura qualis nostra est, homo factus. Neque etiam corpus quod assumtum est, et unitum ipsi in persona, anima rationali praedita, conversum est in substantiam deitatis; assumptio enim, transmutatio fuit secundum qualitatem naturalem, et ea ex quibus ineffabiliter compositus est, post unionis intelligentiam, non quidem per conversionem, aut effluxionem, sed illud quod ipse erat Deus ex Deo permanet: illa vero omnia accepit, excepto solum peccato, non secundum phantasticam aliquam speciem aut opinionem, apparuit; neque in duabus naturis, aut in duobus cognitus, sed unum fuit, Verbum quod incarnatum est: unus Filius, unus Christus, una persona, una natura sive suppositum Verbi incarnati. Qui genus nostrum erexit, quod inopinato naufragio pericrat: qui nobis

quodcumque auxilii genus contulit, et per doctrinam veritatis animas nostras direxit, et per operationem varii generis miraculorum, diversis etiam curationum modis sanavit corpora nostra, et ad cognitionem sui nos deduxit. Tandem ad crucem salutarem venit; et passus naturaliter simul et voluntarie, in carne sua passibili et mortali, non impassibili neque immortali, chirographum nostrum discidit; et moriens vera morte nostra, ipsam quae ad corruptionem perducebat mortem, destruxit et vertit in soporem. Surrexit, at in sepulchro nulla prorsus omnino corruptio carnem ejus attigit, aut ulla ratione ad eum pervenit; atque per triduanam sepulturam, totum Adamum, potentia sua, secum a mortuis excitavit.

Sacerdos elevans vocem. Ipse [5] igitur princeps revelationis bonorum nostrorum, vespera illa gemitus sui voluntarii, per haec elementa vivificantia et ad accipiendum facilia, mysterium hoc, quod verbis explicari non potest disponens, accepit panem in manus suas sanctas, et velut Pontifex et Apostolus confessionis nostrae, pro nobis gratias referens,. gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite edite ex eo; Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro multis frangitur et dividitur, ad expiationem delictorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem vino et aqua cum miscuisset, benedixit, † sanctificavit, † et divisit discipulis suis dicens: Accipite bibite ex eo vos omnes; Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem, ego enim dico vobis quod futurus sum in medio vestri, et sanctitatem illis quae perficientur dabo; qui enim manducat corpus meum, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo: et sicut ego vivo propter Patrem, ita etiam qui manducat me, vivet propter me. Hanc igitur mysticam institutionem suscipientes, secundum legum tuarum dispositionem, o Verbum Deus, panem praeparavimus, et calicem miscuimus, praedicantes super haec totam dispensationem tuam, a prima, et momento atque nictu oculi facta carnis assumtione, usque ad passionem, mortem, crucem, et resurrectionem Deo dignam: corde puro, una voce secundum divinum illud praeceptum tuum, mortem

meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, usque ad adventum meum.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus.

Sacerdos. Tabernaculum igitur non manu factum Pontifex sancte, puritatem indute, segregate a peccatoribus, tu unigenite Deus Verbum, erexisti, qui pro nobis, nostrique similibus, et nostra causa, atque ex nobis incarnatus es; qui necessitatem non habes quotidie sicut illi, qui ex terra sacerdotio funguntur, multa offerre sacrificia. Hoc enim fecisti semel, non alienum sanguinem, neque sacrificium ex frugibus, sed te ipsum pro nobis dedisti, et sacerdotale ministerium ejusdem dignitatis praedicatoribus Evangelii fundandum concredidisti, propter sublimitatem bonitatis tuae. Tu igitur nunc Domine noster Jesu Christe, qui passus es pro nobis in carne, cum etiamnum peccatores essemus: qui nosti imbecillitatem naturae nostrae, et didicisti ex iis quae passus es obedientiam, ne rejicias nos ex numero servorum tuorum; ne veluti inimicos negligas nos, ne tanquam eos quibus supplicium decretum est, nos derelinquas: sed tanquam curator bonus, et pater misericors, qui ad domum suam vocat, quotquot sumus, reduc nos per integram reversionem ad ea quae honesta sunt. Perfice in nobis voluntatem tuam vivificam: et radicitus evelle a nobis omnem desidiam, a qua oritur error, et instabilitas bonorum: aspiciensque paupertatem nostram, festina ad miserendum nostri. Neque enim totus ille timor judicii, ubi ignis inextinguibilis et vermis qui non moritur, abjectio acerba, obscuritas nullam consolationem admittens, fletus et stridor dentium, corda nostra tantum cruciat et afficit, aut tangit, quantum dolor ille, et summus tremor, ne excidamus a gloria tua, aut repellamur a caritate tua, aut privemur beneficio benignitatis tuae: videamusque venientes ab Oriente et Occidente, et apud te cum Abrahamo et sanctis recumbentes: nos vero a Spiritu sancto separati, ejiciamur foras, audiamusque vocem illam acerbam, dicentem: Amen dico vobis, nescio vos. Quid nobis esse potest hujusmodi sententia tristius; quid etiam accidere potest acerbum, prae illa confusione: quod scilicet videamus Deum, et a Deo separemur, quod cum in hoc mundo domestici fuerimus, in futuro simus alieni: quod nunc cum filiis Ecclesiae stemus, et tunc cum diabolo condemnemur. Igitur ne tale quid patiamur, corripe nos Domine, sed non in judicio, neque in ira: dirige gressus nostros, mortalis enim quomodo intelliget vias ejus? doce nos facere voluntatem tuam, revo-

cansque nos iterum ad vitam nostram, a vana loquacitate, et noxia rerum inutilium cura, adjunge nos cum iis qui te diligunt, ad institutionem a te accipiendam: propterea enim et ejusmodi rerum causa, nunc poenitens Ecclesia tua deprecatur te et per te atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere. *Sacerdos.* Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Mitte nobis Spiritum sanctum Dominum, vivificantem, qui omnia perficit, qui omni hora dona dividit, et distribuit, largiturque singulis prout vult, qui omnibus proximus est, neque loco circumscribitur: qui vitam eorum qui vivunt conservat, et sanctitatis sanctorum perfector est. Mitte eum ad nos Domine, ut per manus nostras peccatrices dona haec proxima tangens, non ministerialiter, sed tanquam Dominus, neque typice, sed perfecte.

Elevans vocem. Panem quidem hunc, faciat corpus Unigeniti tui: corpus praeparans remissionem peccatorum nostrorum, corpus donans incorruptibilitatem futuram.

Populus. Amen.

Sacerdos. [6] Et calicem istum efficiat ad remissionem peccatorum nostrorum, ad participationem adoptionis filiorum, et ad pignus vitae futurae.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem Domine in immunditia demersi, et conturbati pro illis quae gessimus, conscientiam fiducia plenam non habemus, sed tantummodo in misericordia et clementia tua, quam abundanter super nos effudisti, confidentes, ausi sumus accedere ad sacerdotale hoc ministerium timendum et tremendum. Ex ministerio legali et umbras solas continente nihil quidquam adducimus, non Ephod, amictumve pretiosum, non mitram, non phialam auream aut tiaram, neque bovem integre oblatum, non hircum pro peccatis. non arietem perfectum, non vitulam rufam, et absque macula, non turturem aut columbam, sed panem [7] ex simila mistum cum oleo, et thure, in odorem suavitatis tibi offerimus: neque enim poterat sanguis taurorum aut hircorum auferre peccatum mundi. Lux autem

materiae expers, et omni substantia superior, quomodo obtineri a nobis posset, per aromata materialia? Verum induti filium tuum dilectum, aequalem tibi potestate, gloria, creatione et conservatione eorum quae sunt, per benignitatem ejus amore erga homines plenissimam, eumdem [8] in sacrificium et oblationem absque macula, et puram offerimus tibi, quem ipsum deprecatorem nobiscum esse facimus. Deprecamur te solum bonum et magnificum in muneribus Domine, a quo omne datum bonum, et omnia dona perfecta sunt, qui fecisti magna, nec investigabilia, praeclara etiam atque excelsa, quibus non est numerus, ut sacrificium hoc rationabile sit accipientibus ad salutem perfectam, ad liberationem a delictis quorum rei sunt, et ad salvationem a suppliciis acerbissimis, et intolerabilibus gehennae, atque ad voluptatem aeternorum bonorum consequendam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Pastorum Orthodoxorum, qui sunt in quocumque loco, praesertim vero D. N. et D. N. vitam tibi placentem ipsis concedens, prudentiamque cum fiducia conjunctam, senectutem placidam, virtutibusque cumulatam. Da illis sanitatem corporis, ad sufficiendum ministerio sacerdotali, et spirituali. Verbum etiam veritatis fac in ore habeant, ut quantum possint, greges confirment in vera religione, super fundamentum fidei: eos autem qui ex adverso constituti sunt, cum zelo redarguant. Sacerdotali ordini concede cum doctrinae sanitate, longam nec egestati obnoxiam senectutem, et coronam gloriae populi tui. Diaconis robur ministerio conveniens concede, simul cum moribus castis, et spe jucunda. Memento Domine per benignitatem misericordiae tuae, et mei infimi, usque ad terram abjecti, ob mea crimina, et propitiare peccato meo, multum est enim. Da mihi ut puro aspiciam lumen mirabile scientiae tuae, et ea quae sursum sunt quaeram, quae sursum sunt sapiam, et non cogitem de terrenis rebus, quae infra et procul a te animam inclinant, in eamque tenebras inducunt, ut non illis quae praestantiora sunt careat anima mea, neque sim tanquam aberrans a coelesti vocatione, atque gloriae, et beatitudinis quae illic est, privationem sustineam. Moderare etiam tentationes ita ut illas sustinere possim, et effugere fluctus et agitationes nequitiarum saeculi. Subdiaconis perseverantiam in honestate, et praeclara conversatione: Psaltis ministerium spirituale, et dignitatem morum convenientem. Interpretibus concede perspicacem intelligentiam locorum, et tractationem sublimem

libri hujus a Deo inspirati divinitusque demissi, et magnam rerum lectarum cognitionem. Exorcistis sermonem potentem tribue, quique possit frangere impetum daemonum. Illis qui in potestate constituti sunt, da ut nullam habeant in judicio personarum acceptionem; neque quod facto opus et aequum est, repellant. Iis vero qui vitam Philosophicam amplexi sunt, concede ut possint retundere impetus carnis, qui difficulter coerceri queunt, et ut quacumque hora decertent adversus astutias deceptoris.

Elevans vocem. Quando quidem vero his omnibus atque aliis ejusmodi digni facti fuimus, viamque nobis tritam quodammodo ad coelum fecimus [9], agnumque occisum super altare videmus, et lumine cognitionis Dei tanquam fulgure afflati sumus, non ex operibus nostris, sed ex virtute et potestate hujus ministerii, cum fiducia qualis decet sanctos, orationes nostras facimus, deprecantes te amator hominum Domine, ut sis propitius peccatis nostris per gratiam sanctificantem Spiritus tui sancti, per quam etiam haec mysteria nobis praeparas, ut digni efficiamur eorum susceptione, sicut illis convenit. Memento etiam per misericordiam et clementiam, Ecclesiae tuae sanctae Catholicae et Apostolicae, et plenitudinis Orthodoxorum qui in ea sunt; ut eam prorsus immunem facias ab omni diabolico maloque errore, et impiorum perplexis disputationibus et ab omni futilitate opinionum haereseos, quae corrumpat animam, atque ab omni crimine quod confusionem inducat: et referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento [10] Domine et eorum qui huc usque in Ecclesia tua nati, et in vera religione instituti sunt: illumina eos Domine, lumine cognitionis tuae, et lavacro regenerationis dignos illos effice: et perficiens eos ad omne virtutum genus, da illis ut pure evadant in virum perfectum, secundum mensuram aetatis plenitudinis Christi. Memento Domine et illorum, qui hodie oblationes tibi obtulerunt, et fratrum nostrorum qui inciderunt in varias mundi calamitates, atque salutem ipsis cito praesta, quia non est tibi impossibile ullum verbum, et plurima apud te misericordiae seges est. Ne fame enecari patiaris eos qui paupertate affliguntur: lacrymas viduarum consolare; curam gere necessitatis orphanorum: peregrinorum aerumnas visita: compensa angustias eorum qui persecutionem patiuntur; infirmos sana: eos qui in custodiis et in vinculis detinentur a captivitate libera.

Elevans vocem. Memento etiam Domine illorum qui in quocumque loco offerunt fructus in Ecclesiis tuis, qui necessitatibus pauperum communicant, et bonitatis tuae similitudinem quamdam exprimunt, quantum creaturis possibile est, per eleemosynarum, et operum misericordiae varia genera. Eorum etiam qui animo quidem praeparati, non habuerunt unde offerrent, solum autem desiderium suum demonstraverunt tibi, o Deus qui nosti corda eorum, et probas abscondita, et retribuis unicuique voluptatem abundantem bonorum coelestium et finem non habentium; ea etiam quae hic sunt cum abundantia subministrans: quia tu es largitor omnium bonorum, et dator omnium benedictionum, absque invidia, et tibi gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine coronae anni per benignitatem tuam, pluvias pacificas opportune concedens, rores etiam convenientes pinguedinis tuae, aestates nulli defectui obnoxias, sed immunes ab aestu nimio, et aegritudinibus: abundantiam fluviorum paradisi Edenici et aliorum: proventus fructuum qui sufficiant ad alimentum per totum annum singularem, naturalem, adeo ut alterius anni proventum etiam superet: bonam etiam aëris temperiem concede. Consolare paucitatem dierum vitae nostrae. Libera eos qui in captivitate detinentur, et eos qui a daemonibus impuris cruciantur ab operatione satanae immunes praesta.

Elevans vocem. Animam Regum, principum, aut qui in militari dignitate sunt ad te inclina, ut secundum voluntatem tuam gubernantes, adversariis quidem metuendi sint, mansueti vero et benigni erga Ecclesiam tuam, pacificique erga illos, qui sub eorum potestate constituti sunt. Illis qui pauperes amant vigilantiam, suscipientibus peregrinos, laetitiam tribue; unicuique secundum dispensationem sibi praestitutam, et vitae conditionem: alacritatemque ab omni pigritia immunem concede. Libera nos Domine a fame, et mortalitate, a terrae motibus et corruptione, ab omni malitia, et plaga, ab incursu barbarico, a dura captivitate, a tumultibus popularibus, et seditionibus urbanis. Da etiam nobis ut in bono statu et tranquillitate animarum nostrarum, amplectamur praecepta tua, quia benignus es, et multae misericordiae, tibique gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine etiam illorum qui ex hoc mundo tibi placuerunt, praesertim vero sanctae et gloriosae genitricis Dei Virginis Mariae, et omnium sanctorum tuorum, ab Adam primo, ad hanc usque diem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Per orationes eorum sanctas, per deprecationes eorum exaudiri dignas, et per obsecrationes eorum acceptabiles, Domine, propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos, tibique gloriam, et laudem referimus.

Diaconus. Ante.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine beatorum Patrum nostrorum, principum et Doctorum Ecclesiae tuae sanctae, eorum qui testimonium perhibuerunt tibi, et direxerunt ad lumen scientiae gregem tuum sanctum.

Elevans vocem. Per orationes et deprecationes eorum sanctas concede etiam nobis, ut intuentes exitum conversationis eorum assimilemur illis secundum fidem Orthodoxam, et per zelum pietatis. Conjunge etiam nos et omnes dispersos Israĕlis spiritualis, in unam concordiam, et eamdem mentem, unumque vinculum caritatis: in unam doctrinam sinceram Ecclesiae sanctae Catholicae et Apostolicae, quia tu ipse es qui terrena coelestibus conjunxisti, tibi gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum Orthodoxorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Psaltarum, Monachorum, perpetuam virginitatem profitentium: saecularium qui olim in Christo consignati sunt, et eorum omnium qui in persuasione Orthodoxa, ex hoc mundo egressi sunt.

Sacerdos elevans vocem. Et remissionem peccatorum tribuens naturae nostrae Domine, vitam absque senio, laetitiam indeficientem, bona immutabilia concede Domine, si enim iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit te? Quia omnis justitia nostra atque perfectio virtutum nostrarum, sunt tanquam pannus mulieris menstruatae, si comparentur cum justitia tua, o amator hominum. Si autem in Angelis fidem non invenisti, quorum tamen indoles et natura corporea non est, quanto magis in nobis qui vase passionibus pleno induti sumus, et affectibus materialibus cooperti. Unus enim omnino

super terram visus est immunis a peccato: Dominus et Deus noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus, per quem nos quoque speramus, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos elevans vocem. Et ad vitam deinceps recte instituendam Domine, instrue servos tuos, et oculorum evagationem, linguae protervitatem, tactus manuum impudicos, voluptatem etiam quae ex auditu rerum malarum percipitur, aufer a nobis. Illa etiam quaecumque ex pravis affectionibus oriuntur, vanam gloriam, quaeque similitudinem habent cum ruina illa prima Adami, per fraudulentum diabolum: ventris insatiabilitatem, quem multi Deum suum faciunt: avaritiam quae est idolorum servitus: ut ab omnibus illis purgati, appareamus in mundo tanquam luminaria; verbum vitae conservantes; et omnis quicumque nos viderit, sive fidelis sive infidelis, laudet et veneretur nobiscum nomen tuum laudandum, gloriosissimum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Sancta Sanctorum qui in sanctis requiescis et sanctos perficis; qui nos omnes vocasti vocatione sancta, ad lumen mirabile cognitionis tui, qui gratiam adoptionis, non ex operibus nostris, sed per fidem nobis adquisivisti; praesta, ut mereamur non figura tantum exteriori, sed corde puro, et conscientiae fiducia, et labiis non deficientibus invocare te Patrem, Patrem nostrum, ut multiloquium vanum et futile impiorum Paganorum, et Judaicam superbiam rejicientes, voce humili, et qualis Christianos decet, possimus offerre tibi deprecationem, secundum legem ab unigenito Filio tuo positam, et cum sanctitate corporis et animae, bonaque voluntate, quae filios decet,

fiducia et caritate, audeamus invocare te Patrem sanctum, et dicere, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. O Pater bone, et amator bonorum, ne nos inducas in tentationem, neque dominetur in nobis ulla iniquitas: Sed libera nos ab operibus malis; cogitationesque indecentes, et tentationem, quae ex privatione visitationis tuae nascitur, depelle. Motus etiam qui a nobis, et in nobis excitantur, et proclivitatem quae nos ad peccandum rapit, coerce, per Christum tuum sanctum cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Cum collis corporis mentes quoque nostras inclinamus, majestatem quidem tuam, servitutem vero qualem unicuique nostrum convenit exhibere, tibi confitentes: rogamusque te, bone et amator hominum, ut propitius factus, a passionibus noxiis nos liberes: motus etiam carnis ad peccati amorem instigantes, obscoenas passiones, dissidia adversarum passionum, omnia bella, tam ex nobis, quam in nobis, varias sententiarum opinionumque haereticarum concertationes, facilitatem ad loquendum inutilia, altercationes contentiosas, ab omnibus moribus extingue, et in omnibus familiares et domesticos fac nos tibi et per patientiam voluntatis tuae consolare. Da nobis etiam nunc, virtutem sapientiae et auxilium prudentiae, ut supra sensus materiales elevati simus, neque corruptelae, neque passionibus obnoxii. Et sicut hoc natura [11] est mysterium Unigeniti tui, ita per illud suscipiamus donum, ad remissionem peccatorum nostrorum, et ad gloriam nominis tui, et illius, et Spiritus sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Quandoquidem incorruptioni spirituali communicavimus, et per virtutem animae confirmati fuimus, tibi etiam benefice,

et magnifice in muneribus Deus, hymnos gratiarum actionis offerimus, oramusque te ut non convertas festa nostra in luctum, neque pompas nostras in cantica luctuosa, quando justitias ipsas examinabis, et zizania ex nobis colliges, propter susceptionem indignam mysteriorum. Sed misericordem praebe te erga nos, parce pusillanimitati naturae nostrae: propitius esto et miserere, non in judicium aut in condemnationem reputans nobis munera tua: sed ad sanctitatem, et vigilantiam, et viaticum salutis nostrae, per Christum Jesum Dominum nostrum cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te, etc.

Sacerdos. Tibi commendamus vitam nostram Domine omnipotens: ubicumque fuerimus custodi nos in poenitentia quae in nobis est, per orationem, et certam persuasionem vitae recte instituendae, conserva nos immunes et illaesos: ut in quocumque tempore et loco, majestatem tuam intuentes, et ea quae tibi placita sunt, et grata operantes, non confundamur in die judicii, in quo unusquisque retributionem accipiet, cum Angeli stabunt et tu judicabis: cui gloriam, laudem, honorem et adorationem offerimus, cum Patre tuo et Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos benedicit.

IN LITURGIAM JOANNIS BASORENSIS

NOTAE.

1. De Joanne Basorensi autore ejus Liturgiae nondum quidquam nobis occurrit, nisi quod Jacobitam eum fuisse, et alicujus in sua secta nominis intelligamus, non modo ex hujus Liturgiae inscriptione, sed ex alio non mi-

noris autoritatis argumento. Habemus illud ex Liturgiae Basilii Copticae et Arabicae exemplari nostro, quod inter diversas, et quae ab antiquioribus absunt; ut etiam a Regio Graeco Arabico ejusdem Liturgiae Codice formulas *τοῦ ἀσπασμοῦ* seu Osculi pacis, eam quae hujus initio legitur ipsis verbis repraesentat, cum titulo. *Oratio Patris nostri Joannis Bostreni pro pacis osculo ad Patrem.* In Arabico perperam. *Oratio Patris nostri Joannis Chrysostomi, pro pace danda ad Patrem.* Forte quis foret Joannes Bostrenus ignoravit interpres Jacobita, aut id commisit quod non semel Orientales alii, aut inscitia, fecerunt, aut dolo malo, dum ex nominum similitudine quaedam antiquis Patribus tribuerunt, quae recentiores autores haberent. In ea vero parte per piam fraudem, sed fraudem tamen, quae nulla tegi excusatione potest, peccaverunt magnopere Maronitae in editione Missalis Chaldaici Romae facta. In ea enim Atheniensi Dionysio Pauli discipulo Liturgiam tribuerunt, quae in codd. MSS. nomen habet Dionysii Barsalibi Amidensis Metropolitae Jacobitae. Ignatio Antiocheno Martyri, quae alterius Ignatii ex eadem secta fuit. Joanni Chrysostomo, quae Joannis alterius et haeretici. At hic noster Bostrenus Graece, idem qui et *Basorensis.* Nam etsi *Bostra* de qua Stephanus, ubi Colonia Romana fuit, cujus nummi extant plures Latini et Graeci, non eadem sit, quae nunc Arabum *Basora*, noviter ab ipsis aedificata et munita, eodem tamen loco aut vicino cum fuerit, pro eadem habita est.

Ουευχη ιτε πιριοτ Ιοαννης πιβωτρινος εθβε πι ασπασμος φιωτ.

2. *Oratio ante Pacem.*

Nulla melior hujus loci explicatio dari potest, quam ipsa oratio ut legitur apud Coptitas: quae edita est in versione Liturgiae Copticae Basilii.

3. *Oratio veli.*

Raro hic titulus occurrit in Syriacis Liturgiis, eadem tamen est quae in Graecis et Copticis dicitur *τοῦ καταπετάσματος* de qua dictum est ad Liturgiam Basilii.

4. Hoc loco autor fuse mysterium Incarnationis explicat, recte quidem quantum ad rejiciendas veteres haereses, praesertim Apollinaris et Eutychis: quas Jacobitae unam et eamdem esse pertendunt: verum ex Monophysitarum sententia, non unam modo personam, sed unam naturam agnoscit. Atque haec erat, estque etiammum Jacobitarum doctrina, illis Confessionibus maxime similis, quarum aliquas retulimus in Historia Patriarcharum Alexandrinorum: variisque testimoniis quae passim occurrunt in Tractatu qui inscribitur *Fides Patrum.*

5. Autor hujus Liturgiae, ut mediae aetatis scriptores Officiorum sacrorum prope omnes, longius recessit a prima illa simplicitate quae in Graecis observatur, et quam pariter secuti sunt primi Syriacarum autores, vel interpretes. Tota tamen illius paraphrasis institutionis Eucharistiae, ex sacris literis contexta, nihil habet unde possit accusari, cum verba Dominica contineat, ut in Evangelii, et aliis Liturgiis leguntur. Occurrunt in Latinis vetustis codicibus exempla aliquot fusioris explicationis mysteriorum post *Sanctus:* verum cum ad ea verba ventum est, *qui pridie quam pateretur,* oratio brevior est et simplicior.

6. *Calicem hunc efficiat, ad remissionem peccatorum.*

Liturgiarum reliquarum cum ista comparatio facit ut in hac Invocationis Spiritus sancti forma deesse verba nonnulla suspicemur. Ista scilicet *ut Calicem hunc efficiat Sanguinem ejus pretiosum, etc. in remissionem peccatorum.* Cur enim omittantur cum extent in Graecis et aliis omnibus, tum etiam in prima ejusdem orationis parte, causa nulla est. Si quis lectionem integram esse contendat, ut eliciatur inde, non ex Invocationis Verbis consecrationem, aut illius integram vim in illa esse positam, non admodum pugnabimus, cum id aliunde satis constet. Verum tamen supererit maxima difficultas, eo quod integra sit Invocatio super panem Eucharisticum, atque adeo talis esse super calicem debeat: quod explicari commode vix potest.

7. *Panem ex simila mistum cum oleo.*

Quis Syrorum morem in parandis oblatis Eucharisticis Joannes Basorensis innuat, non videtur dubitandum: subtilius tamen, id significat quam Mathaeus Pastor in hac Liturgia qui panem perfectum, hoc est qualem Syri offerre solent Christum accepisse dixit, cum de eo verbum nullum in Evangelio, nec in Pauli Epistola ad Corinthios, nec in vetustis Officiis occurrat. Verum cum in Levitico oblatio ex simila pura oleo conspersa deberet esse, simulque granum thuris imponi, id commemoravit autor, tanquam disciplinae Ecclesiae suae fundamentum, frustra sane: nec enim frigido hoc argumento Joannes Patriarcha ejusdem sectae, qui Syrorum Apologiam scripsit, multum tribuisse visus est. Quippe in similae oblatione thus imponebatur, cujus ad Panem Eucharisticum usus nullus est: sed salis: de quo admiscendo nihil in veteri disciplina praecipitur. Hujus porro misturae salis et olei occasione, retractandum est quod in Commentario ad Officium generale scripsimus, Dionysium Barsalibi illius non meminisse in Commentario ad Jacobi Liturgiam. Cum enim olim illum in Codice legissemus, in quo nihil simile occurrebat, ita scripseramus; sed alterum dum haec editio procederet Codicem vidimus, in quo mistionis illius, tanquam a Syris usurpatae meminit.

Levit. c. 2.

Pag. 66.

8. *Eumdem in sacrificium tibi offerimus.*

Nox poterat accuratius et significantius explicari doctrina vetus Ecclesiae circa sacrificium Eucharisticum, quam his verbis: offerri scilicet in eo Christum in sacrificium et oblationem immaculatam: etsi non ignorant, ipsum semel obtulisse se ipsum Deo Patri hostiam propitiatoriam, cum idem in hac Liturgia legatur. Nihil igitur a sanctis Patribus, aut qui eos secuti et illorum fidem imitati sunt Latinis Theologis, de vera et reali corporis Christi et sanguinis in Eucharistia praesentia dictum est, quamvis sensibus repugnans, et humanae intelligentiae, quod non simpliciter intellexerint Orientales: tantum abest ut Protestantium exemplo haec omnia ad metaphoras reduci debere, existimaverint. Nam corpus Christi in altari positum esse dicunt, quod a Chrysostomo et aliis didicerunt: ita credere se, non modo perspicue testantur, dum similes locutiones suas faciunt, verum etiam variis disciplinae Ecclesiasticae legibus confirmant.

9. *Agnum occisum super altare.*

Illud est quod Chrysostomus et alii saepius inculcant: atque ita loquuntur Severus Episcopus Aschmonin, Echmimensis, Autor Homiliarum de circulo anni, Barsalibi, Abulfaragius et alii multi: ut quae occurrunt tam in Liturgiis, quam in libris Theologicis, non rhetorice dicta autoribus excidisse, sed ex certa persuasione dicta esse manifestum sit.

10. *Eorum qui in vera Religione instituti sunt.*

De Catechumenis verba esse satis apparet: quamvis ut observavit Barsalibi, nulli dudum sint in Ecclesia Orientali: sed id translatum ex disciplina veteri: ut apud nos quoque retenta est in Officio Sabbati Sancti publica pro illis oratio; quamvis in Occidente quoque Catechumenatus obliteratus fuerit. In Oriente multo magis: statim quippe Christianis infantibus baptismus administrari solet: tum ne absque salutari lavacro pereant, tum ne a Muhamedanis rapiantur.

11. *Et sicut hoc natura est mysterium unigeniti tui.*

Obscurus locus, qui tamen explicata ratione stili, qui ut monuimus in illis mediae aetatis Liturgiis affectatione elegantiae laborat aliquando, sententiam talem habet. Ut hoc mysterium, quale est post illapsum Spiritus sancti, omnibusque modis consummatam et perfectam consecrationem, est vere et secundum id quod est, mysterium a Filio tuo Jesu Christo institutum, quod

indubitate credimus: ita rogamus, ut donum sive fructus ejusdem mysterii ad nos perveniat, prositque nobis ad remissionem peccatorum. Id enim ipsum est quod in omnibus aliis orationibus ante vel post communionem dici solitis peti solet: sufficitque ad istius explicationem. Istud vero *in natura* idem significare existimamus, ac vere et re ipsa: nam cum vox בינא *naturam* proprie significet, saepe etiam, ubi abundantia synonymorum quaeritur, pro essentia et substantia usurpatur, et opponitur imaginario, et figurato.

In reliquis nihil est quod nova aliqua observatione indigeat.

LITURGIA

I. MICHAELIS

PATRIARCHAE ANTIOCHENI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus omnipotens et Domine, praesta nobis ut accedamus ad mysterium magnum et divinum, quod per amorem tuum erga homines nobis instituisti; et da nobis ut per caritatem tuam colligati, per eam quoque mundemur ab omni iniquitate, et a maculis cujuscumque generis, odii et inimicitiae: ut per concordiam et caritatem veram, simus omnes corpus unum indivisum, secundum Spiritum; et tanquam membra, invicem amplectamur, in dilectione sancta, in participatione mysterii caritatis Christi, unigeniti Filii tui: cum quo te decet gloria, et honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque, etc.

Populus. Praesta.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Rogamus te dator sanctitatis, et largitor omnis puritatis; suscipe etiam nunc inclinationem servorum tuorum qui colla demittunt, et benedic congregationi adorantium te, per gratiam tuam. Imple sanctitate animas et corpora nostra: libera nos a peccato quod in nobis est, ut sancte perficiamus ministerium hoc, secundum institutionem Deo dignam, unigeniti Filii tui: cum quo decet te gloria, honor, et potentia cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem dicit Orationem super oblatam.

Abscondite, qui a creaturis videri non potes, creator omnium et dives in omnibus; dita nos muneribus tuis divinis, ut possimus tractare mysteria haec, quae mentis captum superant; quia non in justitia nostra fiduciam habemus, sed in misericordia tua, quae Filium tuum unigenitum ad nos demisit. Da nobis quoque confidentiam, ut per mysteria haec sancta sanctificemur; verum etiam nos circumda magnitudine munerum tuorum divinorum. Te Domine deprecamur et petimus a te, miserere nostri, et largire nobis Spiritum tuum sanctum, qui mentibus puris illucet: ipse veniat et commisceatur his oblationibus, ut sint nobis, et universo populo haereditatis tuae, ad veniam et remissionem peccatorum nostrorum: et ex tota anima nostra gratias agamus tibi Deus Pater, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordia.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Secundum veritatem tibi Domine debetur adoratio, et tua est laus quae tibi refertur. Quamvis autem omnes creaturae non sufficiant, ad te laudandum sicut oportet, suscipis tamen adorationem ab omnibus, quia tu bonus es, et miserationes tuae super omnes extenduntur.

Elevans vocem. Tua est Domine omnis creatura, sive quae intellectu praedita est, sive quae solo sensu. Te glorificat et veneratur coelum et quodcumque in eo est, terra et quodcumque super terram reperitur; creaturae mutae, ipso silentio suo: quae loquendi facultatem habent, linguis suis: Angeli jubilis suis: Potestates et militiae exaltationibus suis: Sacerdotes in ordinibus suis: Diaconi in congregationibus suis. Tu vero supra omnem gloriam in abscondita natura tua es; suscipiens tamen per amorem tuum erga homines, hymnos Ecclesiae tuae et gregis tui, simul cum canticis Angelorum et Archangelorum, et vocibus Seraphim, qui admiratione divinitatis tuae stupefacti, concentibus suavissimis, secundum praeclaram ordinationem, canunt, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater, sanctitateque sublimior: largiris ipse sanctitatem cum Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, illis qui illam suscipiendi digni sunt. Tu enim naturam quam creasti et honorasti, domus quodam magisterio, postquam libero suo arbitrio excidit ex sublimitate sua, non deseruisti, ut periret, sed Filium tuum unigenitum misisti, qui factus est homo, et in omnibus nostris similis factus est nobis, excepto peccato, et salvavit nos.

Elevans vocem. Qui humiliavit se, et conceptus est in utero, configuratusque est ex Spiritu sancto et ex Virgine sancta, non exinanitus a gloria sua, neque mutatus a natura sua, sed in natura humana, supernaturaliter, factus est homo perfectus, cum esset interim Deus verus. Atque ita salutem nostram perfecit, per dispensationem suam divinam, et mysteria haec plena vitae designavit, complevit, demonstravit, et docuit: Accipiens panem in manus suas sanctas, † benedixit eum, † sanctificavit eum, † fregit, deditque Apostolis suis, et per eorum manus universae Ecclesiae sanctae, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionemque peccatorum, et vitam novam venturam. *Populus.* Amen.

Simul etiam cum pane, calicem prius vino et aqua temperatum, accepit † benedixit eum † sanctificavit eum † et commendavit per manus Apostolorum Ecclesiae suae, dicens: Hic est sanguis meus qui pro vobis datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam venturam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Perpetuo commemorationem hanc mortis et Resurrectionis meae facietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine.

Sacerdos. Oculis ergo animorum nostrorum intuentes et videntes mysteria dispensationis tuae propter nos, o Verbum Deus, adoramus eamdem salutarem dispensationem: confitemur nativitatem tuam, et ortum tuum: confitemur passiones tuas et sepulturam tuam; glorificamus Resurrectionem tuam, et extollimus Ascensionem tuam; benedicimus propter sessionem tuam ad dexteram paternam, et expectamus adventum tuum secundum. Verum rogamus et deprecamur te ut quando venies cum gloria tua, et apparebis manifeste, omniaque congregabis, non condemnes nos simul cum illis qui te non noverunt, neque perdas, cum iis qui tibi non adhaeserunt: sed potius miserere nostri, quia nomen tuum magnum invocatum est super nos. Scimus sane, quia peccavimus, et te vere ad iracundiam provocavimus: neque digni sumus misericordia tua. Verum per passionem tuam, Domine, per crucem et mortem tuam propter nos, ne agas nobiscum quemadmodum meruimus: ne tradas nos cruciatibus absque misericordia, neque juste retribuas nobis. Recordare Domine quod te confessi sumus, et ad nomen tuum confugimus. Miserere, parce, et salva congregationem adorantium te a tenebris exterioribus, a fletu et stridore dentium, quia non est nobis Deus alius praeter te, ad quem levati sunt oculi nostri, ut confitearis nos, et oriri jubeas lumen vultus tui super nos, et super Ecclesiam tuam redemptam sanguine tuo pretioso; quae voce magna clamat ad te, et ad Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Clamo ad te Deus, corde affecto, et oculo lacrimabundo: miserere mei per gratiam tuam, et purga me a multitudine iniquitatum, quae per cogitationes turpes, aut opera iniqua mea, infirmam animam meam maculant. Rogo te Domine plene misericordia, ne propter peccata mea, prives me gratia tua in hoc tempore, sed per

misericordiam tuam ignosce mihi, et per clementiam tuam munda me: atque oblationes istas sanctifica per Spiritum tuum sanctum, qui aequalis est tibi Deus Pater, et Filio tuo unigenito, secundum divinitatem, substantiam, naturam et dominationem. Ipse adveniat, et illabatur, et per obumbrationem suam, perficiat haec sacramenta, corpus et sanguinem unigeniti Filii tui, et per ea Domino veniam consequatur grex tuus spiritalis.

Diaconus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Victor et victoriam praestans, sanctus et sanctificator Spiritus sanctus, ipse per obumbrationem, et illapsum suum, panem quidem istum faciat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei, Regis nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut omnibus ea accipientibus, et communicantibus, sint pignus salutis ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Propterea offerimus tibi sacrificium hoc spirituale, secundum doctrinam Domini nostri, pro universa Ecclesia sancta, pro Pastoribus Orthodoxis, qui pascendae eidem vacant, pro Regibus fidelibus, pro cessatione bellorum, pro peregrinis, et advenis, et pro omnibus illis qui invocant nomen tuum sanctum, Deus noster, ut adjuventur per gratiam tuam, et visitentur per miserationem tuam.

Elevans vocem. Robora et confirma, Domine, Ecclesiam tuam sanctam quam acquisivisti ex gentibus, et salvasti per sanguinem unigeniti Filii tui. Praeserva eam ab omnibus haeresibus perversis: depelle ab ea hostes occultos et manifestos: compesce ab ea virgas omnes furoris et rebellionum, visita eam per gratiam tuam, et benedic illam dextera tua omnipotenti: habita super eam misericorditer, et per protectionem potentis brachii tui, ut gaudio quod in te est afficiantur filii ejus, vocesque suaves, et gratas gratiarum actiones referant tibi, et Filio tuo unigenito et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe clementer per amorem tuum erga homines, Domine, quodcumque offertur nomini tuo magno et sancto, a filiis Ecclesiae tuae in votis et decimis: iis etiam qui postulant orationes Sacerdotum tuorum, concede petitiones suas.

Elevans vocem. Beate, qui vere bonus es, fons bonitatis, et largitor gratiae, Domine; eapropter petimus a te, suscipe deprecationes populi tui: exaudi orationes Ecclesiae tuae; responde postulationibus gregis tui; parce et miserere peccatoribus, et insipienter agentibus, egenis et peregrinis, oppressis et injuriam patientibus, omnibus illis qui angustias aut persecutionem patiuntur, et iis qui diversis tentationibus conflictantur; et referemus tibi gloriam, nos omnes una voce profecta ex corde intimo, simulque Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Dextere conserva per brachium tuum, Domine, populum tuum fidelem, ab omnibus tentationibus, et adversitatibus, et concede toti mundo tempora plena gaudiis: benedic vero coronae anni per gratiam tuam.

Sacerdos elevans vocem. Dator omnium auxiliorum nobis, tu es solus, et largitor victoriae, omnipotens Deus noster adorande, omnibus iis qui adorant te, et qui vere te diligunt. Igitur apud te clamamus, ut propter beneficia et munera tua, glorificationem aeternam referamus tibi, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemorantes coram te, Domine, nomina Sanctorum, qui moribus suis tibi placuerunt, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum Orthodoxorum, Martyrum, Confessorum, omniumque piorum et justorum: per orationes eorum petimus, ut postulata concedas populo tuo.

Elevans vocem. Eos omnes qui placuerunt tibi, sanctimonia morum suorum: sanctorum, qui sanctificati sunt per sanctitatem quae a te est, Domine, commemoramus hoc tempore: ut per orationes eorum, praestes nobis, ut vestigiis eorum insistamus, et nunc quamdiu super terram degimus, terram et terrena relinquamus, et spiritum sequamur, moribus secundum virtutem institutis assuescamus, et splendore lucenti spiritus exornemur, vocibusque spiritualibus oremus te, Spiritu orante pro nobis, canticis inenarrabilibus, referamusque

tibi gloriam, et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus coram te, Domine, Pastores et Doctores electos, patres spirituales nostros, qui a Petro discipulorum principe, usque ad hodiernum diem, spiritualiter paverunt gregem tuum spiritualem.

Elevans vocem. Qui luminaria fuerunt, lucem praebentia Ecclesiae tuae sanctae: eos omnes qui Evangelium vitae plenum unigeniti Filii tui usque ad fines mundi praedicaverunt: qui labores sustinuerunt in pascendo grege tuo: qui etiam pericula subierunt, propter fidem Orthodoxam quae in te est: qui zizania ab inimico spirituali seminata per ora haereticorum combusserunt, per doctrinas rectas et fundatas super spem vitae novae, et promissiones Evangelicas; per quorum orationes, Domine, deprecamur te. Omnes haereses oppositas extingue et dejice, pacem perpetuam Ecclesiae tuae concede, et ab omnibus bellis et seditionibus populum tuum praeserva: artes Satanae destrue et dissipa, ut omnis congregatio adorantium te sedulo, vitam ducat ab omni reprehensione liberam, et referemus tibi gloriam et laudem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Visita, Domine, per clementiam tuam defunctos Orthodoxos. Ad altare tuum supernum fac eorum memoriam, et voluptate reple illos in thalamo tuo luce pleno; praecipue vero patres, magistros, et doctores nostros, et eos omnes pro quibus hoc sacrificium oblatum est, quique nunc nominantur, et eos quorum tibi nota nomina sunt.

Elevans vocem. Opifex naturae nostrae, Deus noster, adorande et sciens omnia, qui vis vitam et salutem omnium, praesta per misericordiam tuam memoriam bonam, et veniam delictorum, remissionemque peccatorum, patribus, magistris et doctoribus nostris, omnibusque filiis Ecclesiae tuae sanctae, qui per decretum ab aequitate tua statutum adversus nos, ad peccati nostri abstersionem, olim biberunt calicem ingratum mortis, separationisque amarissimae. Visita eos Domine, et consolare eos in habitaculis in quibus requiescunt: per nutum tuum divinum et sapientissimum, justam dispensationem, sensum animae beatum, suavem, et plenum clementia: per sacrificium

hoc mysticum et omni spe beata plenum. Domine, suscipe obsecrationem nostram propter eos, et dele peccata atque defectus eorum, dealba maculas eorum: quia non est neque fuit, inter omnes carni alligatos, qui purus omnino sit et innocens coram te, nisi unus solus Dominus noster et Filius tuus, per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Libera etiam et praeserva nos, Domine, ab omnibus insidiis malis maligni adversarii nostri: quamdiu autem in hoc mundo degemus, muni nobis vias decursus nostri: fac nos dignos fine bono, et exitu per misericordiam felici. Depelle a nobis exercitum nequam latronum in aëre volantium, et praesta nobis ut audiamus vocem illam laetam dicentem ad nos, venite benedicti patris mei, possidete haereditatem, quae parata est vobis: ut in hoc sicut et in omnibus, glorificetur et laudetur ab omnibus nomen tuum honorandum omnibus modis, et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Ad te Deus Pater, qui causa es omnium spirituum, offertur oratio nostra secundum doctrinam Deo dignam unigeniti Filii tui dilecti, Domini Dei nostri Jesu Christi. Acceptam igitur eam habe, per amorem tuum erga homines immensum et paternum: sanctifica nos per Spiritum tuum sanctum, tibi consubstantialem, qui sanctos omnes perficit: ut per eum sanctificatis mentibus, oribus et linguis nostris, abstersisque et purificatis, pure et sancte mereamur invocare te Deum Patrem omnipotentem, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Sanctifica nos per nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos. O Pater noster coelestis perfice et adimple in nobis voluntatem tuam: adveniat regnum tuum et divinitas tua, habitetque in nobis sicut in coelo excelso: neque deseras nos ita ut tentemur, quia non habemus virtutem ad sustinendum. Libera nos Domine a maligno, et ab omni quodcumque cum eo similitudinem habet aut affinitatem: neque permittas ut voluntas ejus in nobis perficiatur: audet enim affectare ut nos dejiciat, et regnet super nos, tuum autem est regnum, et nos servi, et mancipia tua sumus. Tu qui potes omnia nutu tuo, contere caput ejus sub pedibus nostris velociter, ut pro reportata a nobis victoria, referamus tibi gloriam, et offeramus adorationem Filio tuo et Spiritui sanctissimo nunc etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Miserere Domine populi tui qui expectat donum tuum coeleste. Nemo ex coetu nostro expellatur a participatione mysterii sacrificii hujus vivificantis, ita ut nobis in convivio hoc spirituali epulantibus, cum conscientia inculpata, pignus fiat vitae novae et spiritualis, et viaticum ad viam illam aeternam, atque illic ad mensam tuam incorpoream epulemur, referamusque tibi gloriam perpetuam et gratiarum actionem indesinentem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit misericordia, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Gloria misericordiae tuae Domine, cujus gratia tam abundanter effusa est: confitemur nomini tuo, et benedicimus gloriam tuam, quia dignos fecisti nos, quamvis luto implexos, hauriendi aquam

vitae ex hoc fonte puro et sancto. Deprecamur ergo te Domine, ut conserves in nobis depositum hoc magnum et amabile: ut per illud et propter illud liberemur a damnatione judicii in die illo magno Resurrectionis omnium hominum, securique perpetuo efficiamur coram te ad convivium hoc spirituale, canamusque perfecte Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, bonum, et vivificantem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Postquam.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Gratiarum actionem cum confessione et gaudio eximiam offerimus tibi Domine, pro beneficiis et muneribus tuis, quae verbis enunciari non possunt, quia dignos fecisti nos dono hoc divino. Ne condemnes nos ob susceptionem mysteriorum tuorum immaculatorum, sed miserere peccatoribus servis tuis, et sana vulnera populi tui: suscipe deprecationes gregis tui, et per sacrificium hoc remissionem omnes consequamur. Sit nobis ad veniam et salutem animarum corporumque nostrorum, prohibeatque a nobis corruptorem illum spiritualem, atque omne genus peccati. Dextera tua requiescat super nos Christe Deus noster, et crux tua custodiat nos: referemusque tibi gloriam et laudem simulque Patri tuo, et Spiritui tuo nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos dicit Orationem signationis.

Deus qui suscepit oblationem Abel in planitie, et Noë in arca, Abrahami in montis vertice, Eliae in Carmelo, Davidis in arca Aran Jebuzaei et minuta viduae in sanctuario, ipse suscipiat oblationes, vota et decimas vestras, et opera manuum vestrarum, praestetque memoriam bonam defunctis vestris, spem benedictam et custodiam vitae vestrae per orationes, et preces Deiparae, etc.

IN LITURGIAM MICHAELIS ANTIOCHENI OBSERVATIO.

Hanc Liturgiam inter recentiores numeramus, quia non extat in multis codicibus: duplex tamen ejus exemplar suppeditavit Colbertina Bibliotheca. Patriarcham Antiochenum qui Michaelis nomen habuerit nullum habemus ante schisma per Severianos factum; neque deinceps aliquem hujus nominis nisi anno Alexandri MDIII. Jesu Christi MDXCI. quo tempore Joannes Alexandrinae Jacobitarum Ecclesiae praesidebat LXXIV. scilicet Patriarcha, qui Marco filio Zaraae successit, et ante ordinationem vocabatur Abulmeged filius Abugaleb; quique ordinatus est anno DCCCCV. Martyrum, mortuus DCCCCXXXL Christi MCCXXVI. Hoc vero docet nos subscriptio vetusti Evangeliorum Syriacorum codicis, qui est in Bibliotheca Regia; quae multa nos docet. Nam inde intelligimus Michaelem Antiochenum, cui haec Liturgia tribuenda est eumdem esse qui eximium opus scripsit de *praeparatione ad communionem*, et de variis Christianae vitae officiis, de fide et qua ratione quisque in perfectum Christi discipulum evadere queat. Praesertim vero agit per modum quaestionum a Monachis propositarum, de Poenitentiae necessitate, deque certa poenitendi regula: scilicet ut quicumque peccati sibi conscius foret, confessionem primo apud Magistrum sive spiritualem patrem faceret, susciperetque Canonem, quo perfunctus secure posset ad sacramenta percipienda accedere. Invehitur magna parte hujus operis in consuetudinem quae tunc, inquit, apud Coptitas obtinebat, quod plerique confessionem apud sacerdotem facere negligerent. At coepit haec prava consuetudo induci apud Coptitas sub Marco F. Zaraae Joannis praedecessore, sub quo vivebat Michael Damiatensis Episcopus qui primus, quod sciamus, legem de abroganda confessione suasit, ut alio loco diximus. Joannes etiam idem, in Chronico Orientali quod Latine edidit Abrahamus Echellensis eam dicitur abrogasse: itaque recte de illis Michael scribere potuit. Atque ita ejus, opinor, aetatem habemus non ex illo solum, sed ex altero etiam paris et ejusdem, ut videtur, manus Evangeliorum codice.

Id habet singulare haec Liturgia, quod orationes dispositae sunt secundum Alphabeti Syriaci literas Psalmorum Abecedariorum more.

LITURGIA
DIONYSII EPISCOPI AMID,
QUI ET BARSALIBI.

Primum oratio ante Pacem.

Caritatem, et concordiam, tranquillitatemque perfectam da nobis, Domine, hoc tempore, et omnibus diebus vitae nostrae, et referemus tibi gloriam, et laudem.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem.

Populus. Praesta nobis, etc.

Sacerdos. Et omnibus benedic benedictionibus tuis inamissibilibus; et nos dignos fac perficiendi voluntatem tuam, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui vivi, et sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et impuram omnem cogitationem a nobis depelle, per sacrificium hoc quod offerimus tibi Domine: per illud sanctifica corpora nostra, et illustra animas nostras, et referemus tibi laudem, et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Dignum et justum est, ut laudemus, et gratias agamus Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Elevans vocem. Et cum millibus millium, et myriadibus myriadum igneorum qui coram te consistunt, et te sine intermissione ce-

lebrant, dignum est ut te elevata voce laudemus, clàmantes, et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus Pater genitor, et non genitus, sanctus Filius genitus, et non genitor; sanctus Spiritus qui procedit a Patre, et a Filio accipit: unus Deus verus qui salvavit nos gratia, et misericordia sua.

Elevans vocem. Qui cum ad passionem salutarem paratus esset, panem etiam quem accepit † benedixit † sanctificavit † fregit, et corpus suum sanctum vocavit cum, in vitam aeternam illis qui illud acciperent.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem quem miscuerat vino, et aqua, benedixit, et sanguinem suum pretiosum perfecit, illis qui illud accipiunt in vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et cum discipulis sanctis illa tradidit, praecepit eis dicens: ita facietis in mei memoriam, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam quoque agit Ecclesia tua Domine, universae dispensationis tuae salutaris, secundique adventus tui terroro pleni, in quo retribuetur unicuique juxta id quod fecit, propter quod poenitens grex tuus deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Memento., *Et.* Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus. Invocatio Spiritus sancti.

Miserere mei, Domine, et mitte super has oblationes propositas Spiritum sanctum, qui omnia Ecclesiae sacramenta perficit adventu suo.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Et panem istum, perficiat corpus Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, transmutet in sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint omnibus suscipientibus in remissionem delictorum eorum, et per ea vitae aeternae haeredes efficiantur, et referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine sacrificium hoc pro Ecclesia tua sancta ubique diffusa, et pro populo tuo fideli et Clero sacerdotali.

Elevans vocem. Et concede Ecclesiae tuae sanctae tranquillitatem, et pacem, praesulibusque ejus caniciem bonam, et honorabilem: et statue in ea Pastores qui recte dispensent verbum veritatis, et referemus tibi, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium, miserere et adjuva omnes qui invocant te, et ad te confugiunt cum fide vera.

Elevans vocem. Auxilium etiam tuum omnibus praesta, qui egestate et angustiis conflictantur. Custodi Domine eos a quibus manus auxiliatorum praeclusae sunt, et referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium qui Ecclesiam tuam sanctam adjuvant, et populo tuo fideli benefaciunt.

Elevans vocem. Et aufer a nobis Domine inimicum spiritualem, ejusque tyrannidem, et ex manu principum immisericordium nos eripe, et referemus tibi, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sanctorum omnium matrisque unigeniti Filii tui: salva, et confirma nos per preces Sanctorum tuorum.

Elevans vocem. Et sub alis Sanctorum tuorum protege nos, et inter eorum ordines nos constitue: ut cum eis referamus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine verorum Ecclesia tuae Pastorum, qui nobis fidem rectam praedicaverunt, Patrumque electorum et Doctorum Orthodoxorum.

Elevans vocem. Conserva nos Domine in fide Orthodoxa, nec errantes, aut reos facito nos Domine.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium fidelium defunctorum, qui in spe tua decubuerunt, et quietem praesta per miserationes tuas, iis qui redempti sunt sanguine unigeniti Filii tui.

Elevans vocem. Et misericorditer eos aspiciens, Domine: parce delictis eorum, et defectus eorum dimitte, quia corpus et sanguis unigeniti Filii tui conditum in membris eorum est: per quem et nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae est propter eum, et illis, et nobis.

Populus. Remitte.

Sacerdos. Et nos, et illos dignos fac fine christiano, insipientiarum nostrarum, illorumque non recordatus, ut in hoc sicut in omnibus laudetur, et celebretur nomen tuum benedictum, et Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui vivi, et sancti, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint miserationes Dei Patris.

Sacerdos. Credimus.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos frangit et signat.

Oratio ante Pater noster.

Deus orationum susceptor, petitionumque acceptor rogamus et coram te pronunciamus orationem hanc dominicam quam docuit nos unigenitus Filius tuus, et corde contrito clamamus et dicimus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Libera nos Domine Deus a malo, et ab omni genere iniquitatis; peccata, et insipientias nostras dimitte nobis, et omnibus qui in nos quocumque modo deliquerunt: propitius esto nobis, et illis Domine, et referemus tibi gloriam, et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Emitte Domine dexteram tuam, et effunde miserationes tuas super populum tuum, et super oves gregis tui, qui expectat, ut accipiat corpus et sanguinem unigeniti Filii tui: sanctifica

per illud corpora, et animas nostras, et referemus tibi gloriam, laudem, et gratiarum actionem.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Benedictiones Dei sint.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Unusquisque.
Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Adoramus, et gratias agimus tuo erga homines amori Domine. Tu omnes igitur adjuva, et confirma, tu nos omnes in bono statu confirma, nobisque ignosce, et remitte, quia in hac spirituali mensa epulati sumus, et referemus tibi gloriam, laudem, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Iterum atque iterum.
Sacerdos. Christe qui es panis verus qui de coelo descendit, et fuit nobis in cibum incorruptibilem, custodi animas et corpora nostra a gehenna inextinguibili et verme immortali, et referemus tibi gloriam, et laudem, et Patri tuo beato, et Spiritui tuo sancto et vivo nunc.

Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus.
Diaconus. Benedicamus, etc.

IN LITURGIAM DIONYSII BARSALIBI

NOTAE.

1. Dionysii Barsalibi.

Celeberrimus fuit inter Syros Jacobitas Theologus: vocabatur quoque Jacobus, ut didicimus ex aliquot Codicibus manuscriptis ejus operum. Fuit Metropolita Amidae, veteris et famosae urbis, de qua Graeci et Latini veteres, *No. 260.* sitae ad Tigrim, quae posterioribus saeculis Caramit, sive Kara-Amid hoc est Nigra a Turcis dicta est. De ea Abulfeda, et alii Arabes Geographi, qui eam Metropolin esse dicunt Provinciae illius, quae Diarbekir appellatur, partemque veteris Mesopotamiae continet. De ea urbe multa erudite scripsit Jacobus Golius in notis ad Alfraganum. Magna Dionysius inter suos doctrinae *p. 233. 239. etc.* et pietatis fama commendatur, vixque ullus est inter posteriores Theologos, cujus testimonia frequentius occurrant. Erat sane illa dignus, non modo quod multa scripserit, verum etiam quod ejus scripta non mediocrem rerum sacrarum peritiam demonstrent, tum quod in lectione sanctorum Patrum versatissimum cum fuisse, et disciplinae Ecclesiasticae veteris peritum agnoscatur. Scripsit autem prolixum Commentarium in quatuor Evangelia, cujus duo exemplaria extant in Bibliotheca Colbertina. In alios quoque Novi Testamenti libros commentatum illud fuisse, probant testimonia hujus operis a Pocockio citata, in notis ad Epistolas Catholicas Syriaco a se editas, et ab aliis autoribus: sed illa opera non vidimus. Commentarium in Liturgiam Syriacam sancti Jacobi, quo frequenter usi sumus, quemque Ignatio Metropolitae Hierosolymitano direxit. Tractatum de suscipiendis poenitentibus, cum collectione Canonum Poenitentialium ab Episcopis Mesopotamenis constitutorum ex communi consilio, in quibus nova, praesertim circa Ecclesiasticorum poenitentiam disciplina praescribitur. Orationes varias etiam collegit aut composuit super poenitentes recitandas. Tractatum de variis Ecclesiae ritibus, iis praesertim, qui spectant ad Eucharistiae celebrationem. Citat ipse Tractatum adversus Armenos: alium vidimus adversus Nestorianos. Tractatum de Feria V. majori sive de institutione Eucharistiae, et alia quae ad manus nostras non pervenerunt. In omnibus libris frequenter propugnat Monophysitarum opinionem adversus Calchedonenses, ita enim ubique vocat Orthodoxos. Existimavit Faustus Naironus illum ex primis Jacobitarum doctoribus, qui paulo post Calchedonense Concilium scripserint fuisse: sed fallitur. Nam in Epistola, Commentario in Liturgiam praemissa ad Ignatium Hierosolymitanum Metropolitanum, scribit illum a se postulasse ut interpretationem Liturgiae mitteret, ex antiquis collectam, ut haberet quid Rumaeis, sive Francis responderet. Igitur Franci urbem sanctam adhuc obtinebant.

Expugnata autem illa est anno Christi MXCIX. Hegirae CCCCXCII. eam anno MCLXXXVII. recepit Salaheddinus: Dionysium intra hos nonaginta et aliquot annos vixisse verisimile est, potius quam brevi illo intervallo ab anno Christi MCCXXVIII. Hegirae DCXXVI. usque ad annum MCCXLIV. Hegirae DCXLII. quo restituta per inducias, aliquamdiu in Francorum potestate fuit.

2. *Panem quem accepit benedixit, etc.*

Idem hoc loco vitium est ac in una ex Liturgiis Petro adscriptis, et in una aut altera alia: idcirco quae ad illam priorem observata sunt, huic quoque Liturgiae conveniunt, et potiori quodam jure. Barsalibium quippe, cum in Commentario suo docuerit, sacerdotem verba Christi tanquam ex ejus persona pronunciare, eadem ex Liturgia sua sustulisse non est verisimile, praesertim contra tot aliarum formam, quae ignota illi esse non poterat, nam de aliis Liturgiis loquitur in operis sui fine. Ita verba Christi omissa fuisse videntur librariorum potius culpa, quam autoris certo consilio, qui eadem si parum necessaria existimasset, contradixisset ipse sibi, quod de insigni Theologo nemo facile suspicabitur. Brevitas hujus Liturgiae facit, ut eam a Barsalibio compositam judicemus, eo fine, ut cum Baptismus moribundo infanti administrandus esset, haberent sacerdotes formam quam sequerentur, ne dum ut ipsis praecipitur per varias Constitutiones, Officium in breviores orationes contrahunt, necessarias quasdam omitterent. Ita factum fuit a Gregorio illo Catholico qui Jacobi Liturgiam breviorem dedit, quae edita est a nobis superius. Id autem a Barsalibio praestari potuit, non modo quod Metropolita cum esset, tale jus habebat: verum quod praecipua ob rerum sacrarum peritiam, esset ejus inter suos autoritas, non minus id publico consilio facere poterat, quam Canones, et poenitentiae imponendae relaxandaeque formam praescribere, ut fecisse eum superius observavimus. Cum igitur in breviori simili Liturgiae forma, per compendium sacra verba designata fuissent, petenda aliunde, et Sacerdotibus notissima, omitti potuerunt a librario imperito, cujus peccatum reliquis fraudi fuit. Nam quod existimavit Ricardus Simon, causam illius omissionis in ista, et paucis aliis Liturgiis, esse quod Orientales totam consecrationis vim Invocationi Spiritus sancti tribuant, non Christi verbis, alibi plene confutavimus, nec ullum habet in Theologia Orientali praesidium.

p. 16. Edita est haec Liturgia in Missali Chaldaico, titulo *sancti Domini Dionysii*, quamvis Gabriel Sionita autorem Barsalibium agnovisset, in Epistola ad Bartoldum Nihusium, quod confirmant Codices MSS. Magna igitur nec excusanda est Maronitarum qui editioni praefuerunt negligentia aut inscitia, qui Liturgiam hominis Jacobitae, inter alias selegerunt, ut in Missali quo solo Orthodoxis uti liceret, locum teneret. Illa tamen ab ipsis tam in forma verborum Christi, quam Invocatione Spiritus sancti est interpolata.

LITURGIA

GREGORII I. CATHOLICI ORIENTIS,

QUI ABULFARAGIUS ET BAR-HEBRI DICTUS EST.

Oratio ante Pacem.

Domine Deus virtutum fortis, omnipotens et bellator, qui per caritatem tuam pace reples, qui per gratiam tuam confirmas in pace: qui cum essemus in nihilo, dedisti nobis ut essemus, et per Filium tuum dilectum, qui genitus ex te est ab aeterno, innovasti naturam nostram creatam, salute nobis praestita, iram etiam adversus nos compescuisti, seruistique in nobis et ad nos invicem, tranquillitatem, caritatem, et concordiam. Tu nunc Domine qui amas tranquillitatem, et qui pace delectaris, largire nobis ut simus Filii caritatis et tranquillitatis. Conjunge nos omnes illo benevolentiae vinculo, quale necessarium est ad conservandam compagem et concordiam membrorum corporis Ecclesiastici. Averte a nobis omnem dolum, divisionem, cordis duplicitatem, linguamque infraenatam et loquentem magnifica. Da etiam nobis ut amplectentes invicem, in spiritu humili, accipiamus monetam signo vitae impressam, quam docuit nos, qui vitam nobis praestitit Christus Jesus Dominus noster, et pari ratione imaginem, ad exemplar exactum lenitatis regis nostri delineatam, spiritu humili et anima pura, unio nostra exprimat, constricta vinculis caritatis et dilectionis indissolubilis, tam tecum, quam inter nos invicem, per eum ipsum largitorem tranquillitatis, qui et ipsa tranquillitas est, unigenitum Filium tuum, cum quo te decet gloria et honor simul cum Spiritu tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Unusquisque.

Diaconus. Post.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Quando quidem scilicet exspectamus clementiam tuam, o clemens, tanquam filii deprecabundi inclinamus colla animarum nostrarum. Mitte nobis ex excelsis sanctuariis tuis fluvios purificationum, qui manant e fonte bonitatis tuae: purifica et elue nos ab omnibus sordibus macularum nostrarum, in mari magno benignitatis tuae. Extende dexteram tuam ad cervices nostras inclinatas, pondereque peccatorum curvatas, et affulgere nobis faciat radios lucidos, et illuminantes lucis tuae, quae tenebras depellit, ut ea illustremur, et illuminemur: quia habet a te existentiam, et confirmationem humilitas nostra: a te juste Deus, qui simplex es nec compositus, digni efficiamur referre tibi gloriam et laudem una voce indesinenti, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos dicit orationem super oblata.

Misericors es Domine, cujus miserationes super omnia effusae sunt: qui per amorem tuum erga homines, misisti Verbum tuum, germen ex substantia tua, ut carne nostra induerctur: innotesceretque Deus verus in carne, et caro in Deo vero: ut nos amplius divinos efficeret, et repararet imaginem, quae ad sui ipsius imaginem creata fuerat, quam ipse quoque tecum creavit. Tu ergo clemens, per eam misericordiam tibi congenitam, et innatam tibi essentialiter, suscipe a nobis Domine oblationem hanc, quam offerimus majestati tuae. Non enim in justitia nostra confidimus, neque ullam fiduciam habemus de operibus nostris, ita ut audeamus accedere ad sancta tua, sed misericordiae tuae confidentes: ut intercedat ipsa pro nobis erga tuam bonitatem, ne ad condemnationem fiat nobis mysterium hoc, mystice institutum ad salutem nostram: sed ad perfectam purgationem et emundationem mentis et animae; ad corporis sanctificationem, ad condonationem peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratiarum actionem referendam tibi et unigenito Filio tuo, cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae, etc.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Tibi debetur adoratio, tibi aequum est gratias agere, te laudare oportet, te justum est hymnis celebrare, tibi debetur exaltatio, te decet gloria, quanta dari potest maxima, et ab omnibus vere, quia factor omnium es.

Elevans vocem. Tu Domine verbo tuo coelum fecisti, et coelos coelorum; coelestes creaturas verbo tuo creasti, et Spiritu oris tui virtutes igneorum, omnesque ordines incorporeos, et flammeos; naturas etiam rationales terrestrium, qui animati sunt ex spiritu tuo. Carnales iisdem manibus tuis sanctis formasti, et renovasti, cum de novo eos creasti. Eodem pariter ordine ipsoque quantum necessarium esse poterat convenientissimo, eos qui circumdant currum illum supernum, et qui circa thronum inferiorem sunt: eos qui animate collocati, et eos qui absque anima fixi sunt, substantias sensibiles, et turbas spiritualium mentium, quarum illae voce, illae cum silentio, gloriam indesinentem, laudes et hymnos absque fine, exaltationes, et sanctificationes quae animo comprehendi non possunt, cantica quae finem non habent, gratiarum actionem absque silentio, canunt divinitati tuae, triumphaliter et decore. Terreni etiam uno consensu cantica sua cum spiritualibus miscentes, ordines Clericorum simul cum coelestibus, glorificant: agmina Psaltarum cum Angelis jubilant: Anagnostae cum Archangelis canunt honorem: Ordines Diaconorum, qui Pontificatui ministrant; sacerdotes et sacerdotali officio fungentes, cum militiis coelestibus, simul conjunctim laudant. Archipresbyteri et Episcopi cum Thronis et Dominationibus juncti, gratiarum actionem absque ullo silentio continuant; Patriarchae, Archiepiscopi et Antistites Ecclesiae hujus inferioris, in similitudinem Cherubim et Seraphim, igne et luce coruscantium, qui sex alis igneis, contemplationis timendae et domesticae resplendent; qui duabus tegunt capita sua: duabus velant pedes suos: duabus mediis aequaliter alter ad alterum volantes, et decreta penetrantes, trinas sanctificationes tibi voce consona, canunt, clamant et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine potens, qui omnia sanctificas per sanctitatem. Sanctus Pater sanctus, qui es origo sanctitatis. Sanctus Filius sanctus, qui es effector sanctitatis. Sanctus Spiritus sanctus, qui es fons sanctitatis, sanctifica nos per sancta tua, o sanctificator Sanctorum; munda nos per puritatem, mundator eorum qui minus puri sunt, et praesta nobis ut cum puritate, mereamur initiari mysteriis illius, qui ex immenso pelago bonitatis suae communicavit nobis mysteria sua, et deduxit nos ad imaginem regiam, immolans nobis taurum saginatum: et potavit nos potu suo, potu vitae, quem paravit nobis super prata pinguia fortitudinis spiritualiter: ipse Filius Christus Deus verus.

Sacerdos elevans vocem. Qui cum voluntarie homo factus esset, atque humana omnia, excepto peccato, perfecisset, non tamen in gloria sua immutationem passus est, neque divinitas ejus periit, sed ditavit humanitatem nostram divinitate sua: et factus est homo perfectus, cum esset Deus perfectus, ita ut esset utrumque, non duo aut plura, sed utrumque, per susceptionem humanae naturae, Verbum scilicet caro factum existens. Qui cum totam dispensationem suam voluntarie adimplevisset, et ad passionem voluntariam, et vivificam, sed non meritam veniret, typum magnum et spem vitae tradidit nobis, panem [3] scilicet qui factus erat corpus suum sanctum, manibus sanctis ante oculos turbae discipulorum suorum piorum accepit, et oculis in coelum elevatis aspiciens, et te Deus Pater intuens, tibi gratias egit, [4] † benedixit, † sanctificavit, † fregit, et cum edisset, dedit discipulis suis sanctis, et dixit, accipite, edite ex eo. Hoc est corpus meum, ipsum quod pro vobis et pro multis in me credentibus frangitur et dividitur ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum, vitamque novam in aeternum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et vinum, quod perfectum erat sanguis ejus propitiatorius, post coenam illam mysticam, cum aqua temperate miscuisset, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † deditque turbae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus qui pro vobis et pro multis in me credentibus effunditur, et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et cum mysterium hoc tradidisset coetui discipulo-

rum suorum, admonuit eos, praecepitque eis, dicens: mysterium hoc perpetuo perficite: quia cum panem hunc manducabitis, et mistum quod in hoc calice est bibetis, memoriam mortis et resurrectionis meae facietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine, etc.

Sacerdos. Sed etiam totam tuam dispensationem, Verbum Deus, caro factum, commemoramus, non perfunctorie, non negligenter aut otiose, sed animo attente perpendentes et diligenter considerantes, miramur et stupore afficimur; maxime vero laetamur et exultamus, non ita tamen quin timeamus et contremiscamus, in unum quodque attentius inspicientes, et singula quae pro salute nostra facta sunt animo versantes. Annunciationem quae suscitavit spem salutis: gestationem in utero tuam propitiatoriam; nativitatem ex Virgine, depositionem in praesepio, involutionem inter pannos, gestationem super genua, nutritionem ex lacte, incrementum aetatis cum gratia, oblationem ad templum, baptismum praeclarum et plenum lumine, benevolentiam Patris declaratam, irradiationem spiritus, tentationem in deserto, triplicem victoriam, sanationes admirabiles, virtutes praeclaras et divinas, operationes Deo dignas, beneficia per gratiam praestita, mysterium illud mysteriis plenum, fraudem discipuli, pecuniam iniquitatis, osculum dolosum, impudentiam audacissimam, flagellationem vituperosam, ascensionem ad crucem voluntariam, acetum et myrrham: transmutationem naturarum, tremorem elementorum, vocem petrarum, scissionem templi, fluxum sanguinis et aquae, descensionem de cruce. depositionem in monumento novo, annunciationem Resurrectionis factam, Resurrectionem a mortuis tertia die, Ascensionem in coelum, consolationem secundam, sessionem ad dexteram Patris, potestatem datam tibi qui consubstantialis es Patri, adventus secundi tonitru validum, gloriam crucis magnam, tribunalium ordinationem, judicium aequum et rectum, retributionem praeparatam, fiduciam ablatam, linguam obmutescentem, vultum dejectum, caput inclinatum, operum publicam manifestationem, pudorem ex verbis, separationem agnorum ab haedis, severam accusationem, gehennam incessabilem, ignem ardentem et non splendentem, tenebras exteriores, manuum colligationes, vermem qui non moritur, stridorem dentium, poenitudinem quae dolores auget: voluptates summas, convivia illa coelestia, coetus Angelorum, vitam spiritualem, habitacula beata, tabernacula lucida, generationes sacerdotales, contemplationes apertas, eo die quo

in librum aperies, operaque singulorum nostra, et verba examinaturus: propitius esto nobis, clemens Domine, neque in judicium strictius intres nobiscum; aufer Domine peccata nostra, per mare misericordiae tuae, et multiplica erga nos clementiam tuam. Ablue Domine defectus nostros per abundantem gratiam tuam, contrahe Domine justitiam tuam, et affulgere fac super nos clementiam tuam: ne amare defleamus cum errantibus qui non noverunt nomen tuum, neque funestam mortem obeamus, cum illis qui contempserunt passiones tuas. Ne dissecentur membra nostra propter odiosam operum nostrorum nequitiam: ne incidamus in ignem urentem et tenebrosissimum: ne dominetur in nos vermis, et corrodat abominationes nostras: ne prae tormentorum magnitudine ejulemus, ne clamemus prae dolore: ne ejiciamur cum iis qui ejiciuntur: ne constringamur vinculis durissimis, sed statue nos ad lumen vultus tui: confitere nos qui confessi sumus te. Adjunge nos agminibus tuis: numera nos inter ordines tuos, praepara nobis habitacula tua: illumina nos lumine vultus tui. Quia confessi sumus te, confitere nos: et quia non abnegavimus te, parce nobis. Ea propter Ecclesia tua redempta sanguine tuo, deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Populus. Orate.

Sacerdos dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Miserere nobis Deus Pater omnipotens, et mitte super nos et super oblationes istas propositas, Spiritum tuum sanctum, qui tibi aequalis est gloria et potestate, aequalisque secundum substantiam, naturam, et dignitatem: qui in Prophetis sanctis locutus est, et Apostolos divinos doctrina instruxit, ipse veniat et illabatur super has oblationes: et custodi in nobis plenitudinem praedicationis Evangelicae.

Populus. Orate, etc.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ut illabatur et efficiat panem istum, ipsum inquam hunc, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et hoc ipsum illud mistum quod est in hoc calice, ipsum sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem efficiat puros, ita ut mereamur accedere ad montem sanctum, neque lapidibus obruamur ut bruta animalia, propter opera nostra passionibus obnoxia. Sed ad montem ascendamus, in medio nubis simus, participatione mysteriorum sanctorum perfruamur, et familiaritate beata gaudeamus, atque in habitatione Angelicorum Ordinum reperiamur, ut cum electorum tuorum congregatione locum habeamus, sanctitatemque et puritatem tam animae quam corporis consequamur: ut etiam confirmationem Ecclesiae sanctae. quae sanguine propitiatorio salvata est, et super petram fidei constabilita, ut ab omnibus, et per omnia, gloriam, honorem, et exaltationem referamus tibi Patri, Filio, et Spiritui sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe Domine sacrificium hoc nostrum, quod [5] mente et animo tibi offertur, pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesiis tuis sanctis quae in toto orbe sunt, et pro ordine primario Pastorum, Sacerdotum, et Rectorum ejus: pro venia et quiete filiorum ejus, pro conservatione filiorum ejus, per gratiam tuam, visita nos omnes, in omnibus.

Sacerdos elevans vocem. Quia ex te procedit et oritur omne bonum, et omne donum perfectum, omnis contemplatio suavis, omnes visitationes perfectae, omnis abundans benedictio, omne gaudium, et omnis exultatio, omnis virtus et fortitudo, omne robur ad praeliandum, omnis insipientiarum abstersio, omnis condonatio praevaricationum: propter quae, et pro omnibus gloriam amplissimam referimus tibi, Deus Pater, et Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Exaudi, Domine, per intercessionem meam, omnes qui invocant te: omnes qui variis tentationum generibus graviter affliguntur: illos qui omni genere spinarum et sentium hujus mundi iniquitatis involuti laborant, libera, et salutem ipsis concede. Adjuva etiam eos qui curam gerunt Ecclesiae tuae sanctae. Memento patrum et fratrum nostrorum, et eorum qui ad te migraverunt, et eorum qui spirant sub cura et protectione tua: ut etiam eo-

rum qui orationem nostram petierunt: unicuique concede Domine quidquid ad auxilium pertinet, et ad deducendum in habitacula tua.

Sacerdos elevans vocem. Per eamdem misericordiam tuam essentialem, largire nobis quae a te petimus tam parva quam magna. Audi nos, quamvis te imbecille invocamus: aperi nobis quantum libet indignis: adjuva nos quanquam insipienter egimus: confirma nos, quandoquidem perseveranter pulsamus: miserere nobis licet indigni simus: conforta nos robore, quamvis audaciores simus. Parce peccatoribus, dimitte insipienter agentibus: adduc in unum divisos, reduc ad concordiam dissidentes: errantes revoca, erige eos qui ceciderunt: orphanos necessariis rebus instruc: praesta egenis abundantiam, et captivos in libertatem restitue. Extende Domine manum tuam in excelsum: consolare advenas: animum inspira illis qui te confessi sunt recte, et etiam confitentur. Suscipe quoque oblationes illorum, et omnium eorum qui tibi noti sunt, licet sint nobis ignoti; quia tu misericors es, et amans misericordiam: tibique gloriam et laudem referimus, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Concede Domine populo tuo et haereditati tuae tempora abundantia pace; et da illis tranquillitatem. Conserva hunc mundum, et habitantes in eo, a malo et potestate ejus, et omnia genera adversitatum depelle a creatura tua. Benedic coronae anni, et omnem circularem ejusdem anni decursum benedic. Praesta memoriam bonam Regibus et Reginis Deum timentibus, da illis victoriam [6] adversus eos qui bello illos aggrediuntur.

Sacerdos elevans vocem. Quia tu Domine curam habes, et omnium semper tibi providentia est: Deusque noster verus es, et Rex noster potens et bellator. Idcirco per te quaerimus salutem, et apud te clamamus et gemimus. Salva nos Rex noster, Rex Regum, ut nunquam subjiciamur regno tyrannico Pharaonis illius spiritualis, neque dominorum acerborum luti et lateris, qui nos quacumque hora servituti subjiciant. Reduc nobis Domine regnum tuum, et adjuva nos per gratiam tuam; confirma etiam Reges nostros qui veritatem firmiter tenent. Libera nos a tempestate et damnis, ab omnibus tentationibus difficilibus, a manibus violentis et pedibus alienis, ab omnibus rebellionibus perniciosis bellisque vastitatem inducentibus, et ab omnibus plagis et percussionibus furore mistis. Da nobis Domine per gratiam tuam, tempora tranquilla, pluvias opportunas et

laetas: segetes benedictionibus aequales: satietatem fami nostrae, et alimentum necessarium indigentiae nostrae, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, et Filio, et Spiritui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Recordare Domine omnium Sanctorum tuorum in sanctuario tuo sancto; quia tu sanctus es, et Sanctorum sanctificator. Praecipue vero semper Virginis Beatae genitricis Dei Mariae: Joannis etiam praeconis tui, Stephani Martyris, et omnium Sanctorum amicorum tuorum.

Elevans vocem. Per orationes electorum tuorum, per precationes dilectorum tuorum, per deprecationem Athletarum tuorum, per gemitus Sanctorum Domine, per confidentiam Sanctorum tuorum, memento totius exercitus amicorum tuorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Solitariorum, Religiosorum, Ascetarum, eorum qui in desertis, agris, et speluncis vixerunt, et adjunge nos Domine, ordinibus eorum: accense nos inter coetus eorum, statue nos inter exercitus eorum, ut cum illis inter eos, et ad eorum exemplum, referamus tibi gloriam, et gratiarum actionem, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Dignos effice convivio tuo beato Doctores probatos, confirmatores fidei, illuminatores rerum abstrusarum, omnes Sanctos tuos; inter alios vero praecipue, Ignatium, Dionysium, Athanasium, Cyrillum, Severum, et reliquos Patres Orthodoxos, qui expedite, et cum summa caritate pugnaverunt pro Verbo veritatis, neque ullatenus virtutem animi in se imminutam experti sunt.

Elevans vocem. Quia tu retributor justus es, et mercedem tribuens, illis etiam qui una hora laboraverunt in vinea tua. Memento igitur, Domine, operariorum tuorum spiritualium: luminum quae illustraverunt Ecclesiam tuam sanctam: salis puri et purificantis Evangelii tui divini: columbarum perfectarum, quae retia mendacii vicerunt: agnorum purorum, qui coeperunt lupos hostiliter irruentes: eorum qui veritatem portaverunt, qui praedicaverunt Evangelium tuum, qui persecutionem passi sunt, propter nomen tuum, qui sustinuerunt aestum diei et frigus: eorum qui a mane usque ad vesperum laboraverunt et extirpaverunt zizania ex agro tuo: qui plantaverunt in paradiso arbores ferentes fructus justitiae: qui potaverunt flumine Theologiae sitientes gregis tui: qui ejecerunt ex Ecclesia tua omnes haereses

impietate permistas, et pericula sustinuerunt propter veritatem tuam. Illorum memento, Domine, et effice ut ipsis similes evadamus, ut in mensa quam nobis paraverunt, hora quacumque epulemur, et cum illis potu vitae quem praeparaverunt nobis, satiemur, ut agminibus eorum sociati, et inter coetus eorum floreamus, hymnosque gloriae canamus tibi, Domine, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Per oblationem hanc plenam vitae, et per sacrificium hoc sanctum, praesta Domine memoriam bonam omnibus defunctis fidelibus, filiis Ecclesiae sanctae Orthodoxae, ad altare tuum spirituale, et coelis excelsius, concedens illis veniam delictorum et remissionem peccatorum; praecipue vero *N. N. N.*

Sacerdos elevans vocem. Quia tu remunerator aequus es, vivorum et mortuorum, atque in manibus tuis positi sunt spiritus omnis carnis. Te rogamus Domine pro omnibus, qui jussu tuo ex vita hac temporali soluti sunt, qui in fide orthodoxa migraverunt, ut memineris eorum per misericordiam tuam, et exaudias etiam preces nostras pro illis, neque negligas deprecationem nostram illorum causa, quia ad imaginem regiam tuam creati sunt, sed parce illis per gratiam tuam, ignosce illis secundum clementiam tuam: induc illos in tabernaculum tuum, dirige eos ad te, adjunge illos ordinibus militiae coelestis, ubi hymnis celebratur, et glorificatur unigenitus Filius tuus, et hymno in circulum redeunte honoratur et extollitur. Secundum promissiones ejus ad nos factas, speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Tu qui abscondita cognoscis. et latentia investigas: qui dimittis ea quae insipienter commissa sunt, et condonas praevaricationes: Domine per clementiam et misericordiam tuam, aufer a nobis jugum peccatorum nostrorum, et amove per gratiam tuam sarcinas et onera insipientiarum nostrarum, voluntariarum aut involuntariarum, notarum et ignotarum, manifestarum et secretarum, praesentis et antiqui temporis, et conserva nos a peccatis in futurum, dignos efficiens nos Domine fine christiano, et ab omni criminum reatu libero; atque in habitaculis aeternis lucis supremae nos collocans, et cum agnis ad dexteram tuam statuendis nos ordinans, cum ordinibus Sanctorum tuorum nos adjungens, et in habitaculis piorum tuorum, ubi et quando tibi placebit nos constituens: ut in hoc sicut

et in omnibus glorificetur, et laudetur nomen tuum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Doctrinam vivificam, et Evangelium laetitiae, quod docuit nos unigenitus Filius tuus, ipse splendor verus ex te lumine vero; ipse virtus et sapientia tua, mens aeterna et infinita, brachium et fortitudo tua, robur et potentia tua, mare immensum neque commensurabile tuum, abyssus imperscrutabilis, opifex omnium, a quo universorum causa est: principium omnium sed absque principio: quia ipse principium, et causa omnium es, super tabulas cordis nostri suscipimus, menteque et cōgitatione ad te confugimus, et adorationem mentis, tibi Pater vere Filii veri offerimus: et cum fiducia quam dedit nobis Filius qui datus est nobis, audemus invocare te Deum Patrem coelestem, orantes, clamantes, et dicentes: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. Adveniat Domine regnum tuum, et liberet nos a maligno, quia haec est voluntas tua: immunes nos praestet a tentationibus violentis, detque nobis ut vivamus secundum voluntatem tuam, dimittasque nobis per clementiam tuam peccata, et malefacta nostra, et concedas nobis ut nos etiam dimittamus debitoribus nostris, eripiamurque ab insidiis inimici, quia tu es Rex Regum, et Dominus Dominantium, et tibi flectitur omne genu, coelestium et terrestrium, teque decet omnis gloria, honor, et imperium, cum Filio, et Spiritu sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Inclinamus colla nostra tam animarum quam corporum, expectamusque misericordiam paternam; ut ex fonte regnoque

perenni effundatur super nos gratia quae a te est, nos et illos dignos efficiens mysteriis tuis vivificantibus, venia delictorum, remissione peccatorum, fiducia coram te, et consistentia ad dexteram tuam, ut laetitia perfusi, vultu splendido, lingua detersa, animabusque laetantibus, labiisque non errantibus, gloriam et laudem referamus tibi, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos. Unus Pater sanctus etc.

Diaconus. In oblationibus, etc.

Sacerdos. Gloria tibi, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Gratias agimus bonitati tuae, Deus noster clemens, et benigne, secundum capacitatem tenuitatis nostrae, pro munere convivii hujus spiritualis, quo nos laute et abundanter excepisti, atque etiam inebriasti, et revelasti nobis mysterium illud mannae, quod designabat panem illum qui confortat cor hominis interioris: ut etiam typum dedisti nobis in sanguine agni qui exterminatorem prohibebat, misti hujus ex poculo laetitiae et exultationis, cum abundantia, et exquisita illa convivii magnificentia regia. Et nunc cum convivio illo refecti sumus, et in pratis illis amoenis delectati, propheticum in morem clamamus et dicimus: Quid retribuemus Domino Deo pro omnibus quibus nos muneratus est? Gratias agimus tibi Domine, et eas amplissimas: munera quidem quibus tua digne compensemus, nobis desunt. Suscipe igitur, Domine, gratiarum actionem, quam ex anima et corpore nostro offerimus, tanquam duo minuta viduae, omnibus facultatibus destitutae, propter [7] munus illud duplex, quod duplicibus dedisti, quamvis tamen unum sit et unius typum exhibeat. Concede nobis veniam delictorum, remissionem peccatorum, et fiduciam coram unigenito Filio tuo, cum quo te decet omnis gloria, honor, et adoratio, et cum Spiritu tuo, vivo et sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Nunc Domine quandoquidem per gratiam tuam incomprehensibilem, praestitisti nobis ut communicaremus huic mysterio divino, et divinos faciente, utque nobis uniretur corpus hoc, quod est corpus tuum sanctum, et sanguis hic, qui est sanguis tuus propitiatorius, ne condemnes nos in die revelationis tuae, sponse coelestis Christe; neque facias nos alienos a plena perfectaque voluptate convivii tui spiritualis: neque ab illo bono spirituali: tu qui arrhabonem vitae dedisti nobis, corpus sanguinemque tuum sanctum. Verum per gratiam tuam, parce nobis Domine, neque repellas nos ab accubitu tuo, quamvis induti vestibus sordidis ausi sumus accedere ad sancta tua. Tu enim ipse es Domine qui pro peccatoribus incarnatus es, et cum publicanis conversatus, veniam illis concessisti. Nos quoque Domine illi sumus, qui te confessi fuimus, neque nomen tuum abnegavimus: sed quia operibus nostris deturpati sumus, parce nobis o bone, ignosce nobis o misericors: ne in gehennam tradas nos, cum corpus tuum et sanguis tuus, in membris nostris, in corporibus, et animabus nostris abscondita sint: sed depellatur ignis odore alimoniae illius deificae: obtundatur acies gladii versatilis, a figura imaginis tuae sanctae, quia tibi gloriam referimus, o pictor peritissime, et Patri tuo opifici admirabili, et Spiritui sancto plasmatori perfecto, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Deus benedic omnibus nobis.

IN LITURGIAM GREGORII ABULFARAGII

NOTAE.

1. Auton hujus Liturgiae, is ipse qui ex Historia Dynastiarum Arabice et Latine ab Eduardo Pocockio Oxonii 1666. edita, notissimus est. Sed

quamvis de eo doctissimus interpres satis copiose praefatus fuerit, plura tamen de eo habemus et certiora. Natus est Gregorius Melitinae, quam Arabes Malatiam vocant, anno Seleucidarum seu Alexandri MDXXXVII. qui respondet an J. C. MCCXXV. parentibus Christianis: Michaelis Patriarchae Antiocheni, ex fratre nepos ut notatur in Cod. Colbertino. Medici ut multi tradunt filius fuit; qua in arte non minus apud suos quam ex Philosophiae summa peritia inclaruit, editis de ea multis voluminibus. *Bar-Hebri*, sive *Hebri filius* aut *Bar-Hebraeus*, ut eum saepe vocavit Abraham Echellensis, appellatus etiam est, cujus cognominis rationem ne conjectando quidem assequi se posse affirmat Pocockius. Cur ita cognominatus fuerit aeque cum eo nescimus, sed ita cognominatum fuisse certum est, cum in Codd. plusquam triginta ejus operum Regiis, Mediceis, Colbertinis, ita scriptum reperiatur. Alios ejus titulos, qui non nisi laudes continent, quarum avari non sunt Orientales, praeterimus, cum nihil ad rem pertineant, unum excipimus מפריינא דמרנהא *Mofrian Orientis*, quem Pocockius vertit *Doctor Orientis*. At titulus erat dignitatis Ecclesiasticae inter Jacobitas Syros post Patriarchalem praecipuae, et Metropolitica superioris: alias Catholicos eos appellabant. Successerant porro illi Antistites Catholicis Seleuciae et Ctesiphontis, qui aliter dicti sunt Catholici Persidis et Armeniae, quae suum deinde habuit Catholicum, cum scilicet qui honoris gratia Patriarcha appellatur. At cum Nestoriani sedem Seleuciae et Ctesiphontis sub ultimis Persarum regibus occupassent et in ea caput sectae suae, supremumque Antistitem constituissent, et amplissima ante alios Christianos primi obtinuissent privilegia a Muhamedanis Principibus, abstinuerunt aliquando Syri a nomine Catholici, ita forte satagentibus Nestorianis, ne nomen honoris communicaretur Jacobitarum Antistitibus, vel ex sectae odio. Itaque *Mofrian* vocatus est, neque Antiochiae, ubi Patriarcha integram autoritatem habebat, sed Takritae in Armeniae finibus, vulgo sedem habuit. Eam igitur dignitatem sustinuit in Ecclesia Jacobitica Gregorius, magna cum laude, editis operibus variis circa fidem et disciplinam Ecclesiasticam, quam magnopere illustravit. Obiit autem anno Graecorum MDXCVII. J. C. MCCLXXXV. Maragae, quae est urbs in Aderbijana celebris, est autem Aderbijana in veteri Media: relatumque cadaver ad Monasterium S. Mathaei, ibi sepultum est. Haec habuimus ex Codice optimo Mediceo, qui ab aetate autoris non multum distare nobis visus est. Quod dubitavit Pocockius an idem Gregorius, quia *Abulfergius* sive ut ipse scribit, *Abulfaragius*, etiam vocabatur, idem fuerit qui *Ebnel-Taib* dictus est, absque alio argumento fecit praeterquam nominis similitudine; is enim et antiquior fuit, et in Nestoriana secta non minus celebris, quam noster in sua Jacobitica. Extant adhuc opera istius nonnulla Arabice de Religione Christiana, et ad sectae suae dogmata vindicanda. Tum Commentarius in Evangelia, quem tanti fecerunt Jacobitae, ut, licet perpetui Nestorianorum hostes, illum Arabice transtulerint, nonnullis resectis, ut testatur Abulbircat. Extat in Bibliotheca Seguieriana. Recensuisse etiam dicitur versionem Arabicam sacrorum Bibliorum ex Syriaca factam: imo ex Praefatione ad ver-

sionem eadem lingua in Polyglottis Parisiensibus editam, quae reperitur in Cod. MS. Colbertino, ea ipsum Abulfergium autorem habere dicitur. Alius etiam omnino fuit is, quem *Ebn-Elkof* vocant.

Quod ex Ebn Chalican refert Pocockius, de ejus fama doctrinae, etiam apud Muhamedanos, constat ex variis autorum testimoniis: de ejus ad Muhamedanam perfidiam apostasia censemus mendacium esse nugacissimum, quod unico argumento satis refellitur. Sepultus est enim in Monasterio: quam sepulturam, ut Christiani apostatae non concessissent, ita infidelibus maximam habuisset turpitudinis notam. Sed etiam si ita scripsisset Ebn Chalican, exigua circa res Christianorum fides ejus erit apud omnes, qui crassae et plusquam anilis in sua secta superstitionis vestigia in ejus historia passim observarunt. Nihil ex titulo *Patris Sancti, et Antistitis Christianorum*, colligi posset, si calumniae istius color aliquis foret: neque enim illis verbis fides aut mores hominis commendabantur, sed dignitas quam in Ecclesia sua obtinebat significabatur.

Multa porro Abulfaragius scripsit; praeter Grammaticam linguae Syriacae, et Historiam quae sola Pocockius viderat. Ea autem ejus opera vidimus.

Grammatica Syriaca amplissima, cui adjuncta est Ars metrica, Syriace ab autore scripta, et Arabice ab ipso, ut existimari potest, autore conversa extat: in Bibl. Colbertina et in Medicea.

Grammaticae compendium satis prolixum, secundum Dialectum Edessenam, quae Nisibena purior fuisse dicitur: Syriace in Medicea.

Compendium Philosophiae Aristotelicae secundum librorum Aristotelis ordinem cum eorum Epitome Syriace, ibidem.

Compendium Logicae Syriace, in eadem Medicea.

Philosophia integra Syriace 2 vol., in eadem.

Compendium Astronomiae et Cosmographiae Syriace in Regia.

Sermones Ethici et Philosophici Syriace in Medicea.

Quae ad Christianam Religionem spectant sunt. *Demonstrationes intellectuales*, seu expositio et demonstratio Religionis Christianae. Extat Arabice charactere Syriaco in Bibl. Regia.

Thesaurus Mysteriorum, in quo multi sacrae Scripturae loci explicantur, non modo secundum literam ex LXX. Interpretum, Aquilae, Symmachi et aliorum versionibus, sed etiam secundum doctrinam SS. Patrum Graecorum et Syrorum, quos inter adducuntur Moses Barcepha, Joannes Darensis, et Dionysius Barsalibi. Extat in Bib. Medicea Arabice charactere Syriaco.

Collectio Canonum et Constitutionum Civilis Juris per locos communes, opus eximium. Extat Syriace elegantissime scripta in Bib. Colbertina, ut ibidem totius operis versio Arabica. Reperitur etiam in Medicea.

Historia Dynastiarum extat in variis Bibliothecis, et jam est in omnium manibus per editionem. Eam autor Syriace etiam scripserat, ut nota Codicis Medicei docet. Ejus operis Epitomen habet alter Codex illius Bibliothecae. Sunt alia quae ad notitiam nostram non pervenerunt.

Quod porro Liturgiam scripserit, potuit id secundum Jacobitarum morem, in prima post Antiochenum Patriarcham Ecclesiastica dignitate constitutus: cum ex multorum exemplo constet Metropolitas, imo et Episcopos sacras preces, et eas quae ad sacrificium Eucharisticum spectant pleno jure ordinasse. Unde inter tam multas Syriacas Liturgias ne una quidem occurrit, ab aliis quam Patriarchis aut Episcopis scripta, quae observatio maximi ad illarum origines agnoscendas, momenti est.

Istam porro genuinam esse et a Syris Jacobitis receptam probat MSS. Codd. consensus in quorum plerisque sat vetustis reperitur. Habet illa ut nonnullae similes a recentioribus autoribus scriptae, floridum illum orationis colorem, a quo veteres absunt longissime, cum simplicissimus ubique stilus appareat. Sed cum Gregorius Syriacae linguae suae peritissimus foret, illius divitias in opere sacro impendere dum satagit, obscurus saepe est, unde quaedam pressius exprimere, quod quantum in nobis fuit conati sumus, difficile erat: sententiam reddidimus, quae cum ejusdem generis Officiis accurate convenire deprehendetur. Stilus porro ille qui plerisque Orientalibus Liturgiis communis est: in ista praecipue agnoscitur: sed ita tamen ut inter magnam verborum abundantiam et varietatem verae Theologiae simplicitas agnoscatur. Omnia enim orationis lumina quibus Orientales potissimum delectantur, ex scriptura sacra desumta sunt, aut ad locos ejus aliquot referuntur: et in illis exprimendis divitias omnes Syriacae linguae, quae uberrima est, profundunt: quod majores nostros in Latina Ecclesia aliquando fecisse videmus, tum in variis Praefationibus quae extant in Missalibus Gothico, Gallicano et Romano veteri, tum in quibusdam singularibus sacramentorum Officiis, et in Benedictione Paschalis cerei. Erat quoque apud Orientales quaedam ex orationis elegantia utilitas: illo enim eloquentiae colore mirifice capiuntur Arabes, qui totam Asiam armis obtinuerunt: et esse inter Christianos qui ad illum elegantiae gradum pervenirent, satagebant Episcopi cum aditus ad aulica ministeria saepe ita aperiretur suis hominibus, qui postea autoritate sua, Ecclesiis opem afferebant: saepe tamen maximarum turbarum causam dederunt ut passim in Historia Alexandrina observare licet.

2. In Oratione quam Sacerdos pronunciat ante hymnum triumphalem, longa et obscura est Ordinum coelestium cum Ecclesiasticis comparatio, in qua plus rhetorices Orientalis est, quam Theologiae. Eam quae de Angelis est, Orientales hauserunt ex libris de coelesti Hierarchia quos Dionysii Areopagitae esse non dubitant. Quidquid praeterea in scripturis extat de visione Isaiae, et Ezechielis, eo loco congerere solent ut beatorum Spirituum diversa nomina, sublimesque operationes exprimant, ut ad hymnum, *sanctus* perveniatur. Omnia igitur haec et similia quae passim occurrunt figurate dicta, nec aliter sunt intelligenda.

3. *Panem qui factus erat corpus suum.*

Aliqua hic obscuritas est in oratione Syriaca: cum enim Syri, et plerique Orientales modum temporis plusquamperfecti non habeant, verti po-

test, *qui factus erat,* aut qui *factus est corpus suum:* unde significatio duplex nascitur: prima quod cum Christus discipulis dixit *Hoc est corpus meum, etc.* panis jam erat factus corpus Christi: altera, quod factus sit postea corpus Christi. Neutra sententia quidquam habere videtur vitii: neque enim certum est verbis illis, Christum consecrasse panis et vini elementa: cum multis Theologis placeat, autorem institutoremque Sacramentorum, sola omnipotentia consecrationem perfecisse: cum vero illa verba pronuntiavit, certum est transmutata tunc fuisse in corpus Christi et sanguinem. De momento consecrationis, aut illius forma nihil cogitasse Gregorium eo certius est, quod de tali quaestione nulla unquam inter Orientales controversia fuit.

4. *Cum edisset.*

Ita quaedam Syriacae Liturgiae, ut Copticae et Nestorianae: ex traditione antiquitus recepta, sed quae ab Evangelistis et Apostolo Paulo consignata non est.

5. *Pro sancta Sion omnium Ecclesiarum matre.*

Sumtum id ex Jacobi Liturgia, antiquissima et praecipua apud Syros: cum autem haec commemoratio ad Ecclesiam Hierosolymitanam a Jacobo fundatam proprie pertineat, transtulerunt eam ad se Jacobitae Antiocheni, sub quorum Hierarchia fuit Gregorius, ut honestiorem inde cognominationis suae a Jacobo originem arcesserent. Videnda quae ad eum locum notavimus.

6. *Regibus et Reginis Deum timentibus.*

Id ex vetere disciplina cum vivente Gregorio Provinciae, quibus praerat tanquam Catholicus sive *Mofrian,* in Muhamedanorum potestate dudum forent. Erant quidem Armeni aliqui Reguli, Livon seu Leo, Haiton et alii: verum de illis non cogitasse videntur Syri Jacobitae, quibus, etsi eamdem Monophysitarum sectam profiterentur cum Armenis, ob Azymorum, et meri absque aqua usum in Liturgia, non plane conveniebat. De illa formula diximus in notis ad alias Liturgias.

7. *Propter munus illud duplex, quod duplicibus dedisti, quamvis unum sit et unius typum exhibeat.*

Haec oratio quamdam obscuritatem habere videtur, cujus talis est sententia. Munus duplex est, corpus Christi et ejus sanguis: quod hominibus datur qui constant ex corpore et anima rationali. Illa comparatio, sicut

anima cum carne unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, frequentissime usurpatur a Jacobitis, et cum in symbolo quod Athanasii dicitur, occurrat, eaque Augustinus usus fuerit, potuerunt illam absque reprehensione usurpare. *Quomodo est enim unus homo, anima et corpus, sic unus Christus Verbum et homo.* Ita ille Tractatu 47. et 79. in Joannem, Enchiridii c. 36. Serm. 130. et 261. Ep. ad Volusianum 137. et alibi. Eam tamen in Monophysitis non probaverunt Anastasius, Facundus et alii: sed haec alibi fusius. *Unum est mysterium,* quia licet in diversis speciebus, unum sacramentum est. Unius vero typum exhibet, quia unionem significat humanitatis et divinitatis, unius Christi: nempe ut dicunt alibi, corpus quod in disco sacro est, corpus est sanguinis calice contenti: et sanguis in calice, sanguis est illius corporis, ut loquitur Barsalibi. Videnda quae notata sunt ad Liturgiam Jacobi Serugensis.

Anast. p. 300.

LITURGIA

S. JOANNIS I. PATRIARCHAE

QUI SCRIBA ET ACOEMETUS DICTUS EST.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater, Dominus omnium, tranquillitas, pax, et caritas coelestium et terrestrium, praesta nobis peccatoribus servis tuis, ut in tranquillitate tua divina laetemur, et in pace tua perfecte delectemur, et in caritate tua veraciter gloriemur, illustrenturque animae nostrae veritate tua, purificentur mentes nostrae dilectione tua, et sanctificentur spiritus nostri per mysteria vivifica, et eorum beneficio digni efficiamur, ut conscientia pura, et corde mundo a sordibus, amplectamur invicem in osculo sancto et divino, inflammati caritate, et casta mutuaque dilectione: per amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Petimus a te Domine bone, misericors et largitor bonorum, demitte dexteram tuam plenam miserationibus, super congregationem adorantium te, qui inclinantur coram te; benedic nos benedictionibus amplissimis quae a te sunt, nec aspicias odiosa facta quae perpetravimus; ne judices nos per judicum tuum justum, neque secundum nequitias nostras retribuas nobis: sed per misericordiam benignitatis tuae, libera nos a malo: et custodi nos sub alis gratiae tuae. Aperi Domine januam miserationum tuarum petitionibus nostris, suscipe deprecationes et lacrymas nostras, imple nos muneribus gratiae tuae, et fac nos filios haereditatis tuae. Dimitte peccata nostra, sanctifica animas et corpora nostra, et praesta ut glorificemus te sancte, omnibus diebus vitae nostrae, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctissimum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Thesaurus auxiliorum et fons bonorum, Deus Pater, qui per gratiam tuam et amorem erga nos homines tuum, misisti Filium tuum dilectum in mundum, qui factus est homo sicut nos, liberavitque despectum genus nostrum a peccato, et ad patriam nostram pristinam reduxit nos: Tu sancte et beate, suscipe sacrificium hoc, coram nobis positum: parce et dimitte nobis peccata nostra, propitius esto, et miserere nobis omnibus, et sanctifica nos per clementiam tuam. Miserere nobis, per amorem erga homines tuum, et libera nos a cogitationibus diabolicis, nec avertas faciem tuam a nobis: sed miserere nostri Domine, et dele iniquitates nostras, et ignosce insipientiis nostris per multitudinem benignitatis tuae, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus.

Populus. Misericordiae, etc.

Sacerdos. Caritas Patris.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Pòpulus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, ut gratias agamus tibi, te glorificemus, te adoremus, et laudemus Deus, Pater coelestium et terrestrium Domine, Filium tuum unigenitum et Spiritum tuum sanctum.

Elevans vocem. Tuae sunt Domine, omnes creaturae quae in coelis, et quae in terra sunt, et te indesinenter glorificant. Te laudat sol: te luna veneratur. te magnum praedicat stellarum agmen, te celebrant maria, et omnia quae in eis sunt. Terra vero quae est scabellum sub pedibus tuis, adorat te, et glorificat divinitatem tuam in Ecclesia illa quae hymnos puros ad te canit ore filiorum suorum: per vaticinia Prophetarum, per agmina Apostolorum, per caedem et lapidationem martyrum, per sanguinem suspirantem Confessorum, per doctrinam Doctorum, per praeclaros mores Religiosorum, per sudores et labores, eorum qui voluntariae se paupertati addixerunt: per familias piorum: per coetus justorum: per festa Virginum, per sedulitatem Nazaraeorum, per exercitationem Monachorum: per privationem et secessionem solitariorum: per peregrinorum persecutiones: per necessitatem pauperum: per lacrymas poenitentium, per eleemosynas misericordium: per suspiria eorum qui persecutionem patiuntur: per quodcumque tandem genus verorum fidelium. Coelum etiam in [2] tribus Ecclesiis ibidem ordinatis, in illis enim celebraris, glorificaris et laudaris, per indesinentem laudum celebrationem, hymnis puris et sanctis, citharis suavibus, et jucundis, exaltationibus magnificis, et triumphalibus, festis et canticis quae nullo silentio, aut fine terminantur, oribus igne succensis: ubi mille millia et myriades myriadum a laudatione non quiescunt, linguis si quidem sunt non carneis, sed flammeis, et praeclaram habent facundiam spiritus: per cantica suavissima Angelorum, per jubilos incorporeos Archangelorum, per voces modulatas Principatuum, per splendorem Potestatum, per clamores terribiles Dominationum, per agmina Virtutum, per eximias voces Thronorum: per tonitrua terribilia Cherubim, per volatus ardentes Seraphim sex alas habentium, qui uno aequalique inter omnes jubilo, glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Vere enim sanctus es, Dominus etiam ac Rex omnium, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto tuo,

unus Deus, una substantia, una natura: non enim mensura concluditur sanctitas tua, neque finem habet mare misericordiae tuae: qui pro salute nostra unigenitum Filium tuum misisti in mundum, qui salvavit nos, et ad vitam beatam convertit nos.

Elevans vocem. Ipse enim Dominus noster Jesus Christus, cum mox futurum esset, ut susciperet mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse peccati expers, accepit panem super manus suas sanctas et immaculatas, aspexitque ad te, Deus Pater, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis et mysterio suo initiandis, dicens: Accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita etiam et calicem quem miscuerat ex vino et aqua; gratias agens, † benedixit, † sanctificavit; † deditque discipulis suis sanctis, et dixit: Hic est sanguis meus: accipite et bibite ex eo vos omnes: hic effunditur pro mundi vita, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et quando ministerium hoc mysticum, secundum doctrinam meam perficietis, ad salutem vitae vestrae, panemque hunc manducabitis, et calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis, et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos. Juste et absque molestia, universam dispensationem tuam salutarem in carne pro nobis commemoramus, o Verbum Deus: et adoramus, Domine, nativitatem tuam, glorificamus baptismum tuum, confitemur passiones tuas, benedicimus sepulturam tuam, praedicamus resurrectionem tuam, et exaltamus ascensionem tuam, et procumbentes in facies nostras super terram, credimus sessionem tuam ad dexteram Dei Patris. Iterum etiam adventum tuum secundum commemoramus, terribilem illum, plenumque tremore et terrore, quando in gloria exoriens terribiliter apparebis; quando Angeli a judicio tuo contremiscent, et Archangeli pariter trement: quando omnes homines in luctu et dolore consistent, et ad judicium formidandum et severum se praeparabunt: quando sedebis super thronum flammeum, et stabunt coram te decies mille Angelorum myriades, et millies mille

Archangeli: quando solia Apostolis collocabuntur, et judicabis cum aequitate bonos et malos, unumquemque secundum merita. Quando carbones cum strepitu ardebunt, et flamma quae non extinguetur: quando intercessiones non jam suscipientur, et deprecationes repellentur: quando cruciatus absque misericordia statuetur adversus malos: quando ipsis gemitus et dolor erit: quando justi voluptatem haereditabunt, et impii in gehenna torquebuntur: quando occulta revelabuntur, et opera examinabuntur, atque omnes homines in timore et tremore magno consistent. In hac hora terribili Domine plene misericordia, ne avertas faciem tuam a nobis: non intres in judicium nobiscum, non ad examen adducas nos, ne confusionem inconsolabilem nobis incutias: ne rejicias nos ex numero servorum tuorum: ne repellas nos ab ostio thalami tui: ne dicas nobis, nescio vos: ne numeres nos inter crucifixores: ne cruciemur cum illis qui te non noverunt, neque perdas nos cum illis qui te non dilexerunt. Ne tradas nos suppliciis timendis, non in stridore dentium simus: non abneges nos neque dicas nobis, quia non novi vos. Vere enim peccavimus, neque meremur misericordiam consequi per passiones tuas sanctas, et per crucem tuam salutarem. Ne retribuas nobis secundum opera nostra mala; sed confitere nos, Deus noster benigne, in illo tempore. Miserere nobis, miserator: esto nobis curator bonus, Pater clemens et misericors: respice paupertatem nostram: adjuva infirmitatem nostram: propitius esto et miserere nobis omnibus: ignosce peccatoribus: sanctifica poenitentes: dimitte quae insipienter commissa sunt. Exaudi preces populi tui, Domine, aspice gemitus servorum tuorum, suscipe deprecationes adorantium te, adquiesce petitionibus deprecantium te. Salva nos a verme illo qui non moritur: libera nos a mari metuendo ignis: eripe nos a morte secunda: protege nos sub alis misericordiae tuae. Fac nos dignos gaudio illo indefectibili, et propter haec, Ecclesia tua poenitens deprecatur te et per te, atque tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Mei etiam qui tui typum gero, peccator licet et infirmus, propitius esto deprecationibus et lacrymis Domine, et universae haere-

ditati tuae, et mitte super nos et super has oblationes, Spiritum tuum sanctum.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Potens, qui dat victoriam, sanctus et largitor munerum spiritualium, Spiritus sanctus illabatur et faciat panem quidem istum, corpus vivificans, corpus propitiatorium, corpus salutare, corpus salvans animas et corpora nostra, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam atque aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Beatus ille et sanctus, mistum quoque quod in hoc calice est, faciat sanguinem vivificantem, sanguinem purificantem, et sanctificantem, sanguinem salutarem, sanguinem salvantem animas et corpora nostra, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam atque aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Mare misericordiarum et fons bonorum, Deus Pater, genitor, eos qui in itinere sunt custodi, illos qui in mari fluctibus et procellis jactantur adjuva; quia tu es poenitentium susceptor, justificator peccatorum, perditorum inventor, congregator errantium, socius timentium, frater peregrinorum, spes pauperum: lux credentium. Rogamus et deprecamur te, fac nos puros et sanctos per communionem hanc divinam; et mysteria haec vivifica prosint nobis ad vigilantiam animae, ad emundationem corporis, ad communicationem adoptionis, ad participationem Spiritus sancti, ad voluptatem regni coelestis adipiscendam, et ad remissionem delictorum et peccatorum: quia te decet honor, amor erga homines, gloria, decus, et exaltatio, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum sanctum tuum, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Sacrificium hoc metuendum et incruentum offerimus coram te, amator hominum, pro Ecclesiis tuis sanctis Catholicis, ubicumque sint, ut confirmentur in fide Orthodoxa. Memento Domine Pastorum et Doctorum qui in eis sunt: Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum Orthodoxorum. Memento Domine Sacerdotum, Diaconorum, et omnium Ordinum Ecclesiae. Memento Domine paupertatis meae, et ne memineris peccatorum meorum: asper-

sione tua hyssopi tui munda me, neque elongeris a me, sed abundet in me gratia tua, et libera me ab omnibus quae in me odio digna sunt. Da mihi sustinentiam ut transeam per mundum hunc temporalem et laboriosum: da mihi ut agnoscam dignitatem ministerii hujus, praesta me dignum lumine tuo aeterno. Memento Domine eorum qui in exilio sunt. infirmorum, et afflictorum, et eorum qui sperant in te; atque adjuva eos in necessitate. Memento etiam aëris, et multiplica benedictionem anni: atque abundantiam fructuum simul cum pace, fac in orbe obtinere.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Integre, perfecte, et misericorditer conserva Domine populum tuum fidelem, et libera nos a furore duro, et salva nos a fame et pestilentia, a terrae motu et incendio. Praeserva nos a tentationibus Diaboli et ab omnibus inimicis, occultis et manifestis. Nos etiam liberos praesta a passionibus perversis et reprobandis, et ab omni quocumque earum rerum genere, quae a te nos procul faciunt. Aufer a nobis plagas malas, et virgas furoris: adjuva nos Domine Salvator noster, quotiescumque invocamus te, et ne despicias supplicationem adorantium te. Miserere paupe-rum, propitius esto erga peregrinos: orphanis vitae necessaria provide, esurientes replo. Protege Ecclesiam tuam, per crucem unigeniti Filii tui, et exalta filios ejus, per conservationem verae fidei: ut referamus tibi gloriam et laudem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Miserere Domine paupertatis meae, qui te invoco hoc tempore. Memento per gratiam tuam eorum qui ad te confugiunt, adjuvantes Ecclesiam tuam sanctam in verbo et in opere: qui honorant sanctos, qui curam gerunt pauperum populi tui, et eorum qui in his oblationibus partem habuerunt; ut illorum, qui offerre voluerunt, sed non potuerunt. Praesta quoque memoriam bonam patribus et fratribus nostris, et iis omnibus qui communicaverunt necessitati nostrae, atque commendaverunt nobis, ut memoriam eorum ageremus, coram te Deus clemens.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Memento Domine uniuscujusque eorum quos commemoravimus coram te, et eorum etiam quorum non meminimus: ut eorum qui adjuvant pauperes, egenos, et angustiatos

spiritu. Conserva nos et illos per custodiam Angelorum tuorum sanctorum, praeserva nos a scandalis, et libera nos a laqueis satanae, et ab abysso peccati, a virgis duris, et a plagis lethalibus. Libera nos ab iis, quae peccata nostra inducunt super nos, per gratiam tuam, ab acerba captivitate, et a gentibus crudelibus. Senes imbecillos confirma, et robora: viduas auxilio juva, orphanos conserva et purifica: captivos libera et salva: vinctos solve et eripe: aegros sana et ipsis sanitatem tribue: afflictos et angustiatos spiritu consolare: injuriam et calumniam passos conforta per brachium tuum: pauperes cibo et necessariis sustenta: necessitatem patientes, peregrinos, et persecutionem sustinentes reduc, et quietem illis concede. Perditos et errantes collige et congrega: peccatores munda et suscipe: nobisque omnibus solatium, medelam, salutem, et liberationem praesta, quia tu auxiliator et adjutor omnium es, tibique gloriam et laudem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Visita Domine per gratiam tuam Reges Orthodoxos, et subjice illis inimicos eorum, compesce bella et tumultus, et totum terrarum orbem pacifica, ut Ecclesia tua in tranquillitate et pace sit, atque in attenta sedulitate: unusquisque autem in sua regione confiteatur tibi. Nobis Domine vitam quietam et tempora pacifica concede: et a nobis depelle omne afflictionis genus: praesta etiam ut caste vitam instituamus: oppressos, aegrotantes, et eos qui tentantur a malignis spiritibus, sana et adjuva. Coronae anni benedic, ut creaturae habeant unde sustententur, et glorificent te.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Domine Deus potens, constitue pacem in regnis, per clementiam tuam; comprime bella inimicorum, et Ecclesiarum scandala aufer. Extingue haereses erroneas; et salva nos Domine plene misericordia, ab omni fame dira, ab omni caede et mortalitate, ab omnibus bellis et tumultibus, a plagis et colaphorum ignominia, a terrae motu et oppressione, ab incendiis et depraedationibus: et congregationem hanc circumstantem, in fide custodi per crucem unigeniti Filii tui, per brachium tuum excelsum. Virgines conserva absque macula, conjugatos orna continentia: senes calamitatibus vexatos, conforta et adjuva: infirmos sana per clementiam tuam: oppressos malis recrea per gratiam tuam: navigantibus esto portus tranquillus: iter facientes praeserva ab omnibus damnis. Eos

qui in carceribus, aut servitute detinentur, libera et conserva: pluvias benedictas, et rores jucundos ad loca quae illis indigent mitte; benedic coronae anni, frugesque et fructus terrae multiplica, quia tu benignus es et amator hominum, tibique gloriam et laudem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Sit memoria bona ad altare tuum spirituale, coelisque sublimius, et ad hoc etiam coram quo stat infirmitas mea, sanctae genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae, Stephani primogeniti Martyrum et Diaconorum, Patriarcharum, Patrum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum. et omnium Sanctorum, dilectorum tuorum.. Effice nos Domine imitatores morum illorum, et per orationes eorum, salva nos ab omnibus dolis et damnis: concede etiam nobis petitiones nostras, ex thesauro tuo pleno bonis omnibus.

Elevans vocem. Suscipiantur intercessiones dilectorum tuorum coram majestate tua, Domine, propter nomen tuum magnum et sanctum, quod invocatum est super nos. Propter deprecationes sanctas, et obsecrationes eorum exaudiri dignas, aspice nos oculo misericordiae, et suscipe orationes nostras infirmas, et obsecrationes nostras imperfectas: non repellas, neque avertas faciem tuam a nobis: ne in furore declines a nobis, neque in ira justitiae disperdas nos. Nos enim infirmi et egeni cum simus, per commemorationem Sanctorum, qui nos praecesserunt, audemus ad te accedere, et perficere sacrificium hoc tremendum et metuendum, quod desiderant Angeli prospicere. Verum per lacrymas cum summo gemitu conjunctas, deprecamur te: secundum beneplacitum tuum, posside nos: per commiserationem tuam parce nobis, et ab omnibus offendiculis et incursibus diabolicis salva nos. Dimitte peccata nostra, et dele insipientias nostras, defectusque nostros abole: nomina nostra in libro vitae scribe, et in Ecclesia primogenitorum numera nos. Ordinibus piorum et justorum accense nos; dignosque nos effice parte eorum qui divinis tuis mysteriis sunt initiati, et festo atque gaudio eorum, qui adimpleverunt voluntatem tuam fac nos perfrui: atque in regione laetitiae et voluptatis quam praeparasti sanctis tuis laetifica nos, ut cum illis, inter eos, et in agminibus eorum, referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Cum amore, memento etiam Domine Apostolorum sanctorum Patrum, Doctorum, Pastorum, sanctorumque

Episcoporum, qui in quacumque regione olim quietem acceperunt: qui a Petro [4] et Jacobo Apostolis, ad finem usque saeculi per divinarum rerum doctrinam praeclari splenduerunt, quique praedicaverunt in Ecclesiis tuis sanctis et sacerdotalibus. [5] Praecipue vero Ignatii, Dionysii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Timothei, Joannis, Cyrilli, Philoxeni, Coelestini, Clementis, Severi, Jacobi, Ephraem, et reliquorum; Apostolorum, Sanctorumque Orthodoxorum, qui tibi manifesti et cogniti sunt.

Sacerdos elevans vocem. Insere in nobis Domine fidem eorum veram, zelumque illorum laudabilem pro vera religione, caritatem eorum sinceram, mores eorum castos, leges eorum rectas, praeceptaque sancta illorum, qui persecutionem et colaphos passi sunt propter fidem orthodoxam: qui propter nomen tuum sanctum sustinuerunt persecutiones, tormenta, et cruciatus coram Regibus, et colla sua tradiderunt pro veritate fidei tuae, certaveruntque generose. Confirma Ecclesiam sanctam per orationes eorum acceptabiles, et per obsecrationes eorum audiri dignas, pacem perpetuam Ecclesiae tuae concede. Doctrinam eorum in animabus nostris confirma; et in habitaculis eorum benedictis nos colloca: nos quoque bonis illis quibus perfruuntur, fac gaudere. Libera quoque nos ab omnibus haeresibus perniciosis, et dissipa populos qui bella volunt: rebelliones, et calamitates in universo orbe comprime: virgas furoris et tentationes arduas aufer a nobis. Da nobis ut exornemur moribus pudicis et operibus sanctitatis, menteque orthodoxa: et praesta nobis ut revelata facie simus coram te, quia tu bonus et benignus es, tibique gloriam et laudem offerimus etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Tu qui bonus es, plenusque misericordia, memento per gratiam tuam, et parce per hoc sacrificium Sacerdotibus Orthodoxis qui olim quieverunt, Diaconis, Subdiaconis, Solitariis, Monachis, et unicuique eorum qui in ministerio Ecclesiastico recensentur. Patribus etiam et fratribus nostris, tam secundum spiritum, quam secundum corpus: defunctisque fidelibus qui decubuerunt cum spe tua, in fide vera: ut etiam eorum quorum ignota, ad commemorandum sunt nomina, et quorum numerus notus est tibi: mei quoque infirmi, patrumque meorum corporalium et spiritualium.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Opifex et creator omnium creaturarum, Deus Pater, fac ut corpora et spiritus servorum tuorum qui cum spe tua decubuerunt, ad bona illa coelestia perveniant, et ad voluptates illas quae finem non habent: ad gaudia illa quae sunt sine termino, ad convivium indesinens. Scribe nomina eorum in libro vitae tuo; laetifica eos aspectu vultus tui, constitue illos in regione justorum, accense illos agminibus piorum; fac illos gaudere bonis Sanctorum: fac illos discumbere ad mensam tuam spiritualem: dimitte peccata eorum per misericordiam tuam: dele quae insipienter ab illis commissa sunt, per clementiam tuam: salva illos a tristitia et suspiriis, libera eos ab ardore gehennae: fac eos transire ultra transitus illos terribiles loci timoris: colloca illos in tabernaculis lucidis: fac illos quiescere in sinu Abrahae, Isaaci, Jacobi, Patrum nostrorum, in habitaculis tuis coelestibus, in paradiso deliciarum, in locis quietis. Ne intres cum illis in judicium, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens, sed parce illis omnibus. Nobis etiam, qui in hac vita peregrinationis temporalis servimus, propitius esto et miserere nostri, quia quotidie per mores nostros odio dignos, te ad iracundiam provocamus: da nobis igitur abhinc remissionem eorum quae insipienter commisimus, quia nemo est immunis a peccato, etiam si una hora tantum in terra habitaverit, nisi solus Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus, quem [6] tibi offerimus, deprecantem te pro nobis: ipsum per quem speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum tam nobis quam ipsis, propter eum.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Domine qui abscondita omnia, et manifesta cognoscis, dimitte peccata et insipienter commissa, nobis et illis, voluntarie et involuntarie, scienter et ignoranter, verbo et opere, occulta et manifesta, nota et ignota. Nos in vita conserva absque peccato: dirige gressus nostros in semitis mandatorum tuorum, et fac nos dignos fine bono, et exitu tranquillo ex hoc mundo.

Sacerdos elevans vocem. Libera nos Domine Deus a captura potestatum adversarum, et ab exercitibus daemonum qui in aëre dispersi insidiantur, ad venandas animas nostras: maxime vero a vultus confusione acerba coram solio metuendo salva nos, et in habitaculis coelestibus quiescere nos jube, atque in domo gaudii nos colloca, et in gloria triumphali Sanctorum tuorum numera nos. Quam-

diu autem in hoc mundo versamur, parce et dele peccata nostra, occulta et manifesta, voluntaria et involuntaria. Innova animas nostras et corpora nostra: visita nos per benignitatem tuam, effunde super nos clementiam tuam. Adjuva nos per gratiam tuam, fac nos pervenire ad finem bonum, exitumque pacificum. Demonstra erga nos gratiam tuam, salva nos a gehenna: suscipe nos in regnum tuum; adjunge nos congregationi Sanctorum tuorum: constitue nos ad dexteram majestatis tuae. Da nobis ut exeamus ad occursum tuum cum aperta facie, ut in hoc sicut et in omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum, maxime honorandum et benedictum, etc.

Populus. Ut.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Benedictio Dei sit.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos frangit et signat.
Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater qui vis vitam omnium, princeps et Dominus utriusque saeculi, ineffabilis, et non investigabilis, qui hymnis non materialibus glorificaris a millenis et decies millenis Angelis; qui suscipis orationes, et audis obsecrationes, spes eorum qui persecutionem patiuntur: comes peregrinorum, portus et quies eorum qui jactantur; altor pauperum: ditator eorum qui necessitatem habent; satiator famelicorum, quique sitim exples eorum qui ea laborant, consolator afflictorum, pacificator iracundorum, inventor perditorum, conversor et reductor errantium, fons sanitatis, et scaturigo auxiliorum; remissor delictorum, peccatorumque susceptor: qui suscipis lacrymas poenitentium. Formator peritissime omnium creaturarum, animarum et corporum: qui per gratiam tuam congenitam, et commiserationem, misisti Filium tuum in mundum: ipse autem liberavit nos a peccato, morte et Satana, docuitque nos orationem dominicam, et demonstravit nobis viam vitae. Rogamus et deprecamur majestatem tuam, propitius esto et miserere nobis, libera nos ab invidia et odio; salva nos a dolis diaboli; sanctifica animas et corpora nostra, purosque et sine macula nos effice, ut cum puritate corporis, sancti-

tate animae, mentisque munditie, audeamus invocare te Deum Patrem coelestem, oremus, et dicamus, Pater noster, qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Sancte, Sanctorumque sanctificator Domine, custodi nos per nomen tuum sanctum, et ab artibus satanae, et filiorum nequam libera nos. Praeserva etiam nos ab omnibus tentationibus occultis et manifestis omnibus diebus vitae nostrae. Salva quoque nos a rebellione, virgisque furoris, et ne expellas nos a conspectu tuo. Ne inducas nos in tentationes gravissimas, quae superent vires nostras: sed libera nos a laqueis diaboli, quia tuum est regnum, et tu es Rex gloriae, tibique laudem offerimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Princeps viventium, mortuorumque Domine Deus miserator, propitius esto, et miserere peccatoribus servis tuis, qui inclinantur coram majestate tua. Suscipe orationes, et preces nostras, et sanctifica nos per sancta tua: illustra cogitationes nostras gratia tua: orna linguas nostras veritate tua: purifica animas nostras per clementiam tuam, et converte nos ad timorem tuum. Benedic nobis omnibus per benedictiones tuas: circumda nos muro forti dilectionis tuae. Sparge super nos rorem clementiae tuae: dimitte delicta et peccata nostra, et parce nobis per amorem erga homines tuum. Concede nobis Domine petitiones nostras, et ab omni apostasia immunes nos effice: praesta etiam ut pure et sancte communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui, cum quo tibi debetur gloria, honor, et cum Spiritu tuo sanctissimo:

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Benedictio Dei sit, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Glorificationes indeficientes, laudes exaltationis infi-

nitas, confessiones incessabiles, vocesque gratiarum actionis, offerimus tibi Domine, propter multiplicem erga nos misericordiam tuam; quia pepercisti delictis nostris per gratiam tuam, et remisisti peccata nostra per commiserationem tuam. Fecisti nos habitare in Ecclesia tua sancta, et filios tuos per gratiam tuam vocasti nos: miscuisti corpus unigeniti Filii tui cum corporibus nostris, et permiscuisti sanguinem ejus membris nostris; dignosque praestitisti nos communicandi mysterio tuo sancto. Rogamus autem et deprecamur te amator hominum, ut non convertas festos dies nostros in luctum, neque hymnos nostros in planctum: ne inclines capita nostra in judicio, ne confundamur in ultimo die retributionis: ne pudore afficias nos in die judicii tui: ne judices nos in die ortus tui: ne condemnemur cum illis qui te non noverunt: ne cruciemur cum illis qui te ad iracundiam provocaverunt; sed per gratiam tuam salva nos, et cum filiis nuptiarum tuarum quiescere jube nos, et discumbere cum justis in paradiso. Da nobis regni tui beatitudine perfrui, et alis commiserationis tuae protege nos, et praesta ut coram solio Christi tui excusationem habere possimus, per quem, et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Hymnos, laudes, vocesque gratiarum actionis cum gaudio offerimus tibi Domine noster Jesu Christe, pro auxiliis tuis erga nos: quia nos peccatores servos tuos, dignos fecisti munere hoc divino. Petimus a te, o refugium peccatorum, sanator infirmorum, restaurator imbellium, adjutor animarum, susceptor orationum, quique postulata concedis, demitte dexteram tuam plenam benedictione, et benedic nos omnes servos tuos, universim, magnos et parvos, viros et foeminas, Da nobis ut stemus coram te cum timore et tremore. Benedic Ecclesiae tuae sanctae, multiplica Pastores ejus, glorifica Sacerdotes altaris tui, et ministerium eorum suscipe. Munda Diaconos, et cantus eorum acceptos habe. Confirma senes, infirmos conforta, reduc feliciter absentes, praesentes custodi, impetum juvenum coerce, pueros fac cum modestia crescere. Sana Domine aegrotos: intemperantes fac temperantes: lava et munda eos qui in

peccatis volutantur: perditos congrega: obsigna per crucem tuam virgines: conjugatos sanctifica per gratiam tuam. Custodi divites per pietatem tuam: satia famelicos et pauperes: orphanis et viduis alimenta provide: suscipe lacrymas poenitentium, et obsigna nos omnes per crucem tuam. Praeserva nos ab invidia satanae, et a nequitia hominum. Benedic gregi tuo spirituali, et effunde benedictiones tuas super nos omnes. Ignosce illis qui acceperunt corpus tuum: sanctifica eos qui biberunt sanguinem tuum. Orna nos doctrina tua, induc nos omnes in thalamum tuum. Mentes nostras cognitione tui sapientes effice: corda nostra confirma in veritate tua: animos nostros robora per misericordiam tuam. Oculi nostri videant timorem tuum, ora nostra repleantur mysteriis sanctis tuis, lingua nostra enarret laudes tuas: labia nostra concinant hymnos ad tuam gloriam: gressus nostros dirige in semitis tuis: fidem nostram in te confirma. Da nobis virtutem ut servemus mandata tua. Praesta nobis omnibus exitum pacificum, et fac nos pervenire ad finem beatum. Parce defunctis fidelibus, et quietem illis praesta in thalamo tuo, quia ad omnes homines extenditur gratia tua, tuque es Rex saeculorum, Dominus vivorum et mortuorum: tibique gloriam offerimus, et Patri tuo, et Spiritui sancto tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM JOANNIS ACOEMETI

NOTAE.

De illo Joanne praeter titulum qui ejus Liturgiae praefixus est, nihil scimus: nam quod observavimus alibi, obscurissima est, vel potius nulla Antiochenorum Jacobitarum Historia. Nullius enim autoris qui eam descripserit, memoria est, neque saltem indiculus Patriarcharum qui Ecclesiae illi praefuerunt, superest. Joannes aliquot fuisse qui Patriarchalem Cathedram tenuerunt scimus, atque inter alios istum: alium cognomine filium Maadni: alium

qui Joannes Magnus appellatus est, a quo ordinata fuit Liturgia dicta Doctorum Sanctorum. Alius occurrit Joannes, qui vixit post annum J. C. DCCXXXVII. ad quem Chaïl XLVI. Alexandrinus Patriarcha post ordinationem literas Synodicas nullas misit, cum maxima esset Joannem istum inter, et Episcopos suos discordia, eo quod is autoritate Sultani sedem occupasset, quamvis Episcopus foret, quod contra Canonicam disciplinam erat. Alterius Joannis memoria est circa annum J. C. DCCCLI. sub Cosma Patriarcha Alexandrino LIV. redintegrata jam cum Antiochenis, Alexandrinorum concordia. Diversus ab illis omnibus fuit Joannes is qui anno J. C. DCCCCLVIII. cum ab Imperatore Constantinopolitano in urbem accersitus fuisset coram Graeco Patriarcha ejusque Clero, Imperiique primatibus, fidem Jacobiticam propugnavit, ut ipse scripsit in bene longa ad Mennam Alexandrinum LXI. Epistola, quam integram repraesentavit autor Tractatus de Fide Patrum, in Codice Seguieriano. Alius item fuit Joannes cognomento filius Abdoun, Patriarcha Antiochenus, de quo Historia Alexandrina in vita Zachariae Patriarchae LXIV. similia prope narrat. Ad quem ex illis Liturgia haec referenda sit, ne conjectando quidem assequi possumus.

Hist. Patr. Alex. p. 217.

Ib. p. 355.

Ib. p. 404.

Scriba vocatus est, is de quo quaeritur: qua voce intelligi debet is, quem eadem significatione Christiani Arabice scribentes, vocant כאתב *Katib* a manu et a secretis Patriarcharum: Graeci vulgo *Syncellos* appellaverunt; unde discitur, Joannem ante quam Patriarchalem dignitatem obtineret, Syncelli apud decessorem suum munus exercuisse.

Akoumio אכומיא: vox Syriaca non est: neque ad Graecam ulla propius accedit, quam ad ἀκοίμητος qua voce significabantur Monachi illorum Monasteriorum, in quibus perpetua erat chororum sibi succedentium psalmodia, de quibus erudite, ut semper, multa collegit Vir Clarissimus Carolus Fraxineus Cangius in utroque Glossario, et in Constantinopoli Christiana. Cum vero multa olim fuerint similis instituti Monasteria, ab uno aliquo ita denominatum fuisse Joannem illum verisimile est.

Quod autem de nonnullis aliis, idem de hac Liturgia judicandum est, illam esse scilicet sequioris aevi, quod stilus redundans, et verborum copia, a simplicitate degenerans sufficienter demonstrat. Nec idcirco contemnenda est haec Liturgia, et quod eam omnes alicujus antiquitatis Codices repraesentant: et quod aliis vetustissimis cujuscumque linguae conformis est in praecipuis Officii Eucharistici partibus; tum quod ubique sanam de Sacramentis doctrinam continet. Tandem si eloquentiae Syriacae peritus autor fuit, ut sane fuit: non imperitum illum rerum Theologicarum fuisse, satis agnoscitur.

2. *Coelum etiam in tribus Ecclesiis.*

Verisimile est autorem de tribus coelis, quae metaphorice Ecclesias vocat, quia ibi perpetuo laudatur Deus, esse intelligendum. Quae sequuntur de Spirituum coelestium Ordinibus, sunt expressa ex libris de coelesti Hierar-

chia, quos Orientales omnes summo in pretio habent, Jacobitae praesertim, qui aliquot testimoniis inde petitis ad opiniones suas confirmandas abutuntur.

3. *Reges Orthodoxos.*

Quae ad reliquas Liturgias circa hanc formulam observata sunt, ad istam quoque pertinent. Vetustissima haec erat, usurpata sub Christianis Imperatoribus; unde in multis codicibus retenta est, quos secuti sunt, non librarii modo qui libros describebant, sed qui novas Liturgias composuere, ut Mathaeus Pastor, Ignatius Patriarcha filius Wahib, et quidam alii.

4. *Qui a Petro et Jacobo Apostolis etc.*

Dictum est ad Liturgiam Jacobi Syriacam, memoriam singularem illius Apostoli in ea fieri, quod extaret in Graeca eodem titulo consignata, quam in Hierosolymitana Ecclesia usurpatam vulgo fuisse, certum est. In Graeca vero illius memoria fiebat, tanquam primi Episcopi, ejusdemque Ecclesiae fundatoris. Syri Palaestini illam formulam a Graecis acceperant, ut servaverunt: et cum multi alii ad sedem Hierosolymitanam pertinerent, facile ad omnes Syros etiam Antiochenos dimanavit, cum esset maximus Syriacae linguae in illis provinciis usus. Itaque servata est sine ullo partium praejudicio, donec Jacobitae alio consilio eam ad se transtulerunt, ut Jacobi Apostoli fidem tenere se et ab illo denominari imperitis persuaderent. Itaque Ignatius filius Wahib, Patriarcha Antiochenus Jacobita, eam particulam Liturgiae suae inseruit: Autor istius, Petrum Jacobo adjunxit, tum ut Antiochenae Ecclesiae fundatorem et Episcopum; tum ut duplicata autoritate Apostolicorum nominum, non Jacobi modo, sed etiam Principis Apostolorum discipulos se esse Jacobitae jactarent.

5. *Praecipue vero Ignatii, etc.*

Nox una est Diptychorum in quibus Sanctorum nomina commemorantur forma, cum in aliquibus, plures, pauciores in aliis recenseantur. Nulla prolixior, ea quam refert Ordinationis Officium Syris Jacobitis proprium, de qua dictum est ad Liturgiam Jacobi Syriacam. In ista primum merito locum tenet Ignatius, ut Antiochenus quondam Episcopus, cujus etiam testimoniis abuti, ad erroris sui patrocinium solent, ut ex variis Collectaneis, et Tractatu de Fide Patrum intelligitur. Praeterea tantum honorem illi tribuunt, ut in antiquissima Canonum Collectione Syriaca, ex ejus Epistolis capita quaedam ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia referantur, quia inquiunt interpretes ob summam Ignatii sanctitatem, aequam cum Canonibus dignitatem habent. Dionysium, Areopagitam intelligunt. Gregorium qualem velint, non significant,

sed omnes laudant Neocaesariensem, quem et Thaumaturgum vocant: Nazianzenum, Nyssenum. Timotheum non alium intelligere debemus, quam Aelurum, qui Alexandrinam sedem occupavit. Philoxenus is est, qui etiam Xenaias dictus est Hierapolitanus Episcopus, cujus nomine habetur Liturgia. Quis sit Jacobus, cujus meminit ista, dubium est; sunt enim tres apud Jacobitas celeberrimi; Baradatus, a quo illos denominatos esse communis opinio est: Serugensis, et Edessenus. Clementis Liturgiam quoque habent, at illum in Diptychis nominatum alibi quam in ista, non reperimus.

6. *Quem tibi offerimus deprecantem pro nobis.*

Similis locutio extat in variis Syrorum precibus Christumque offerri in altaris sacrificio, constans omnium Orientalium Theologorum doctrina est, quae Graecis non minus familiaris est, ut fuse de ea scripsit Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus in Enchiridio, et multis autoritatibus confirmat. *p. 47. et seq.*

LITURGIA

S. DIOSCORI I. EPISCOPI INSULAE CARDOU

SIVE GORDYAEORUM.

Primum Oratio ante Pacem.

Domine Deus qui adoraris ab omnibus, excelsusque es super omnia, caritas indeficiens, pax et tranquillitas, nulla iracundia perturbabilis: qui per amorem erga homines tuum, totum hoc omne quod est produxisti, et per effusionem gratiae tuae magnae, et inexplicabilis, mentes supernas, in unam concordiam pacificam conjunxisti simul, et quidquid alienum ab illa pace reputatur a coetibus eorum removisti: Qui similiter ex materia liquida hominem ad imaginem tuam creasti, regemque super terram, cum potestate in omnia constituisti: is vero per fraudem maligni, libertate sua excidit, rebellemque se ostendit; quia intempestive de fructu comedit, et in-

firmus factus est. Postquam vero collectus est per vocationem Prophetarum tuorum, absque consolatione permansit: tunc vero Filium tuum dilectum ad ejus directionem diligenter misisti. Is autem ad similitudinem nostram caritate nobiscum habitavit, pacemque sinceram in pacis susceptoribus seminavit permanenter, et ex spiritu purificante, per eum illos implevisti. Illi autem universam terram circuiverunt, et omne quodcumque paci erat contrarium ex ea abstulerunt et stirpitus evulserunt; pacem etiam omnibus per eos praedicavisti. Nos vero imbelles et peccatores deprecamur te, ut hanc tranquillitatem et pacem in animabus nostris constituas, ut amanter et cum dilectione quae te deceat, amplectamur nos invicem, absque dissidio: gloriam quae tibi debetur, et dilecto Filio tuo referemus, et Spiritui sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Sacerdos. Praesta nobis, etc.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Benedictus, et benedicendus, et beatus in omnibus es, qui vocasti nos, et adduxisti ad similitudinem quamdam tui, qualem terrenis carne indutis habere licet, cum natura prae omnibus simplicissima. Tu igitur etiamnum Domine Deus, qui adoraris ab omnibus, tene nos extra omne ruinae periculum dextera tua omnipotenti, et benedic populum tuum qui nunc inclinatus est coram te, mitte illis munera donorum tuorum divinorum. Da illis Domine, ut permanenter unum sint in te, absque ulla divisione: ut indeficienter confiteantur tibi, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Aufer Domine a cogitationibus et mentibus nostris omnes sordes maculam inferentes animabus nostris, et da nobis ut mente pura stemus coram te. Depelle etiam a nobis omnes immunditias iniquitatis et peccati, nos vero in omni religiosi timoris et castimoniae genere confirma, ne inornatis et incultis mentibus appareamus coram te, hoc tempore et omnibus diebus vitae nostrae: verum mundati ab omni nequitia quae alienos a te faciat, stemus animose, cum conscientia impolluta coram throno divinitatis tuae, et

ab omni corruptione, aut morte pestifera quae a te separet, libera nos; per sacrificium hoc quod offerimus tibi, ut aboleat ea quae a nobis insipienter commissa sunt: et nequitias nostras abstergat: et referemus tibi gloriam et laudem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordia.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Purus et absque macula solus es tu Deus noster, qui adoraris in omnibus, qui laudes nobis absconditas ab illis suscipis, qui notam faciunt majestatem tuam, iis qui priores agnoverunt lumen antiquum essentiae tuae: qui te solum absque principio, hymnis et sanctificationibus suis esse confitentur: quodque in te unumquodque consistit, et subsistit, mirabiliter indicant.

Sacerdos elevans vocem. Qui ex secreta natura sua; sublimem et absconditam naturam tuam, quae extra omnia est, omniaque amplectitur: omnibus excelsior est, et continet omnia, te adorantes aeternum et absque fine, venerantur simulque una et indivisa voce inclamant sanctificationes ter repetitas, dicentes: Sanctus creator creaturarum: Sanctus es qui pueris sapientiam tribuis. Benedictus honor tuus a regione tua metuendus ab omnibus: benedicta virtus tua, cujus potestas in omnia est. Benedictus es Deus noster, qui adoraris ab omnibus; cui Cherubim benedicunt, plausu alarum suarum; Seraphim autem ardore suo sanctificant te: Throni te dorsis suis tanquam in curru sustinent: Virtutes fortitudinem dexterae tuae creaturis tuis indicant: ut etiam Potestates magnam potentiam tuam notam faciunt figmento tuo. Dominationes autem imaginem gerunt majestatis tuae, quae est mundo excelsior: Principatus imperium tuum designant, et mysterium supremae dignitatis tuae demonstrant. Angeli vero et Archangeli, reconciliationis tuae ad eos qui irae tuae obnoxii sunt, interpretes, jubilis suis te agnoscunt: qui modulationibus vocum suarum, et motitatione alarum suarum, sonisque musicis canti-

corum suorum, volantes alter ad alterum, vociferantur, clamant et dicunt. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, sanctus es: benedictus honor tuus e loco suo: Sanctus es trinus et unus, qui a Cherubim, Seraphim, et Thronis benediceris, sanctificaris, et glorificaris: qui a Virtutibus, Potestatibus, et Dominationibus honoraris, laudaris, et exaltaris: qui a Principatibus, Archangelis, et Angelis, extolleris, glorificaris, et celebraris; tanquam lucis scrutatoribus, et praeconibus veritatis. Tibi qui es supra laudes omnes sanctificantium te, placuit, ut nos postremos tuarum creaturarum, participes tuae naturae faceres et filium tuum, aequalem tibi natura et regia dignitate misisti directorem futurum animarum nostrarum, nostrorumque spirituum Salvatorem: et ex Virgine sancta, quae secundum corpus et animam pura facta est, formam accepit, ut conveniebat ad salutem nostram.

Sacerdos elevans vocem. Ille autem per annunciationem Archangeli ad existentiam venit, formamque humanam mirabiliter, et corpus naturae nostrae genuinum, humanitus accepit: in eo virtutes et miracula operatus est ad institutionem nostram, perfecitque universam dispensationem suam salutarem, et venit ad passionem, crucemque voluntariam pro nobis. [2] In ea autem nocte qua paratus erat ad patiendum, pro vita creaturarum, pignus vitae tradidit nobis, et mysterium corporis et sanguinis sui sancti praeparavit nobis: panem accepit, postquam perfecisset Pascha Mosaicum, et super manus suas sanctas in conspectu turbae et societatis discipulorum suorum posuit, tibi Deus Pater gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque turbae duodecim suorum, postquam ipse communicavit, et dixit: accipite, edite ex eo. Hoc est Corpus meum quod pro vita mundi frangitur et datur, ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter postquam coenaverunt, calicem vitae accepit, vino et aqua miscuit temperate, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit eum, † et rursus eidem turbae Apostolorum sanctorum tradidit dicens, accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis effunditur, vosque et multos credentes praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Cum vero mysterium hoc vivificans et sanctum

celebrabitis, credite et certi estote, quod ex corpore meo manducatis et vivitis: et ex sanguine meo bibitis, ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum. Et haec omnia perficientes mementote et commemorationem facite mortis, sepulturae et resurrectionis meae, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos clerans vocem. Nos autem peccatores et insipientes servi tui, juxta mandata tua sancta, commemorationem dispensationis tuae super tabulas mentis nostrae suscipimus, et omnia ibidem gesta animo revolventes, tanquam medicamenta peccatis extinguendis salutaria, vulneribus nostris imponimus: conceptionem tuam admirabilem, et quae verbis enunciari non potest: praecursum Angeli, et annuntiationem nativitatis tuae: formationem tuam mirabilem, nativitatem quae stuporem dedit superioribus et inferioribus, neque a peritissimis quibuscumque explicari potuit; propter quam Angeli cum Pastoribus laudantes exultaverunt: Magi adorationis et munerum officia obtulerunt; infantes absque macula sanguinem suum purum, tanquam oblationem acceptabilem, in ea effuderunt: legalium etiam oblationum illationem: gestationem super manus senis antiqui dierum, et confirmationem eorum omnium quae de te a Prophetis dicta fuerant, et eventu comprobata, atque completa sunt: baptismum tuum in Jordane sanctum et sanctificantem omnia mysteria quae per illum nobis revelata sunt: jejunium tuum divinum, victoriamque de diabolo rebelli tuam; miraculorum tuorum divinorum operationem, quae verbis explicari nequeunt: Hosannae cantus, laudesque tuas ex ore infantium purorum decantatas ter cum clamore, puerorum infantium, et recens natorum, Hosanna in excelsis, Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Postmodum autem ad passionem adductus es, per quam Domine, passiones nostras destruxisti: sustinuisti crucem pro salute nostra: descendisti in sepulcrum, ut sepultos consolareris, solvistique eos qui vincti erant a saeculo: surrexisti tertia die, discipulos confirmasti, ascendisti in coelum: dona divisisti, Spiritu sancto Apostolos tuos implevisti, et iterum in fine venturus es ad universae carnis examen instituendum, et ad judicandum orbem in aequitate. Convertere Domine ad populum tuum, qui impie egit coram te, et reminiscere promissionum tuarum veracium, pro vobis pono animam meam. Nos ii sumus Domine, qui nomen tuum sanctum non abnegavimus: qui signaculo tuo pretioso obsignati

sumus: qui ex populis alienis translati sumus ad religionem tuam: qui portamus signum tuum admirabile, neque ullam de te confusionem habemus. Ne erubescas de nobis, o clemens, quia veritatem tuam non corrupimus: ne abneges nos coram solio aequitatis tuae; ne fiamus cibus ignis urentis, quia corpus et sanguis vivus in nobis recondita sunt. Ne projiciamur in medio tenebrarum exteriorum, qui illuminati sumus luce Spiritus tui vivificantis. Ne fleamus in supplicio neque sit qui consoletur: ne cruciatuum dolore gemamus, neque sit ullus qui misereatur. Domine Domine memento Ecclesiae tuae, quam salvasti, et parce gregi tuo quem redemisti; libera eam a cruciatibus aeternis, et dignam illam effice voluptate indeficienti, quia propter haec atque alia ejusmodi vocibus gemebundis deprecatur te, et per te atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere nostri, etc. *Sacerdos.* Nos quoque.

Populus. Te laudamus. *Diaconus.* Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Veniat Spiritus sanctus, qui ex te Pater coelestis secreto procedit, qui per Prophetas locutus est, et profunda tua scrutatur, qui descendit super Jordanem et apparuit in specie columbae, simul cum voce incorporea, et cum Filio tuo dilecto ortus est nobis, qui a te procedit, et a splendore tuo accipit: qui Apostolos tuos sapientes effecit, qui martyres tuos corona gloriae coronavit: illum absque tempore illum ab aeterno existentem: illum qui procedit, sed nulla cum divisione: et perficit sed non temporaliter, et divinum in modum perfectionem confert. Ille veniat per beneplacitum tuum, secundum amorem tuum erga homines, et illabatur super haec mysteria, et sanctificet illa atque perficiat, ejiciens simul cum eorum sanctificatione, cogitationes immundas animae meae, purumque et sine sordibus me perficiat coram te Deus Pater, meque et circumstantem populum, mundet atque purificet, ut parati et digni his mysteriis Christi Dei nostri, appareamus absque macula peccati, per gratiam et misericordiam tuam. *Populus.* Amen. *Sacerdos.* Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens, requiescens et illabens super mysteria haec, panem quidem istum transmutet ^{3} † in corpus Christi Dei

nostri, † in corpus quod commendavit Dominus et Deus noster in coenaculo Apostolis suis sanctis, † in corpus quod transfixum est in Golgothae vertice pro vita mundi: in corpus quod ortum est ex Virgine Genitrice Dei Maria; corpus Domini et Dei nostri, in quo virtutes mirabiliter demonstravit: quod dedit nobis ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem transmutet in sanguinem qui stillavit super verticem Golgothae ad mundi expiationem † in sanguinem illum vivificantem † et propitiatorium omnium macularum nostrarum, † in sanguinem illum qui pignus vitae nobis est ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc † est corpus et sanguis Christi Dei nostri; hic est indivisibilis, et immutabilis; hic est qui non subjectus tempori, visus tamen est: ipse absconditus ab omnibus, qui manifestatus est; ipse qui ad dexteram Patris sedet, qui cum Patre et Spiritu dona largitur: qui peccatis nostris veniam concedit, quique solvit delicta nostra: qui aufert ea quae insipienter egimus, qui mundat conscientias nostras: qui illuminat simplicitatem nostram: qui perficit nos filios patris sui: qui vocavit nos fratres per gratiam suam: qui dedit nobis mysteria haec ad expiationem nostram: qui aufert a nobis plagas furoris; qui ad vitam revocaturus est corpora nostra, misericordiamque et clementiam suam exoriri faciet super omnes: cui et Patri ejus, et Spiritui ejus sancto gratias agamus nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, per gratiam et misericordiam tuam multam, Patrum nostrorum beatorum, qui nunc vivunt, utque praeclari Antistites nobis hodie praesunt: Patriarchae sedis Apostolicae Domini N. et Metropolitae nostri venerandi, Domini N. reliquorumque Patriarcharum Orthodoxorum, qui hodie in vivis sunt, et pro Ecclesia tua sancta decertant. Memento Domine, universi Presbyterii in Christo, totiusque ordinis Sacerdotalis Ecclesiastici et Evangelici, qui recte confitentur te: benedic Domine per orationes eorum acceptabiles coronae anni, per imbres opportunos matutinos et serotinos: benedic omne genus frugum et fructuum, quod ad sustentandas creaturas tuas produxisti, non revocans in memoriam, o

amator hominum, insipientias populi tui. Me quoque peccatorem famulum tuum suscipe inter deprecatores tuos, neque repellas me ab haereditate tua, propter opera mea quae te indigna sunt.

Sacerdos elevans vocem. Confirma et sustenta Ecclesiam tuam Domine per orationes acceptabiles et pacificas, Pastorum illorum quos elegisti et vocavisti, mysteriisque tuis sanctis perfecisti, et quibus oeconomiam domus tuae, cum autoritate credidisti. Da illis Domine, ut a lupis insidiatoribus oves tuas vigilanter custodiant, pascantque non oscitanter, et ad prata securitatis, atque ad aquas quietis, pure et cum honore eas deducant, talentaque sua prudenter multiplicent: avertens interea a populo tuo, et haereditate tua per orationes eorum, omnem captivitatem perniciosam; omnem conturbationem noxiam, omnem violentiam cujuscumque generis, omnem alienigenarum incursionem: omnem perversitatem et nequitiam, omnem inimicitiam et iram, plagas omnes et rebellionem. Auge Domine, per misericordiam tuam, et amorem erga homines tuum, omne bonum perfectum, omne gaudium pacificum, omnem exultationem et quietem, unanimitatem et concordiam, omnem castitatem et puritatem, benignitatem et unionem, ut unitati tuae sublimi prae omnibus, offeramus gratiarum actionem, qualis gloriae tuae debetur; adorationemque, qualis decet essentiam tuam et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo vivo et sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine populi tui qui stat nobiscum, et deprecatur nomen tuum, prae omnibus purum. Suscipe has oblationes, quas obtulerunt tibi, confidentes, quod per orationes nostras humiles acceptabuntur. Suscipe eas ab illis Domine, per amorem erga homines tuum, ut non auferatur spes adorantium te: et eorum etiam qui voluerunt offerre, sed facultatem non habuerunt. Exple indigentiam eorum, per amorem tuum erga homines.

Sacerdos elevans vocem. Et ut fratribus illis nostris praesentibus, et nobiscum stantibus, clementiamque tuam omnibus praesentem deprecantibus, suscipiendo vota, oblationes, primitias et decimas eorum, ignoscas praevaricationes suas et nostras, stabiliasque illos benigne et pacifice, avertasque ab illis per deprecationem eorum qui faciunt voluntatem tuam, omnem iram, et afflictionem, omne bellum et dissidium, caedem et dolum, dissensionem omnem et rebellionem, seditionemque perniciosam; omnem reatum quo conscientia turbetur: commutes autem Domine per curam tuam omnipotentem, pro ira

tranquillitatem, pro bello habitationis frequentiam: pro caede, pacem altam; pro seditione quietem; pro divisione concordiam: ut omnes conjunctim, hymnos offeramus tibi cum diligentia, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine cujuscumque Regis fidelis, qui amplectitur veritatem tuam, curamque habet populi tui fidelis. Benedic haereditati ejus, bonorumque abundantiam praesta in ejus imperio, et in quacumque regione. Memento Domine rectorum, principum, et autoritatem habentium, qui conservant religionem tuam, et faciunt voluntatem tuam; et averte plagas furoris in diebus eorum, ut cognoscant te salvatorem esse omnium qui in te sperant.

Sacerdos elevans vocem. Sapientes illos effice Domine ad observationem legis tuae, et ut sequantur viam et exemplum, regum, et principum Orthodoxorum. Comprime etiam Domine bella et praelia quae terram infestant, in diebus eorum. Da illis ut cogitationes habeant pacificas, et concordia tua pacem illis inspiret: compesce scandala et dissidia, ne oriantur inter eos, et illustra animos eorum luce veritatis tuae. Da illis Domine prudentiam secundum quam regant populum tuum habitantem in ditionibus eorum, et a malitia, atque dominatione duriore et aspera libera nos. Aufer etiam cogitationes perniciosas eorum qui saeve nimis regunt populum tuum, ab haereditate tua: libera nos quia in te speravimus, et salva nos qui confitemur nomen tuum; et simul gratias agemus, adorabimus, et laudabimus nomen tuum sanctum, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine et praesta memoriam bonam, Matris unigeniti tui sanctissimae, et beatae Mariae, Joannis Baptistae, Prophetarum et Apostolorum qui fecerunt voluntatem tuam, Martyrum sanctorum et Confessorum, et eorum omnium qui propter nomen tuum afflictiones sustinuerunt, praecipue vero Stephani et reliquorum qui persecutionem et calumnias passi propter amorem tuum, agonem et certamen obierunt. Suscipe Domine oblationes eorum, qui ad illorum orationes confugiunt, per multitudinem gratiae tuae.

Elevans vocem. Convertere Domine de excelsis coelorum tuorum sublimibus, quae adorantur ab omnibus, et adjuva eos omnes, qui ardenter exposcunt auxilium per preces eorum. Exaudi deprecationes eorum pro terra habitabili: responde petitionibus adorantium te,

qui auxilii petendi causa veniunt ad thesaurum ossium eorum, qui effuderunt sanguinem suum purum, tanquam oblationem acceptabilem coram te: qui bajulaverunt crucem Filii tui, et in semitis rectis imitati et secuti sunt vestigia ejus; qui pignora bona et tanquam depositum praeclarum orbis fuerunt, ad saeculum quod non transit: quorum orationibus, vota, primitias et decimas adorantium te susceptum iri confidimus; quae nunc cum timore et reverentia tibi offeruntur ab Ecclesia tua salvata per nomen tuum sanctum: salvans nunc eos per orationes eorum a praesenti calamitate, ab omni impetu noxio, ab omni infirmitate, et corruptione, dolore, aegritudine, caede, dolo, fame conturbationem inducente, morteque perniciosa, ab omni rebellione intolerabili, et a saevitia daemonum apostatarum, a caede, et afflictione: quae omnia propter peccata nostra nobis superveniunt; et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Patrum Orthodoxorum, qui a Petro [6] Apostolorum Principe ad hanc usque diem vestigia Apostolica secuti sunt, domos Ecclesiasticas firmaverunt, praeceptaque Evangelica custodierunt et perfecerunt, et super petras petrinas fundaverunt Ecclesiam tuam: Praecipue autem trium 7 Synodorum sanctarum, et eorum qui primarii in illis fuerunt; ut etiam eorum qui deinceps illorum exemplo per fidem rectam illustres fuerunt, Athanasii, Dionysii, Caelestini, Cyrilli, Dioscori, Julii, Joannis, Jacobi, Gregorii, Dioscorique junioris, reliquorumque quos commemoramus, memento, et quietem illis praesta.

Elevans vocem. Eorum qui tanquam columnae veritatis, erexerunt et confirmaverunt Ecclesias tuas sanctas, qui portaverunt pondus diei et aestum: qui athletice certamina praeclara ediderunt religionis causa: qui totum orbem doctrina sua divina illustraverunt: qui depulerunt omnes haereses falsi nominis, erroris, seductionisque plenissimas: qui lucernam fidei super candelabrum accenderunt: qui nullam terrenarum rerum sollicitudinem habuerunt, neque obliti sunt passiones salutares Filii tui: qui refellerunt abnegantes incarnationem Filii tui: et fontem vitae, susceptricem lucis et vitae genitricem Dei praedicaverunt, non quod ex ea initium divinitas acceperit, sed quod in ea essentia ejus habitaverit, et ex ea divinitas orta fuerit, propter quam vocati sumus filii tui secundum gratiam, o Pater coelestis; qui nos confirmaverunt in fide Orthodoxa, qua in te credimus, et absque

dubitatione viam regiam ambulaverunt, legesque rectas nobis tradiderunt: quorum orationibus acceptabilibus, avertas iram a populo tuo: et compescas seditiones a grege tuo, et omnia adversitatum genera quae nos circumdant. Cogitationes etiam eorum qui infensi sunt populo tuo depelle, et ad effectum ne patiaris pervenire, quia Deus es tu, qui vis omnium vitam, et tibi gloriam offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine per amorem tuum erga homines omnium animarum, patrum, filiorumque nostrorum, qui pridem obdormierunt, cum fide in te vera et Orthodoxa: sacerdotum purorum qui in te defuncti sunt; Diaconorum qui praeclare ministraverunt tibi, Religiosorum, lugentium, perfectorum, Magistrorum, et Doctorum Ecclesiae, Monachorum, Virginum, continentium et sanctorum conjugatorum: qui pudice ambulaverunt, peregrinorum et patria pulsorum, simul cum omnibus illis qui pure vitam suam finierunt, et in fide Orthodoxa defuncti sunt.

Elevans vocem. Eorum qui pie, et decenter sacerdotio functi sunt coram te, et caste ministraverunt tibi: qui populi tui quietem sacerdotii sui divini functionibus promoverunt, et temporalis alimenti distributione: qui Ecclesiae filios doctrinis rectis instituerunt, et confirmaverunt eos in fide Orthodoxa: qui vitam suam profuderunt in religiosa exercitatione, vitaque solitaria: neque de te dubitantes, animas suas nihili fecerunt voluntarie propter regnum tuum: viceruntque et perfectionem consecuti sunt, moribus inculpatis usque ad finem conspicui. Qui secundum facultatem suam, habitationem temporalem conservaverunt, et sustentaverunt: qui Monasteria, et alia aedificia nomini tuo consecrata fundaverunt et stabilierunt: qui mores inculpatos in Ecclesia tua exhibuerunt: casteque vixerunt, et fructum bonum tibique placentem obtulerunt, filios suos in sacrificium voluntarium nomini tuo, fidemque sinceram ipsis transmiserunt, velut paternam haereditatem: illos qui tanquam advenae in mundo versati, et pauperes spiritu facti fuerunt, secundum sermonem tuum, in regno tuo fac quiescere. Omnibus etiam illis, propter quos destinata est haec oblatio, et quorum commemoratio coram te facta est, simulque illis quorum non meminimus, tanquam Dominus bonus: quietem praesta, parce et dimitte, aufer et dele Domine, insipientias illorum et nostras, non revocans in memoriam humanos defectus gregis tui; quia nullus homo super terram fuit liber a peccati sordibus, nisi qui

natus est ex sinu tuo, et germen substantiae tuae, qui apparuit ad nostram similitudinem super terram absque peccato, et factus est homo ex nobis, per gratiam suam. Et idcirco ad placationem tuam offerimus Domine passiones voluntarias, immeritas, et salutares agni vivi qui immolatus est pro salute nostra, unigeniti Filii tui, per quem nos quoque misericordiam speramus, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Quietem praesta et parce Domine, aufer et dele delicta et insipientias gregis tui, et dimitte defectus eorum, qui sperant in te, voluntarios sive involuntarios, notos et ignotos, occultos et manifestos, praeteriti et insequentis temporis. Ad te Domine clamat grex tuus, et ad te postulat veniam praevaricationum suarum, quae post baptismum et mundationem commissae, animabus nostris maculam aut labem impresserunt. Da nobis Domine ut pure occurramus vultui pacifico tuo, et praesta nobis fiduciam absque confusione, coram solio tuo tremendo et metuendo: utque excusationem habeamus in die tuo, in quo laetabuntur pii et justi, exultabunt Prophetae et Apostoli tui; gloriamque consequentur qui fecerunt voluntatem tuam: tristitia vero obruentur iniqui, et immisericordes poenitentia tangentur. Praesta nobis Domine finem Christianum, misericordiae a te exhibitionem, et ut digni efficiamur sorte beatorum illorum qui tibi servierunt, neque repellamur ab ostio regni tui. Et sicut in omnibus adjuvisti adorantes te, non privemur remissione insipientiarum nostrarum; ut omnium causa et propter omnia glorificetur in nobis nomen tuum sanctum, simulque Domini Dei Salvatoris, et vivificatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Angelus, etc.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater, Domine omnium, a cujus nutu pendent creaturae et omnia quae in eis sunt: qui mentes supernas, plenas splendore

majestatis suae, et agmina media illustrat radiis substantiae suae: ordines quoque inferiores ditavit lumine divinitatis suae, cujus majestatis gloriam enarrant coeli coelorum, et mundi superiores, divites gloria absconditae naturae suae. Tu Domine Deus noster adoraris, et imperium habes super omnia: timendus es, laudandus, absconditus, et incomprehensibilis, infinitus, inenarrabilis; excelsus et sublimis; bonus et longanimis: spes vera omnium creaturarum. Placuit tibi Domine, ut etiam super mundum alterum et sensibilem, extenderes spiritualiter splendorem tuum, repleresque illum muneribus tuis divinis, imaginemque tuam corruptam et nihili factam innovares, et ad locum suum pristinum reduceres, amanter agens erga homines, germen ex sinu tuo, et splendorem ex fulgore tuo, illum directorem misisti, et nos a corruptione salvasti: qui naturae nostrae factus particeps in omnibus, absque ulla culpa permansit, viam naturae purgavit, et naturaliter gradatim crevit: operatus est virtutes admirabiles; doctorque universae naturae nostrae extitit, divino et inexplicabili modo. Qui per amorem suum erga homines, divinitate sua nos replevit, et absconditae naturae suae fecit nos participes. Viam vitae demonstravit nobis: semitas a scandalis liberas paravit nobis, et ab apostata illo, qui prostravit nos aliquando, salvavit; orationemque ad Patrem docuit nos. Domine rogamus, ut abstergat ora, labia, mentes et aures omnium nostrum, ut cum fiducia et caritate quae te decet cum clamore dicamus eam, elevemusque animos nostros ad te deprecabundi, respondeamusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. O benigne et longanimis, Domine, Pater noster qui es in coelis, sancte et sanctificator omnium: da nobis ex Sancto Sanctorum tuo, ut sanctificetur in nobis nomen tuum magnum: et adveniat regnum tuum ad auxilium nostrum; executioni mandetur in nobis voluntas tua bona, sicut in coelis a virtutibus supernis perficientibus voluntatem tuam, quaeque sanctificant essentiam tuam; ita terreni et defectibus obnoxii, supernis agminibus similes fiant, quantum licet: et perfice atque fac in nobis voluntatem tuam. Da nobis panem quotidie nobis necessarium, toto spatio vitae nostrae transitoriae et fluxae. Dimitte delicta nostra et parce peccatis nostris, quae impie per nequitias nostras commisimus, sicut dimittimus debitoribus nostris, quae insipienter in nos admiserunt, sive scienter sive

ignoranter; neque inducas nos in tentationem, quae vires nostras superet et excedat: sed libera nos a malo, qui quacumque hora anhelat perniciem nostram; quia tuum est regnum et tua est victoria, adversus regnum quod cogitat de perdendis filiis regni tui. Rursum etiam e regno tuo contere et disperde virtutes inimicas quae sitiunt sanguinem adorantium te: per virtutem tuam fortem eas ejice et dissipa: ut ad gloriam tuam hymnum purum, castum et sincerum ab omni labe, offeramus tibi, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Diaconus. Ante.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram te Domine inclinant servi tui colla sua, quia expectant donum coeleste. Tu autem bone qui plenus es misericordia, solusque benignus, exaudi cito preces illorum, et corona illos corona gloriae immarcescibilis: illustra mentes et animos eorum luce scientiae tuae, et da illis etiam ut agnoscant majestatem latentem in Sancto Sanctorum tuo. Ne in hora convenienti subtrahatur ab illis salus, et mundatio animarum illorum. Suscipe a nobis infirmis deprecationes istas quas pro illis hoc tempore offerimus tibi. Da illis etiam ut pure et absque macula communicent corpori et sanguini Christi Dei Salvatoris et vivificatoris nostri, quod tenemus tanquam vitae pignus, fiduciam habentes quod illius participatione depellentur iniquitates et insipientiae nostrae: quodque velut materiam fluxam, ardore suo eas consumet et rejiciet; animasque nostras, tristitia obsessas inflammabit amore nominis tui, replebitque illas gaudio et exultatione. Da nobis etiam nunc ut oculorum aciem levemus ad sublimia tua, et agnoscamus amorem tuum erga nos homines, inexplicabilem, inenarrabilem, et infinitum, omnipotentem, ad omnia extensum: omnibusque sublimiorem Dominum omnium, et regnantem super omnia, ut ei nunc et quacumque hora gratias agamus, hymnosque indesinenter offeramus tibi, Deus Pater, unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Gratias agimus, adoramus, laudamus, et exaltamus te, qui es aeternus, et absconditus, qui dignos dono hoc admirabili, et incomprehensibili nos fecisti, quo unxisti, et abstersisti animas adorantium te, et a corruptione, et perditione, quae per separationem a te acciderat, nos liberasti, vocastique nos: adjunxisti ad te et lumine cognitionis tui implevisti corda nostra. Praesta nobis, ut extra omnis ruinae periculum perpetuo vivamus in te, et quacumque hora appareamus coram te puri et absque macula. Da nobis quoque ut participatio haec corporis et sanguinis Christi unigeniti Filii tui fiat nobis ad emundationem, et purificationem, non ad accusationem aut confusionem nostram. Da etiam nobis ut omni tempore vitae nostrae, perpetuo sacrificia gratiarum actionis offeramus coram te, et semper in domestica familiaritate tua et consistentia apud te, contineant nos quodammodo mysteria haec vivifica: ut ad partem illam apud te separatam, ad unam aequalemque concordiam nos adducas, et tecum regni tui participes facias, referamusque tibi gloriam, et laudem, et unigenito Filio tuo et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tibi Domine et Deus noster adorande, gratias agimus, nomenque tuum excelsum prae omnibus, adoramus et glorificamus, gratiarumque actiones quales oportet, tibi reddimus, non secundum munera tua erga nos, sed secundum virtutem nostram. Confitemur autem quod omnia quae habemus aut possidemus, ex tuis sunt, et in te movemur et sumus. A te firmatur abundantia vitae nostrae: a te animae et corpora nostra sunt, quando quidem creata sunt: ac per te constituta, et conformata est omnis naturae nostrae compages. Haec per voluntatem tuam, voluntati nostrae quam creasti, tanquam custodi domestico tradidisti, ut quocumque vellet conversa, arbitrio suo libere moveretur. Hanc igitur voluntatem nostram motumque nostrum, et cogitationes nostras ad te, qui habitas

in coelis elevantes, sacrificium indivisum, ex tuis, tibi offerimus. Convertere Domine ad clamorem adorantium te et benedic populo tuo qui coram te inclinatus est, et benignitatis tuae particeps fuit. Simul etiam Deus noster adorande, petimus ut non convertas festos nostros dies in luctum, neque pompas solemnes nostras in cantica ejulatus. Constitue Domine absque labe coram te, Pastores qui nobis praesunt, veraces et rectos in lege vitae tua: Sacerdotes, et qui ministerio sacerdotali funguntur coram te rectos, orna omni religioso timore, ad sacerdotium exercendum coram te requisito: Diaconos purifica et sanctifica, ut caste in atriis tuis ministrent. Senes mansuetos redde, et benigne aspiciens, effice ut unusquisque mores eorum inculpatos imitetur. Adolescentibus tanquam paedagogus esto, et per continentiam adduc eos ad te, per scientiam dignam nomine tuo; eosque a scandalis libera. Virgines custodi et conserva a dolis, et scandalis: parvulos crescere jube: infantibus benedic, eosque a maligno invidoque adversario libera. Mulieribus modestiam, Viduis alimenta tribue, necessitatem habentes sustenta, pauperes et famelicos satia. Ordines Nazaraeorum et Monachorum qui se voluntariae paupertati addixerunt propter regnum tuum, quiescere jube in regno tuo. Divitibus qui separant partes opum suarum, decimas, oblationes et primitias ex domibus suis, ad pauperum et egenorum sustentationem, januam regni tui aperi, et a divitiis transitoriis, ad eas quae non deficiunt, transfer. Lectores et Psaltas Ecclesiae tuae Hosannae indeficientis concentibus adjunge, et a gloria ad gloriam transfer. Vinctos eripe, captivos libera, infirmos visita, aegrotos sana, invidos compesce: eos qui invidiam sustinent propter nomen tuum, serva: poenitentes suscipe: exaudi illos qui invocant te; unicuique auxilium necessarium secundum mores, et vitae conditionem tribue: ut ab ore omnium nostrum qui custodimus veritatem tuam, gratiasque agimus bonitati tuae, hymnum, soli, solum unitati tuae offeramus, et per te Deo Patri tuo gratias agamus, et Spiritum sanctum adoremus nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos benedicit, etc.

IN LITURGIAM DIOSCORI EPISCOPI GORDIAEORUM

NOTAE.

1. *Dioscori Episcopi Insulae Cardou.*

De autore istius Liturgiae nihil praeter nomen scimus: sed Jacobitam fuisse constat ex eo Diptychorum loco, ubi memoria fit *trium Synodorum oecumenicarum*, scilicet exclusa Calchedonensi, cui Monophysitarum sectae variae, anathema dixerunt, qua in pertinacia Jacobitae perseverant.

Quae sit Insula aut Peninsula *Kardou*, aeque obscurum est. Vox quidem *Kardou* a Syris, et aliquando ab Arabibus usurpata est ad significandam Montanam illam regionem Armeniae circa montem Ararat, ubi Arca Noë post diluvium requievisse legitur Geneseos c. 8. v. 4. Eo loco Onkelos montes Ararat, vertit, *montes Kardou;* quos multi viri docti *Gordyaeos* interpretantur: et *Carduchos* de quibus veteres Geographi scripserunt, et quos Curdis originem dedisse verisimile est, plerique illa in regione collocant. Quamvis autem magna nominum mutatio longo saeculorum decursu, limites Armeniae, et vicinarum provinciarum valde confuderit, qualitercumque appellatae fuerint, Christianorum plenas olim fuisse illas certissimum est: et ad Antiochenam sedem pertinuisse, non modo Notitiae veteres, sed Acta Ecclesiastica multa demonstrant. A Muhamedanarum rerum initiis, cum pauci illic admodum Orthodoxi Graeci superessent, Syri Jacobitae in eas effusi, Catholici dignitatem, quae sub Justiniano videtur instituta, in unum ex Episcopis Antiocheno Patriarchae subjectis contulerunt, quem *Mofriano* appellaverunt, ejusque sedem in urbe Takrit satis celebri, constituerunt. Talis inter suos fuit Gregorius, cognomine Abulfaragius: de quo plura dicta sunt in observationibus ad illius Liturgiam. In vetusto exemplari dicitur fuisse *primas in Montana Armenia:* et in ista Dioecesi fuit quantum conjici potest Episcopatus ille *Cardou*. Quisquis tandem ille fuerit, agnosci in hac ejus Liturgia potest, linguae Syriacae magna peritia, et Theologiae facultas non mediocris: tum testimonia fidei Jacobitarum de vera corporis et sanguinis Christi in Sacramento praesentia, tam perspicua occurrunt, ut nullam Protestantium *παρερμηνείαν* admittant. Extat illa in multis et antiquis Codicibus, ita ut de ejus apud Jacobitas autoritate dubitatio esse nulla possit.

2. *In ea nocte qua paratus erat ad patiendum.*

Quod Graeci et Latini vix et rarissime fecerunt, in variis quas ediderunt Liturgiis, ut verba Evangelica ad Eucharistiae institutionem spectantia,

fusius exponerent, id Syri frequentissime fecerunt, ut autor istius Liturgiae, aliorum exemplo. Addidit autem quod ex Evangelio non habetur, sed ex traditione a multis sanctis Patribus confirmata, Christum Sacramento quod instituebat communicasse; idemque observatur in Liturgiis Alexandrinis, in Nestorianis, et in aliquibus Syriacis Jacobiticis. Omnes secundum Evangelistas et Paulum Apostolum habent *quod pro vobis et pro multis frangitur*, et *pro vobis et pro multis effunditur*, nullae ferme ut hic legitur, *pro vita mundi*. Sed extant integra Christi verba, *Hoc est Corpus meum*, et, *Hic est calix sanguinis mei*. In uno Codice deerant in forma calicis consecrandi haec verba. *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis effunditur;* peccato potius librarii praetermissa, quam certo consilio, cum in altero ejusdem Liturgiae exemplari exstent, unde illa supplevimus. Sane in paucis illis Liturgiis quae verba Christi omittunt, in utraque forma desiderantur, non in alterutra. Paraphrasis sequentium verborum, *quotiescumque feceritis*, si non accurate cum Evangelistis convenit, at perspicuam continet fidei de Eucharistia confessionem, quae si quid obscuritatis in illis verbis foret, plene discuteret, dum quod Christum Apostolis denuntiantem repraesentat Liturgiae autor, omnibus ad Ecclesiam suam spectantibus Christianis praedicare intelligendus sit.

3. *Ut adveniens requiescens, et illabens super mysteria haec panem quidem transmutet in Corpus Dei nostri, etc.*

De significatione vocum, quae in hac oratione frequentius a Christianis Orientalibus usurpantur in observationibus ad alias Liturgias dictum est, quantum satis erat: notumque diversas illas, *veniat, illabatur, requiescat, obumbret*, eodem sensu usurpari: aliquando unam, plures saepius, sed sententia semper eadem. Illa est, adventus Spiritus sancti precibus Ecclesiae postulatus, nempe effectus aliquis supra naturae ordinem, insigneque miraculum: ut requiescat super dona proposita, hoc est, ut in illis operetur illud, mirabili illapsu et obumbratione sua, quemadmodum in sanctam Virginem superveniens Incarnationis mysterium in ea mirabiliter perfecit ut docent omnes Orientales Theologi, cujuscumque sectae. Cum vero in sequenti orationis parte effectus ille mirabiles significetur, voces varias in Liturgiis Syriacis observamus, quarum nulla integram rei mutationem non significat; si unicam excipimus quae est ܐܘܕܝ respondentem Graecae *ἀναδεῖξαι*. Istam porro idem significare ac τὸ *ποιεῖν* probatum est, atque adeo vox Syriaca eodem modo interpretanda est, ut complures aliae Graecae originis, non modo in stilo Ecclesiastico, sed in omnibus prope disciplinis, quas Syri sua lingua explicaverunt. Verba autem quibus utuntur ad significandam transmutationem, vulgo respondent Graeco *ποιήσῃ faciat, efficiat:* aliquando *τελειώσῃ perficiat:* in nonnullis ut in ista, quid per ea verba intelligendum sit exprimunt per ܫܚܠܦ quae vox respondet Graecae *μεταβάλλειν*. Ea occurrit in sola ex Graecis, Liturgia Chry-

sostomi, ex qua verisimile est migravisse in Syriacam Nestorio tributam, cum is Constantinopolitanae Ecclesiae disciplinam, ut illius urbis quondam Episcopus, ad suae sectae homines facile transferre potuerit. Dioscori igitur, istius officii autoris testimonio constat, dona proposita fieri corpus et sanguinem Christi, non per fidem suscipientium, sed per transmutationem, quam esse rei in rem, et substantiae in substantiam perspicue docent Jacobitarum Theologi. Quae sequuntur eadem prope verba sunt quibus Coptitae, Syris in fide conjunctissimi, uti solent in eximia illa fidei Confessione, quam pronuntiant ante Sacramentorum distributionem.

4. *Hoc est corpus et sanguis Christi Dei nostri, etc.*

In Liturgia Syriaca Jacobi et in aliis prope omnibus, post orationem praecedentem, quae veritatem corporis et sanguinis Christi tam enucleate inculcat, Populus subjicit. *Amen:* qua sola voce continetur approbatio eorum quae mox a Sacerdote pronuntiata sunt, et quae in veteri Ecclesia sufficere judicabatur, cum Sacerdos, vel Diaconus diceret, *Corpus Christi.* In ista vero singularis est prolixior, confessio circa illud mysterium, quae in Eucharistia Christum praesentem agnosci testatur, non modo ut hominem, sed ut Deum: et id Jacobitis familiare, ut ex variis testimoniis quae alibi retulimus, manifestum est. Quae vero istius confessionis causa fuerit, etsi alia quam plenitudo fidei de Eucharistia, quaeri non posse videatur, est tamen altera, nisi fallimur maxime verisimilis. Dionysio Barsalibio teste dicebant Nestoriani, *non suscipi in Eucharistia corpus Verbi Dei, sed hominis et Mariae. Nos autem*, inquit, *dicimus, esse Verbi Dei, ut testatur Paulus his verbis*, qui manducat corpus Domini, et bibit ejus sanguinem: *et mox*, non dijudicans corpus Domini. *Ecce corpus et sanguinem Domini vocat illud, non hominis. Itaque corpus et sanguinem Verbi Dei suscipimus*, quod fusius deinde exponit, et illis verbis quae cum ista oratione maximam habent similitudinem. Dioscorus si ut diximus hujus Liturgiae autor, Curdis Episcopus fuit, in ea regione vixit, quae Nestorianis plena erat: olim enim Orthodoxos et Jacobitas in ista vicinisque provinciis numero et autoritate superabant. Ut igitur suos Jacobitas ille muniret adversus talem Nestorianorum opinionem, de qua tamen vix simile quidquam alibi legitur, istam confessionem Liturgiae suae inserendam judicavit.

5. *Qui veniunt ad thesaurum ossium eorum.*

Insignis locus de veneratione reliquiarum, quae summa est apud Orientales ex veteri disciplina. Inde in vicinis regionibus celebris fuit Martyropolis, Syriace dicta *Beït-Garmé* quasi *Ossuarium*, unde Nestoriani fecerunt *Bajermi* Arabice scribentes: ibique Metropolin propriae sectae constituerunt.

6. *A Petro Apostolorum Principe.*

Quia Gordyaena erat in Dioecesi Antiochena, cujus Ecclesiae Petrus fundator.

7. *Trium Synodorum Sanctarum.*

Nicaenae, Constantinopolitanae primae, et Ephesinae, praeter quas Jacobitae nullas agnoscunt: nec aliarum memoria fit in Diptycho Ecclesiae Alexandrinae Jacobiticae.

Reliqua ex observatis ad alias Liturgias plana sunt.

LITURGIA

JOANNIS I. PATRIARCHAE ANTIOCHENI,

QUI PRIUS VOCATUS EST JOANNES FILIUS MAADNI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater qui es aeternus, necessarioque existens, qui per effusam bonitatem beatam tuam, omnibus ineffabiliter das ut sint; hominem autem primum qui per inobservantiam legis tuae vivificae, ex vita in Eden immortali exciderat, de novo creasti, et liberum ab omni labe corruptionis iterum exhibuisti, divina plane ratione, atque ad gradum honoris pristinum per exinanitionem voluntariam unigeniti Filii tui reduxisti, per amorem erga homines. Tu Domine etiam nunc, innova in nobis imaginem amoris tui, qui est fons pacis et origo omnis benignitatis: libera quoque nos omnes servos tuos et adoratores tuos, ab odio misto felle serpentis illius homicidae: et da nobis, ut cum tranquillitate concordi, pace non ficta, et unione indissolubili, amplectamur invicem in osculo sancto, quod conveniat

legibus divinis tuis, et referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Sacerdos. Demitte dexteram tuam plenam misericordia Domine,. qui in altis habitas et humilia respicis, et benedic istos servos et adoratores tuos, qui nunc corde contrito, et cum animi dejectione, colla sua inclinaverunt coram altari tuo sancto: et staturam spiritualem animarum omnium nostrum qui incurvamur sub oneribus gravissimis peccatorum, extende, et erige eam brachio tuo forti et invisibili: ut ad habitaculum illud beatum unde per iniquam nostram inclinationem egressi sumus, revertamur, veniamusque et habitemus imperturbabiliter, atque domestice quam maxime, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. A te enim Pater luminum, et Deus veritatis, venit et fluit omne donum bonum, et perfectum: qui a principio genus nostrum humanum per potentiam majestatis tuae ex nihilo eduxisti, quod etiam magisterio domus, et disciplina legis tuae divina ornasti, et instituisti, ut non illiberaliter, nec praeter rectam morum instituendorum regulam mentem tertiam conservaret, in dignitate mentibus secundi ordinis competente, quae primae mentis sunt ministrae. Verum cum homo muliebri palpatione, ad ea quae humi serpunt declinans, se illis implicuisset, non sustinuisti ut opus manuum tuarum, per improbitatem maledicti illius, rebellaret, sed magno erga homines amore, unigenitum Filium tuum misisti personaliter, ad salutem imaginis tuae. Etiam ex illo infirmitatis exilio in quo jacebat eduxisti eam: imo concessisti ei per gratiam tuam ut divina fieret: quod polliceri sibi nusquam ausa fuisset et mysterium hoc magnum quod absconditum fuerat a mentibus omnium quicumque facti sunt, mundo revelasti, per incarnationem Christi tui. Deprecamur itaque te Domine multae misericordiae, ut non propter iniquitates nostras, prives nos communione horum mysteriorum sanctorum et coelestium, sed concede nobis Domine per eorum susceptionem, custodiam Angelicam, affluentiam benedictionum, veniamque praevaricationum, ut pure et laete referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas, etc.

Sacerdos inclinatus. Tibi enim vere debentur laudes et adorationes ab omnibus, Deus, qui omnibus quod sunt tribuis, et vis vitam omnium.

Elevans vocem. Abditam excellentiam tuam Domine, laudant et exaltant naturae omnes intellectuales, et sensu praeditae: terra et omnia quae super eam sunt: orbes coelestes cum luminaribus suis coelestibus, mentibusque gloriosis eos dirigentibus: substantiae simplices et carbonibus immaterialibus tectae, summum ardorem tuum extollunt: legiones ignitae flamma vehementi succensae, fortitudinem tuam potentem celebrant: ordines Angelorum, et Archangelorum cantibus suis suavibus majestatem tuam ineffabilem explicant. Principatus et Potestates carminibus suis nitidis, potentiam tuam omnipotentem extollunt. Throni et Dominationes, praeclara ordinatione sua, majestatem tuam omnia moventem glorificant. Virtutes, mentium captu superiores, vocibus terribilibus jubilorum suorum, quod nutu eos condideris canunt. Militiae coelestes tubis ignitis laudes tuas intonant et concinunt. Cherubim multi oculi, qui dorsis suis, fulguribus, tonitrubusque validis, fortitudinem tuam ferunt, te benedicunt. Seraphim sex alis instructi, labiis perfectionis regulam concinentibus, et terribilibus, te sanctitatis totius fontem sanctificant, volatu levi et circulari unius ad alterum incessanter trinas sanctificationes una voce canentes, clamantes, vociferantes, et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus et benedictus es, atque fons totius sanctitatis, qui cum vidisses genus nostrum per transgressionem mandati in corruptionem delapsum, Verbum unigenitum Filium misisti propter salutem nostram: qui incarnatus est ex Virgine sancta, et factus est homo sicut nos; Deus permanens in natura sua, impassibili et immortali, et figmentum nostrum renovavit atque reformavit.

Elevans vocem. Cum vero figuras, umbrasque legis veteris perfecisset et complevisset in se ipso, tanquam utriusque Testamenti Dominus, voluissetque velum typicum, quod per prophetiam erat, auferre coram oculis coetus Apostolici, et corpus illud verum, quod obscure olim et quasi e longinquo praefiguratum erat, illud ipsum testaretur excellenti quadam ratione esse in proximo; in ea nocte,

quae destruxit noctem peccati et mortis; ea ipsa qua celebraturus erat sacrificium hoc religiosum, tanquam sacerdos, pro expiatione totius mundi: accepit panem in manus suas sanctas, quae mundum creaverunt, et levavit vultum placidum, ad excelsa coelorum ad Patrem, gratias agens, benedixit, † sanctificavit, † fregit † [2] comedit, deditque coetui Apostolorum sanctorum et dixit: Accipite, edite ex eo, Hoc est corpus meum verum, quod pro vita et salute totius humani generis, frangitur et datur ad expiationem delictorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita etiam calicem miscuit vino et aqua mystice, postquam refecit eos in mensa vitae, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit turmae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus vivus Testamenti Novi, qui effunditur pro salute totius mundi, et eos qui credunt in me praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et iterum admonuit eos dicens: quotiescumque congregabimini, et Eucharistiam hanc frangetis, commemorationem mortis meae voluntariae, et resurrectionis agetis et renovabitis, neque in oblivionem abire sinetis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos. Oculos igitur mentium nostrarum circumferentes in periodum praeclaram dispensationis tuae salutaris propter nos, Christe Deus noster, admiramur et stupemus, atque quantum possibile est infirmitati naturae nostrae, adoramus, gratias agimus et glorificamus. Praeterea etiam adventum tuum secundum terrore plenum commemoramus, quando ex oriente coelorum tuorum excelsorum, sicut fulgur validum exorieris, et habitatores orbis, per summam fortitudinem tuam contremiscere facies, quando coeli, nutu levissimo tuo tanquam volumen complicabuntur, et coelestis orbis in conturbatione magna, a veloci motu suo consistet: quando astra ex splendore maximo radiorum tuorum obscurabuntur et tenebrescent: elementaque sibi contraria in nihilum uno impetu corruent, et decident: quando montes ab indignatione tua fugient, et corpora dura et quae vix dividi possunt, tanquam cera coram ardore tuo dissolventur: quando tubae resurrectionem terribiliter clangent, et sepulcra aperientur, corporaque in eis posita emittentur: quando infernus mortuos in illo seminatos

ejiciet, atque Angeli festinabunt ad separanda tritica a zizaniis: quando gehenna ardebit, sed non illuminata: vermisque poenitudinis rodet acerbissime, et absque fine: ut in illa hora, in qua nullus erit misericordiae locus, Domine plene misericordia, benignitas tua non deficiat erga populum tuum et oves pascuae tuae, neque in ira avertas faciem tuam a nobis. Ne projicias nos omni spe destitutos, propter iniquitates nostras: non praevaleant stagna peccatorum nostrorum, mari magno misericordiae tuae: ne gemamus in supplicio, et non sit qui misereatur, ne defleamus amare, et non sit qui consoletur. Non ligentur ignitis vinculis linguae laudantium te: neque tradantur saevis cruciatibus, qui passionibus tuis salvati sunt: non priventur auxilio clementiae tuae, qui vocati sunt a te ad nuptias tuas. Ne devoret ignis eos qui comederunt corpus tuum sanctum: sitis non excruciet eos qui biberunt sanguinem tuum pretiosum: nec flamma [3] tangat corpora signata Chrismate tuo venerando et sancto. Rationem habe nobiscum Domine, quod colaphis caesi, contemti et persecutionem passi sumus a populis alienis propter nomen tuum sanctum. Ne [4] abneges nos qui non abnegavimus te: confitere nos in die judicii tui, quia confessi sumus te: ne pudeat te de nobis, quos non puduit exinanitionis tuae, ne confusione afficias nos coram solio tuo. Propter haec atque similia Ecclesia tua, et grex tuus poenitendo deprecantur te Domine, et per te atque tecum Patrem tuum dicendo.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit [5] *Invocationem Spiritus sancti.*

Miserere mei Deus, et mitte gratiam Spiritus sui sancti, qui tibi consubstantialis est et coaeternus, qui per Prophetas locutus est, et Apostolis sapientiam tribuit, martyresque coronavit: qui in sinum purum Virginis sanctae descendit, et corpus formavit Verbo tuo, ejus socio, aequalisque secum naturae et virtutis: ut ipse ille descendat etiam nunc super haec mysteria, perficiat et sanctificet ea: meque infirmum carnisque et spiritus sordibus maculatum, mundet et purificet.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Tum ait. Et illabens, faciat panem quidem istum corpus sanctum Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod in calice est, sanguinem ejusdem Christi Dei nostri ut per unionem eorum sacramentalem, in animabus nostris: et corporibus, sint nobis ad emundationem a maculis, ad augmentum verae fidei, ad virtutem adipiscendam, et ad libertatem ab omnibus angustiis obtinendam, malorum depulsionem, bonorum abundantiam, benedictionum firmitatem, concordiae confirmationem, tranquillitatem laetam, sedulitatis incrementum: ad viaticum longi itineris: ad arrhabonem vitae venturae: et ad plenam securitatem absque confusione, coram solio tuo tremendo, et terribili: ut ab omnibus, per omnia et propter omnia referamus tibi gloriam etc.

Sacerdos inclinatus. Suscipe sacrificium hoc Domine pro universa Ecclesia tua sancta, et Orthodoxa: pro Patriarchis, et Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis et reliquis Clericis: pro me etiam infirmo, infecto, et percusso ulceribus peccati.

Elevans vocem. Ecclesiam tuam coronatam omni sanctitatis genere orna et illustra: Pastores et rectores ejus qui fideliter et sedulo praesunt eidem, sapientia et auxilio adjuva. Eos vero qui adversus eam contendunt, fortitudine brachii tui contere et dissipa: omnesque filios ejus sub alis misericordiae tuae congrega et protege: cunctos etiam servos et adoratores tuos ab omnibus angustiis praeserva et custodi: et referemus tibi gloriam, etc.

Sacerdos inclinatus. Ne propter iniquitates meas Domine rejicias oblationes has, quae manibus meis infirmis oblatae tibi sunt, sed suscipe eas per gratiam tuam, et fac memoriam bonam, omnibus qui illarum participes sunt, et eorum omnium qui optaverunt offerre sed facultatem non habuerunt; ut eorum omnium qui quocumque tempore et quacumque ratione curam habent Ecclesiae tuae sanctae.

Elevans vocem. Suscipe quoque per gratiam tuam decimas, primitias, et oblationes eorum qui cum fide vera eas separaverunt, et attulerunt ad Ecclesiam tuam sanctam. Praesta illis earum beneficio, commemorationem ad altare tuum coeleste, non manu factum: neque gemitus et obsecrationes deprecantium te despicias Domine, plene misericordia. Eos qui angustiam spiritus patiuntur, recrea:

lugentes consolare, afflictos conforta. pauperes et egenos vitae necessariis instrue: orphanos et viduas guberna: navigantes ad portum deduc, peregrinantibus comes esto; calumniam passos et captivos libera: oppressis et direptis auxilium et misericordiam exhibe: omnesque qui in necessitatibus aut periculis versantur eripe, per brachium tuum insuperabile. Eos qui a malignis spiritibus vexantur et infestantur, libera per potentiam tuam magnam. Eos qui subjacent violentiae iniquitatis, salva. Illis qui sunt in exiliis, et persecutionibus jactantur, esto curator et consolator: illis qui in carcere detinentur, et affliguntur, libertatem concede. Infirmos sana, eos qui male habent cura, confractos alliga, et nobis omnibus servis et adoratoribus tuis, praesta veniam et remissionem omnium praevaricationum: et unicuique auxilium, et quidquid utile esse potest modo et tempore convenienti, concede Domine, qui scis omnia et potes omnia, et tibi gloriam et laudem referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [6] omnium Regum fidelium et principum populi tui, qui curant, et adjuvant Ecclesiam tuam sanctam; et concede illis strenuitatem, atque victoriam de hostibus suis. Memento etiam Domine omnium, qui oppressi, persecutionem et necessitatem patiuntur, benedic aëri et coronae anni per gratiam tuam.

Elevans vocem. Et omnem altitudinem elevantem se adversus veritatem Ecclesiae tuae sanctae, deprime et everte per virtutem tuam insuperabilem. Lupos etiam spirituales, qui insidiantur ovibus gregis tui spiritualis, perde et disperge; atque ab omnibus plagis quas gravitas peccatorum nostrorum inducit super nos, salva populum tuum Domine: a bellis et persecutionibus: a fame et mortalitate: ab incendiis et submersione: ab adversitate, rebellione, injuriis et oppressionibus: a latrociniis, et fuga, exilio, et damnis: a crudelitate, a tentationibus, a flagitiosis et invidis hominibus: ab effusione sanguinis per gentes alienas. Neque propter peccata naturae nostrae fragilis, et fluxae, excludas a nobis juvandis auxilium tuum. Sed per illam misericordiam essentialem gratiae tuae divinae, pasce nos in pratis custodiae tuae, quia clementia tua super universos effunditur, tuque es auxiliator et refugium nostrum, tibique gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Mariae genitricis Dei semper Virginis, Joannis Baptistae, Apostolorum sanctorum, Evangelii annuntiatorum, omniumque Prophetarum, videntium, piorum et justorum: sancti Stephani, Martyrum, Confessorum, et omnium qui placuerunt voluntati tuae, ab Adamo ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Prophetarum qui penetraverunt abscondita; videntium qui futura significaverunt: Apostolorum qui veritates praedicaverunt: qui mysteriorum interpretes et illustratores rerum abditarum fuerunt: perfectorum qui viam sanctitatis sublimis calcaverunt: Martyrum et Confessorum qui effuderunt cum gaudio sanguinem suum pro amore tuo: Athletarum gloriosorum qui tradiderunt igni corpora sua, variisque suppliciorum generibus propter nomen tuum sanctum: solitariorum et religiosorum, lugentium, stylitarum eorum qui perpetuam virginitatem coluerunt, qui mundo vano et concupiscentiis ejus renunciantes, cucurrerunt post Evangelium Christi tui. Eorum memento Domine: et nos quoque per obsecrationes eorum exaudiri dignas, confirma et adjuva. Animas quoque nostras imbelles, per aemulationem eorum confirma, et inter agmina dilectorum tuorum, et ordines sanctorum tuorum, nos omnes constitue, ut cum eis et inter eos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine omnium Patrum, Antistitum, Doctorumque Orthodoxorum, praecipue vero Ignatii, Dionysii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Severi, Cyrilli, Ephraem, Jacobi, reliquorumque qui vestigia illorum secuti sunt.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Antistitum quoque et Pastorum probatorum, Doctorum Orthodoxorum qui a Spiritu tuo sancto inspirati sunt: eorum qui in coelo cubiculi splendidi sponsae a Salomone designatae, sponsi coelestis unigeniti Filii tui tanquam stellae fulgidae exorti, splenduerunt mirum in modum: eorum qui sole justitiae, qui radius aeternus e sinu tuo nullo tempore circumscriptus prodiit, illuminati, simul etiam rectis doctrinis suis, totum orbem habitabilem illustraverunt; qui radiis splendidis Theologiae suae Orthodoxae omnes gentes caligine erroris circumfusas, ad lucem deduxerunt, qui turres [8] Calaniticas, et aedificia stulte designata omnium haereseon delirantium destruxerunt et everterunt, per aggeres dogmatum veritatis: Qui hauserunt aquam ex fluentis paradisi et Evangelicis, atque irri-

gaverunt vineam spiritualem Christi tui; qui mundaverunt et purgaverunt agros praeclaros filiae Aramaeorum, sentibus et arbustis opinionum pravarum et impiarum; ut per orationes eorum acceptabiles, Domine animas omnium nostrum in fide orthodoxa eorum confirmes. Fac etiam nos dignos Domine ut sedulo, non negligenter, cum moribus inculpatis eam conservemus, et offeramus tanquam arrhabonem vitae novae ad extremum usque vitae spiritum; et referemus tibi gloriam indesinentem et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto nunc, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta Domine per hoc sacrificium, memoriam bonam Patribus, fratribus, et Magistris nostris, tam secundum corpus quam secundum spiritum et omnibus qui defuncti sunt in fide Orthodoxa ex hac urbe, ex quocumque loco, et regione: eorumque qui cum spe tua occubuerunt, in exiliis, peregrinatione, persecutionibus: in maritimis terrestribusque itineribus, et eorum qui quocumque casu pereuntes, vitam compleverunt temporalem suam, quorum memoriam agimus, et eorum quorum non meminimus. Memento illorum Domine omnium, ipsisque requiem praesta, quia tu es Deus omnium, et oculi omnium ad te elevati sunt.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Elevans vocem. Eorum qui cum spe vera, fiduciaque, et Orthodoxa in te fide ex vita hac temporali soluti sunt secundum sententiam ab aequitate tua constitutam, et ad te Deus tanquam ad causam primam omnipotentem et quae ut effectus eos eduxit ex nihilo, reversi pervenerunt, parce per misericordiam tuam, refer illos in numerum electorum tuorum: tege illos umbra lucida sanctorum tuorum; statue illos cum agnis ad dexteram tuam, et induc eos in habitaculum tuum; fac eos pervenire ad habitationes beatas regni tui; fac eos invitatos esse ad convivium tuum, et perduc eos ad regionem exultationis et laetitiae, ubi locus non est doloribus et angustiis, ubi passiones et suspiria non reperiuntur. Ne examines eos strictius, quandoquidem benignius agi secum postulant, propter errores quibus obnoxia est caro lutea et peccatrix: sed misericordiae tuae Domine, patroni pro nobis, et pro ipsis vice fungantur in hora illa terribili judiciorum, quia nullus inter omnes natos ex muliere fuit, qui mundum vicerit, et immunis fuerit ab omnibus carnis sordibus, praeter Salvatorem et Deum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem nos quoque speramus misericordiam consequi

et remissionem peccatorum quae propter eum est, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Peccata et maculas Domine, quae nos et ipsi secundum imbecillitatem naturae nostrae infirmae pronaeque ad crimina, nobis ipsis contraximus, voluntarie aut involuntarie, scienter vel ignoranter, parce et dimitte, tanquam Deus longanimis et multae bonitatis, et quandoquidem carne hac humili impediti sumus, et in mundo vano existentiae et corruptionis versamur, aufer et amove a semitis nostris omnes laqueos, et decipulas diaboli inimici nostri, et omnes adversitates quibus affligitur utraque vita nostra tam corporis quam animae, aufer a nobis: et sicut statutum est, ubi expulsi ad viam generalem transibimus; concede nobis finem Christianum et absque peccatis Domine, quando, ubi et quomodo tibi placitum erit. Tantummodo liberos effice nos et defunctos nostros a confusione coram solio tuo terribili et timendo, neque prives nos Domine visione tua divina, quae est regnum promissum omnibus sanctis: ut in hoc sicut in omnibus glorificetur, etc.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Tibi enim Deus, sol magne rerum intellectualium, et genitor splendidi solis justitiae, debentur omnes adorationes, et benedictiones coelestium et terrestrium: cujus beneficentiae sublimi visum non est, ut exiguus radius emanans a lumine tuo aeterno obscuraretur, per audaciam tenebrosi illius rebellis, misistique Verbum unigenitum Filium tuum, splendoremque gloriosum substantiae tuae, in fine temporum ad auxilium figmenti tui: qui in carne nostra humana visus est, et super terram secundum dispensationem conversatus est nobiscum, domum tuam mundam a diis obscoenis purgavit, atque collegit: imaginemque tuam regiam defossam sub passionum fimo, eruit et invenit, et mentes coelestes proximas antiquo lumini, participes

gandii illius generalis fecit, genusque rationale terrestrium a servitute mortis et satanae, brachio suo forti liberos praestitit. Filios tuos et fratres suos vocavit nos omnes et adscivit: ipseque per seipsum, calcans nobis viam ad vitam novam et immortalem, docuit nos ut preces et deprecationes offerremus majestati tuae gloriosae, pro salute nostra. Deprecamur igitur te Domine misericors, praesta nobis omnibus servis et adoratoribus tuis, ut cum conscientia pura, corde contrito et humiliato, labiisque impollutis, et cum fiducia qualis filios decet, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Quandoquidem dignos fecisti nos servos tuos, reos neque meritos, ut filii tui essemus, et nomen gloriosum paternitatis tuae excelsae super nos invocaretur, mitte regnum tuum ad auxilium nostrum et ab omnibus insidiis inimici, et machinationibus hominum sceleratorum, et implacabilium conserva nos: impugnationem quoque tentationum intolerabilium prohibe et depelle a nobis: neque permittas naturam nostram imbellem afflictionibus contumeliosis cum insultatione affici. Parce et dimitte per clementiam tuam omnes praevaricationes nostras humanas, quia virtus tua potest omnia, et tuum est imperium, et excellentia; tibique gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Diaconus. Ante.

Sacerdos. Coram te Deus Deorum, et Domine dominantium: quem exaltant ordines coelestes, inclinaverunt nunc servi tui colla animarum corporumque suorum, cum mentis humilitate, obsecrantes coram limine commiserationis tuae. Extende dexteram tuam plenam miserationibus Domine, et benedic congregationibus adorantium te, neque rejicias petitiones deprecantium te. Effunde super eos benedictiones tuas: abundantes fac eos donis tuis: divites eos fac muneribus tuis: multiplica erga eos auxilia tua; confirma eos virtute ad observationem mandatorum tuorum: perfice illos per communionem divinam sacramentorum tuorum, laetifica eos promissis tuis, ut nos omnes abstersi a sordibus peccati, puri et rite praeparati inveniamur ad susceptionem corporis propitiatorii et sanguinis salutaris Christi tui, sintque nobis ad emundationem, et non ad accusationem. ad propitiationem, non ad condemnationem: ad fiduciam familiarem coram solio tuo timendo, nulli confusioni obnoxiam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit, etc.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Nunc Domine quando gladium Cherubicum, transgressi pedibus spiritualibus effugimus animose, et ex fructu illo desiderabili qui ex te est, arbore vitae, et omnia vivificante edimus et epulati sumus: atque ad regionem nostram pristinam, cum summa domesticitate restituti sumus, et ad divinitatis participationem quae illusorie nobis ostentata a serpente seductore fuerat, efficacissime conservasti nos: simulque ad imaginis tuae similitudinem pristinam per convenientem, dignumque pudorem, propter dispositionem illam, quam erga nos statueras, restituisti nos. Quid habemus quod retribuere possimus amori erga homines tuo, propter beneficia nullis gratiarum actionibus coaequanda, quae effudisti super nos? Quas tandem voces gratiarum agendarum possumus offerre tibi, quales debentur beneficentiae misericordiae tuae erga nos? Quantum imbecilles nostrae vires sufficiunt, adoramus, glorificamus et gratias agimus, et exaltamus, deprecantes mare effusum clementiae tuae, ut mysteria haec sancta quibus vivimus, et renovati sumus, sint nobis fermentum vitae novae, et pignus vitae futurae et aeternae, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Te Rex regum Jesu Christe cui inclinantur omnia quae in coelo et in terra sunt, adorat et ardenter deprecatur nunc Ecclesia sancta redemta ex gentibus, per crucifixionem tuam, deprecans te cum suspiriis et lacrymarum effusione, pro omnibus ordinibus et conditionibus filiorum tuorum redemtorum sanguine tuo pretioso. Induc eos in ovile tuum. Emitte super eos dexteram tuam, obsigna eos cruce tua, conserva illos in veritate tua, protege eos sub alis clementiae tuae: adjunge eos ad domesticum consortium tuum: conforta eos per amorem tuum, congregationes eorum compone per pacem et tranquillitatem tuam. Constringe illos vinculis

diligentiae et curae tuae. Pastoribus ejus concede sapientiam, concordiam et sanctitatem: sacerdotibus ejus mores praeclaros: Diaconis ejus modestiam: Regibus ejus aequitatem, et Orthodoxam fidem, cum victoria. Virginibus ejus, zelum, et temperantiam; conjugatis castimoniam thori conjugalis: principibus in ea viris, humilitatem mentis: divitibus misericordiam: pauperibus alimentum et patientiam: esurientibus saturitatem, aegrotantibus sanitatem: impetui juvenilis aetatis eorum qui in ea sunt, continentiam; senibus vigorem, dispersis in ea reductionem: prope existentibus custodiam perfectam, et omnibus qui in aliqua necessitate constituti sunt, da solatium, liberationemque nobis omnibus servis et adoratoribus tuis: concede veniam omnium praevaricationum, et immunitatem ab omnibus malis, quia non est nobis pastor, Dominus, aut Deus alius praeter te, et tibi gloriam referimus et gratiarum actionem, et Patri tuo, qui misit te ad salutem nostram, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM IGNATII SIVE JOANNIS FILII MAADNI

NOTAE.

1. Quis Joannes ille fuerit plane nescimus, nisi quod Antiochenus Jacobitarum Patriarcha fuerit: quo tempore vixerit, ignoratur, cum obscurissima sit Ecclesiae Jacobiticae Antiochenae historia, quam qui scripserit, nullus reperitur: imo ne successio quidem Patriarcharum illorum satis explicata est. Recentiorem illum fuisse verisimile est, quia sanctus, ut plerique veteres non appellatur, sed tantum *Mar*, qui titulus licet aliquando sanctis tribuatur, Episcopis etiam, et multo magis Patriarchis, etiam viventibus honoris gratia tribui solet. Certum autem praefert novitatis indicium, ex stilo illo affectato, vocibusque reconditis, Graecis praesertim, saepe non recte intellectis. Accedit synonymorum et epithetorum farrago inutilis, quae

orationem multis in locis obscurissimam faciunt, ut literalem, quod tamen quantum licuit conati sumus, eorum interpretationem dare, impossibile saepe fuerit. Extat haec Liturgia in Codicibus Colbertinis et Seguierianis satis antiquis, cum levi admodum varietate, nata ut plurimum ex vocum obscuritate, quas verisimiliter librarius non intelligebat.

Praefert autem sinceritatis notas omnes, quae in similibus Officiis ad conciliandam illis autoritatem possunt desiderari. Forma enim reliquarum Liturgiarum dispositioni simillima est, et ad communem illis ordinem accommodata. Sententiae omnino similes, insignia de veritate corporis et sanguinis Christi in Sacramento, testimonia nihil habentia novitatis aut peregrinitatis, sed Orientalium fidem, tot aliis monumentis confirmatam repraesentantia. Verba Christi Domini consecrationem efficientia referuntur, ut vulgo in Liturgiis Orientalibus ad Graecarum formam, nisi quod in ista adjicitur, *Hoc est corpus meum verum*, et *Hic est sanguis meus vivus*: qua in additione si peccavit Autor, de quo nulla quaestio est, cum haec alibi fuse tractata fuerint: at sane contra veram de Eucharistia fidem non peccavit; cum haec epitheta duo non temere posita sint, ut suspicari quispiam posset, praesertim in tanta tamque effusa verborum copia. Sed duobus illis verbis Joannes Patriarcha totidem errores ex suorum Jacobitarum animis depellere satagebat, si in tanta Christianorum Orientalium calamitate et ignorantia, illos ex aliorum commercio imbibissent. Primus erat Eutychis et Apollinarii, quos in eadem sententia fuisse credunt, quod Christus de coelo corpus habuerit, nostrisque dissimile: qui error destruitur, dum in sacramento verum Christi corpus esse confitentur: simulque Juliani Halicarnassei quem Jacobitae condemnant, *Phantasiae*, ut ipsi dicunt rejiciuntur. Alter error is est quem ut alio loco observavimus Nestorianis tribuunt, teste Dionysio Barsalibi, quod in Eucharistia corpus et sanguis hominis Christi sunt, non Dei hominis facti: qua ratione, Jacobitae ut carnem, ita sanguinem Christi vivum et vivificantem juxta Cyrillum appellant. Paraphrasi autem exprimere verba Evangelica adjiciendo ea quae ab Evangelistis et Paulo non referuntur, vetustissima Orientalium consuetudo est.

2. *Comedit.*

Dicitur etiam Christus comedisse, quod in Copticis, Graecis Alexandrinis, Nestorianis et Syriacis aliis Liturgiis eodem modo legitur, et veterum traditione confirmatur.

3. Cum dicitur *ne flamma tangat corpora signata Chrismate tuo venerando et sancto*, perspicuam probationem autor subministrat doctrinae Orthodoxae de Sacramento Confirmationis: ut notavimus ad aliam Liturgiam. Haec enim verba significant characterem Christi, cum signo crucis ex Chrismate impressum, gratiamque sacramentalem.

4. Ne abneges nos qui non abnegavimus te, etc.

Locvs hic convenit persecutionibus quas sub Muhamedanis Antiocheni Jacobitae frequenter passi sunt, patiunturque quotidie: quarum historia plena est. Quamvis enim Pseudopropheta Christianis injuriam fieri prohibuerit, nulla est injuria cui obnoxii non fuerint. Per *populos alienos* videntur quoque designari Franci nostri, qui Antiochia capta, et per multos annos possessa, Jacobitas Patriarchas ejecerunt, reliquosque Christianos Orientales adeo vexaverunt, ut ab unitate Orthodoxa alienissimos fecerint: praesertim quod nullus esset inter tot cruce signatos Ecclesiasticos, qui ab erroribus illos per sanam doctrinam revocare satageret, aut si conaretur, potuisset. Hinc illa Petri Episcopi Melichae adversus Francos querela: *quod a se in fide dissentientes internecione delerent.*

5. Invocatio Spiritus sancti.

Ea quam exhibet haec Liturgia, iisdem verbis et sententiis constat, quibus reliquae prope omnes. Nam verba, illapsus, requietionis, obumbrationis, et alia quorum vim alibi fuse exposuimus, adhibentur. In omnibus secundum exemplar antiquissimum Liturgiae Graecae Jacobi, illapsus mirabiles varii sancti Spiritus enumerantur, praecipue in Jesum Christum dum baptisaretur in Jordane: et in Apostolos ignearum linguarum forma. Hic vero singulariter mentio fit illapsus ejus in Virginem, ad perficiendum Incarnationis mysterium. Ita testantur Jacobitae, credere se, non minus descendere Spiritum sanctum in dona proposita, quam descendit in Christum, et in Apostolos, praecipue vero in B. Virginem, quando in eo formavit corpus in quo Verbum Dei carnem assumpsit: idemque in altari efficere, mutando dona proposita in corpus et sanguinem Christi. Omnia autem priora, cum non sine miraculo summo facta fuerint: idem de Eucharistia credere se paucis verbis testantur, nempe miraculum fieri primis illis comparandum: quod necessarium esse nemo dicat ad actum fidei eliciendum, quae ex Protestantium sententia, medium est quo Christi corpus accipitur. Neque haec divinando dicuntur, cum ea fuse et in eamdem sententiam explicent illorum Theologi.

6. Regum Fidelium.

Ita in pluribus Liturgiis Jacobiticis, etiam recentioris aevi, ut Dioscori Gordioeni, Michaelis Antiocheni, Ignatii, Jacobi Serugensis, alterius Edesseni, et Xysti. Mirum id sane, cum ab Infidelibus grave impenderet periculum, si preces pro hostibus suis publice fieri, imo et victoriam de se ipsis a Deo postulari, deferente quocumque apostata, intellexissent. Formulam tueri po-

terant, tanquam a se non inventam, sed acceptam a majoribus: at futilis excusatio fuisset apud barbaros tyrannos. Neque illud magis convenire videtur saeculo quo Liturgia scripta fuit, quod preces fiant pro Regibus et principibus fidelibus qui Ecclesiam fidelem, id est Jacobiticam, juvarent. Nam a fine septimi saeculi, et a capta per Muhamedanos Antiochia, Imperator aut Rex nullus extitit, qui ab illa secta alienus non fuerit, si Reges Aethiopiae et Nubiae excipimus, qui Alexandrinae Ecclesiae subditi erant, non Antiochenae. Nam Graeci qui aliquando Antiochiam receperunt, et Franci a quibus capta est Melchitae erant: Tartari aliquot Hordarum quibus imperabat Ung Khanus a Ginghizcano victus et spoliatus, Nestoriani erant: atque adeo neutri fideles erant ex Jacobitarum sententia. Verisimile igitur omnino videtur, istam et aliquot alias Liturgias, magis ad veteris disciplinae formam, quam ad usum Ecclesiarum fuisse compositas.

7. *Doctorum Orthodoxorum, etc.*

Ex illa enumeratione Doctorum Ecclesiae agnoscitur Jacobitarum sincerissimorum hanc Liturgiam fuisse, non Orthodoxorum. Jacobus qui nominatur, Serugensis Episcopus fuit, simulque Botnanensis, cujus nomine habent inscriptam Liturgiam ad quam ea quae de ipso observare potuimus, annotata sunt.

8. *Turres Calaniticas, etc.*

Eadem locutio occurrit in Liturgia Ignatii Patriarchae Antiocheni cognomine filii Wahib. Sententia est primos illos Ecclesiae Doctores falsas opiniones gentilium et haereticorum, quas Turri Babylonicae in Calne aedificatae comparant, dissipasse et destruxisse, Syriamque quae hic vocatur *Aramaeorum filia*, ut Judaea *filia Jerusalem: Chaldaea filia Babylonis;* vera Evangelii doctrina illustrasse.

LITURGIA

IGNATII PATRIARCHAE I. ANTIOCHENI,

QUI ETIAM DICTUS EST JOSEPH F. VAHIB.

Oratio Pacis.

Deus absondite et incomprehensibilis, abdite et excelse, neque investigabilis, tranquillitas supernorum, et inferiorum, Pater omnis paternitatis et Dominus omnium dominationum: qui per effusam largitatem immensorum beneficiorum tuorum seruisti pacem et tranquillitatem inter spiritus et animas, naturasque a se invicem dissitas conjunxisti, posito lapide angulari unigenito Filio tuo: pacem concede societati nostrae per caritatem tuam: accende mentes nostras amore tuo: dirige cogitationes nostras ad te: fac regnare in nobis tranquillitatem et pacem tuam, praestaque nobis, ut una catena spirituali colligati, precemur nobis pacem mutuam in osculo sancto et tibi placito, ut simus unum corpus capitis Christi unigeniti Filii tui, quemadmodum tu cum illo unus es, absque divisione secundum substantiam tuam. Per eum et cum eo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo, bono, adorando, vivificante, tibique consubstantiali nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Sacerdos. Super eos, Domine, qui crediderunt veritatem tuam, qui per caritatem tuam uniti, et conjuncti sunt per amorem tuum, quique cervice demissa humiliaverunt capita sua coram majestate tua, mitte divitias benedictionum a sede gloriae tuae: benedic eos dextera tua, et adduc eos sub umbram tuam: facque eos dignos gloria decuplici, et bonis novies multiplicatis, quae praeparasti timentibus nomen tuum: et referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quis ullus ex toto naturae rationalis et terrenae genere possit comprehendere, aut narrare effusa beneficia tua omnibus secreta et abscondita, Domine? qui cum indigni essemus, dignos fecisti nos, et ex nihilo ad existendum adduxisti: qui nos e statu infimo ad excelsam dignitatem extulisti. Petimus a te Domine, ut instabiles voluptàtes, animum avertentes, et inferioribus rebus per concupiscentiam affigentes, a nobis procul facias; bona vero seu voluptates stabiles divinisque proximas, supernisque rebus dignas, et quae sursum affigant animum, nobis adjicias: atque ut digni efficiamur conjungi et uniri per sacramenta sancta et deifica, coetibus eorum, tibi offerimus sacrificium; et referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae Dei, etc.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Te decet laus, te decet gratiarum actio, et tibi debetur adoratio ab omnibus agminibus coelestibus, et ordinibus terrestribus, iisque omnibus quae essentia tua creavit; sensu praedita vel carentia, et quae inter utrumque genus, quae ad existendum produxisti: quia tu laudabilis es et extollendus cum Filio tuo, et Spiritu tuo sancto.

Elevans vocem. Tu enim es Domine cujus laudibus pleni sunt coeli et terra, et omnia quae in eis sunt; qui nutu tuo conservas in rerum natura coelum et terram, quae ordinavit majestas tua, atque statuit ad gloriam essentiae tuae: quae quamvis natura sua taceant, honorant tamen te; et rationales creaturae vocibus suis glorificant te. [2] Maxime vero Angeli, qui luce aeternitatis tuae illuminantur, mediantibus Archangelis tibi ministrant. Archangeli qui a fulgore essentiae tuae mediantibus Principatibus illustrantur, tibi jubilant. Principatus qui radiis naturae tuae absconditae, mediantibus Potestatibus irradiantur, te honorant. Potestates quae flamma fortitudinis

tuae, mediantibus Thronis incenduntur, te celebrant. Throni qui igne divinitatis tuae mediantibus Dominationibus inflammantur, te exaltant. Dominationes quae ardore potestatis tuae, mediantibus Virtutibus incenduntur, te laudant. Virtutes quae timore tui timendi, mediantibus Cherubim implentur, te hymnis venerantur. Cherubim qui fulgure majestatis tuae, mediantibus Seraphim afflantur, benedicunt tibi. Seraphim qui nullo intermedio ab ipso sanctuario sedis gloriae tuae illuminantur, te sanctificant: una voce triumphali, alter ad alterum volantes, ab uno ordine ad alium superiorem hymnum dirigentes, linguis politioribus quam gladii acuti, oribus ignem ardentem spirantibus, vocibus tremulis, sed resonantibus, ultra quam mentes terrenorum comprehendere valeant, majestatem tuam quae omnibus ut essent dedit, glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Sanctus et sanctificatione venerandus es Deus Pater, cum Filio tuo misericordi, et Spiritu tuo vivificante, ab excelsis et inferioribus, igneis, et corporeis, iis qui intellectu et qui solo sensu praediti sunt; cujus bonitati absconditae visum est, ut non solus gauderes contemplatione regni tui aeterni, sed per caritatem et bonitatem revelasti abscondita naturae tuae sanctae, et exortus est splendor substantiae tuae, et radius divinitatis tuae, Verbum aeternum non temporale, resplenditque igneis spiritibus, et igneus visus est ad eorum similitudinem: neque secutus amplius eorum vestigia, ad terrenos delatus est, factus est terrenus ad similitudinem eorum, ad eos dirigendos, demonstrans eis viam per quam ad promissa tua pervenirent, vitamque beatam consequerentur; quia omnia impedita et aspera, facilia sunt coram te.

Elevans vocem. Qui cum vellet gustare calicem mortis, ut nos mortales confortaret et confirmaret adversus mortem naturali nobis lege constitutam, descendereque ad sepultorum abyssum, ne illi vivifica visitatione privarentur, in ea nocte quae finis et initii fuit, [2] accepit panem perfectum in manus suas plenas benedictionibus, ex quo compositum fuit corpus ejus sanctum, in Virgine thori maritalis experte, coram familiaribus suis: gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit illum, divisitque illum in partes, et dedit eum duodecim suis sociis, et dixit: Accipite, manducate: Haec est caro mea quae pro vobis, et pro multis vestri similibus frangitur, sanctificatur, et datur, ad abolitionem criminum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter vultu sursum elevato, significans voluntatem unicam suam, Patris sui et Spiritus sui sancti, velut ad confirmandam veritatem mortis voluntariae pro salute imaginis suae, quae in corruptione jacebat, etiam calicem vitae, quem miscuerat vino ex uva, et aqua naturali secundum mensuram, accepit, postquam epulati essent ex sacramentis, et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et similiter familiaribus suis porrexit, et dixit: Accipite et bibite singuli ex manu alterius: quia hic est sanguis meus vivus, qui effunditur pro humano genere in me credente, ab abolitionem insipientiarum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Cumque haec in persona sua ipse complevisset, injunxit illis, praecipiendoque dixit: quotiescumque concordes inter vos, per haec simul conjungemini, mortis meae voluntaria memoriam agite, resurrectionis meae salutaris commemorationem facite, et adventum meum usque ad resurrectionem expectate.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Quis poterit explicare verbis totam dispensationem tuam, quam operatus es pro nobis, o Verbum Deus; aut quis assequi poterit exinanitionem tuam voluntariam, per quam tamen a solio abscondito Patris tui non es elongatus, et ad malitiam, infirmitatemque nostram venisti integre? Quis scrutabitur nativitatem tuam temporalem, per quam filios hominum a satanae servitute liberasti, et a potestate tyrannica et saeva nos eripuisti? Quis investigabit baptismum tuum in Jordane, per quem donum adoptionis nobis concessisti, mysteriumque Trinitatis sanctae revelasti et demonstrasti? Quis aequa rependet passionibus tuis immeritis, mortique tuae voluntariae, per quas compressisti passiones nostras ad peccatum inclinantes: mortemque nostram peccatricem occidisti? Quis non mirabitur resurrectionem tuam vivificam, per quam resurrectionem generalem omnium hominum certam fecisti, quodque corporaliter, sed absque sensibus passioni obnoxiis resurgere debeant homines universi, pollicitus es? Quis non stupeat ascensionem gloriosam ad coelum, sessionemque tuam excelsam super omnes mentes existentes illic, quo nobis ad regionem divinitate plenam, iter fecisti: et quemadmodum dixisti, ubi sum ego, illic erit et minister meus, ita et illud nobis perfecisti. Adorationem et exaltationem, secundum facultatem vires-

que nostras offerimus tibi, pro his quae erga nos fecisti. His adjungimus etiam adventum tuum secundum, terribilem supremis et omnibus nobis infimis, et resurrectionem generalem omnium qui facti sunt, commemoramus, quando Orientalis coeli pars dividetur, et adventus tuus fulguris instar coruscabit, tenebraeque discutientur, et caligo profunda saeculi depelletur: quando splendor tuus fulgurans orietur, et crux tua prae radiis solis fulgebit: mare ignis coram te intumescet, et in momento oculi super universa effundetur: quando coeli sicut volumen convolventur, stellae tanquam fragmina decident, astraque mutabuntur, et tenebrescent: elementa ad nihilum redigentur: quando Angeli cum tubis clamabunt, terraque dolores experietur tanquam parturientis, quique in ea defossi sunt cum terrore surgent, praeparabuntque se ad judicium et vindictam simul: quando montes subsidebunt, sepulchra aperientur, petrae scindentur, mare et arida voces confusas emittent: quando solium terribile collocabitur, quando statera veritatis praeponderabit, et justitia rectum judicans: cum gratia illa summa misericordiae locum non dabit: quando ad vindictam faciendam venies, et examen malefactorum institues, tuncque cum aequitate judicabis, et cum justitia retribues: quando resurgent omnes homines, et in vallem Josaphat congregabuntur, singulique singulis adjungentur aequaliter, bonique de statu illo communi et eodem, timebunt et trement: quando alios ab aliis separabis, bonosque ad latus dextrum constitues, malos ad latus sinistrum repelles, et unicuique secundum meritum retribues: quando justos in mundum materiae expertem induces, et regioni decem civitatibus praestantiori eos praeficies: impios in ignem qui paratus est diabolo et angelis ejus projicies, et fletui, gemitui, et dolori eos addices: quando sedes collocabuntur, Apostolique sancti super eas sedebunt. Itaque filii Ecclesiae tuae sanctae misericordiam tuam implorant, et dicunt: per te et tuo beneficio Domine, non per nos servos tuos: per misericordiam tuam, et non per justitiam nostram, in hac hora judiciorum, non displiceat tibi imago tua, neque oves redemptae sanguine tuo pretioso. Imago tua sumus, quamvis a libertate exciderimus. Ne justitia tua aspiciat iniquitates nostras, ita ut nos repellas cum illis qui oderunt nos. Ne gratia tua elongetur propter odibilia nostra, aut rejicias nos cum inimicis nostris, ne forte laetentur perditione nostra, et dicant nobis; Ubi est Deus vester. Verum effunde super nos gratiam tuam, et absconde nos subter alas cle-

mentiae tuae. Extende super nos dexteram tuam, colloca nos sub umbra tua. Peccavimus, insipienter et impie egimus, verba Prophetarum contemsimus, praedicationi Apostolorum aures clausimus: doctrinam Patrum rejecimus, praecepta tua vivifica non servavimus. Verum quia nomen tuum non abnegavimus, ne abneges nos coram Patre tuo: nos qui confitemur te coram hominibus, confitere coram Angelis tuis: propter haec, et alia ejusmodi Ecclesia tua rogat, grex, et oves tuae supplicant et deprecantur, et per te, atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

[3] Deus Pater, oramus per abundantiam misericordiae tuae substantialis, et naturalis, mitte directorem illum Spiritum tuum sanctum, qui a te procedit, et accipit a Filio tuo essentialiter et ab aeterno: qui supervenit in Virginem, et purificavit eam, atque in ea formatum est corpus sanctum unigeniti Filii tui, qui fecit nos tibi filios per gratiam tuam, quo perficiente divini, et deificati fiunt, ut altaria quoque et templa, ad gloriam ministerii tui, ille ipse nunc veniat et illabatur super nos, et super sacramenta haec, eaque corpus efficiat, et me indignum omnique bono carentem purificet et abstergat, omnemque gregem tuum spiritualem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Exaudi me.

Diaconus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per afflatum et illapsum suum secretum, panem hunc perficiat corpus sanctum et animatum Jesu Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod hoc calice continetur, faciat sanguinem vivum, et intellectu praeditum Jesu Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sanctificent omnes eos qui ea sument, et purificent eos omnes qui ipsis commiscebuntur: emundentque animas et corpora eorum qui ipsis communicabunt; sintque nobis sanctum sanctificans, expiatio peccatorum propitiatoria, murus ad securitatem, arx fortis ad defensionem; immunitas a tentatione: praeservatio a dolis:

remissio omnis cujuscumque generis peccati: abstersio macularum omnium, ex peccatis per ignorantiam commissis, ejusque beneficio praeparemur ad standum absque pudore coram solio tuo, invitemurque ad habitaculum illud beatum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Rogamus te Domine Deus, qui suscipis sacrificia mystica, suscipe sacrificium hoc vivum et incruentum, quod offerimus ad honorem majestatis tuae, et reconciliare per illud Ecclesiae sanctae, quae per universum orbem super nomen tuum sanctum fundata et fixa est. Confirma Pastores ejus Orthodoxos virtute tua, ut pascant eam prudenter, non perverse. Decem ejus ordines honora per abundantiam multae misericordiae tuae, et erga me infimum pelago malorum immersum, demonstra gratiam tuam, et miserationes tuae adjuvent me, cum omnibus filiis Ecclesiae tuae sanctae.

Elevans vocem. Ab hac etiam Ecclesia tua sancta quam acquisivisti sanguine unigeniti tui, qui in Golgotha effusus est, et aspersus, tempestates violentas haerescon, fallaci se nomine jactantium, quae cum ea pugnant, compesce, et depelle: et adversus omnem altitudinem erigentem se contra eam, eleva eam et sustine; hostes vero pugnaces, qui volunt eam in abyssum impietatis demergere, perde et confunde: gladiisque acutis quibus quaerunt dividere membra Ecclesiae tuae sanctae, ipsos discinde et macta. Omnes etiam filios ejus servos tuos, illustra illo aeterno lumine quod resplendet super eos qui faciunt voluntatem tuam, et referemus tibi gloriam et laudem unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Convertere Domine ad deprecationem servi tui, pro universo populo et haereditate tua, quae assidue curam gerit, habitationes, Monasteria et Ecclesias tuas sustentandi: quae etiam primitias, decimas, et oblationes in iisdem offert tibi, et pauperum indigentiae necessaria suppeditat, propter nomen tuum: et pro illis qui secundum facultates suas oblationes tibi obtulerunt, ut pro iis qui eadem facultate destituti, confitentur tibi. Adjuva omnes qui invocant nomen tuum, per dexteram tuam omnibus sufficientem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Suscipe quoque Domine, benigne, illationem oblationum et primitiarum, eorum qui tibi illas obtulerunt: eorum etiam qui nobis benefaciunt et deprecantur te: eorum qui

prope, quique longe positi sunt, in omni loco aut civitate, et quaerunt nomen tuum. Memento eorum ad altare tuum, quod manibus factum non est, et ab omnibus absconditum; adjuva etiam per virtutem tuam omnes qui te invocant, in mari, in terra, in bello et pace, in arcibus, in insulis, in columnis, in montibus, in speluncis et cavernis: daque illis ut perficiant exactam regulam monitorum tuorum Evangelicorum: famelicos, angustiatos, egenos et pauperes pasce, et necessariis ad vitam rebus instrue: advenas, alienigenas, viatores, tam terra quam mari, reduc in propria. Nudos, ejectos, discalceatos, aut nudo capite vesti et operi. Aegros, doloribus vexatos, infirmos et eos qui tentationibus conflictantur, libera et sana. Eos qui persecutionem patiuntur, qui in carceribus aut vinculis, aut tormentis sunt, salva et libera, nobisque omnibus servis tuis secundum veras promissiones tuas, iniquitates nostras dimitte et condona: quia omnia in manibus tuis sunt, et omnibus virtutem praebes, tibique gloriam et laudem referimus, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Sacerdos inclinatus. Dignare Domine meminisse Regum [a] fidelium et Orthodoxorum, Reginarumque Christianarum, principum et omnium, qui potestate regia aliquam autoritatem obtinent, qui curam habent Ecclesiae tuae, et manum praebent pascuae tuae, atque clementer et juste judicant gregem tuum: qui oculis laetis et benignis prospiciunt populo tuo. Da illis victoriam et triumphum de illis qui eos oderunt; apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium eorum: extende gladium et fulgura adversus inimicos eorum: immitte pacem cordibus eorum, ut cum timore et puritate gubernent gregem tuum.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Quia regnum tuum, regnum est omnium saeculorum, et potestas divinitatis tuae in generationes et generationes. A te omnes Reges instituuntur, et omnes principes spirituales et sensibiles te adorant. Propterea petimus a te Domine Salvator et liberator a populis invidis, et a dominis saevis, ab immitibus raptoribus, a manibus violentis, et a pedibus alienis, ut Regibus veritatem tuam retinentibus, des victoriam et triumphum de inimicis eorum secretis et manifestis; contere illos in ira tua, et etiam eos a quibus auxilium accipiunt adversus populum tuum, ut illum affligant: paulatim obtere illos in furore tuo. Eos etiam qui in corde et corde loquuntur, perde per increpationem tuam, et da nobis

per gratiam tuam tranquillitatem et pacem, tempora laetitiae et abundantiae, benedictiones ubertatis fructuum, remissionem praevaricationum nostrarum, abstersionem insipienter commissorum, malefactorum depulsionem, libertatem ab omnibus laqueis hostilibus, ut referamus tibi gloriam et laudem, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo, et optimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum dignare Domine meminisse illorum omnium qui ab initio usque ad finem, in viis rectis ambulaverunt, et te secuti sunt, confessique sunt nomen tuum, crediderunt in unigenitum Filium tuum, et laeto animo sustinuerunt calamitates propter te: Prophetarum et Apostolorum qui placiti tibi fuerunt; Martyrum et Confessorum qui te cognoverunt, Patrum et Doctorum, qui te veracem comprobaverunt, cum purissima Virgine sancta, Dei genitrice Maria, matre unigeniti tui, et reliquis sanctis amicis et dilectis tuis.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Amicorum majestatis tuae memoriam agimus Domine, et cum deprecatione supplici a te petimus, ut dignos facias nos adjungi ordinibus eorum, et admitti in congregationibus eorum, et collocari inter coetus eorum. Propterea infirmitas nostra, luti pelago immersa, memorat eorum nomina, ut tanquam alis levissimis subvecta nomina nostra infirma et indigna, memoriam habeant in orationibus eorum, et in Ecclesia primogenitorum in coelo, scribantur per intercessionem eorum: nosque omnes servi tui vivi et mortui laetemur in regno tuo aeterno, per patrocinium eorum, secundum promissionem veram unigeniti Filii tui, qui sermones eorum confirmavit: et cum quo te decet gloria, honor, et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Amplius etiam memento Domine, Pastorum electorum, et verorum qui legem docuerunt accurate, eorum qui judicium legis christianae vere et recte administraverunt, et in fide Orthodoxa, ex vita hac laboriosa, ad unigenitum Filium tuum migraverunt: eorum qui a Divo [5] Jacobo Theologorum principe, huc usque, mysteriorum divinorum scientiam Ecclesiis tuis sanctis tradiderunt, et omni genere deprecationis usi sunt, pro filiis suis spiritualibus.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Illarum columnarum rectarum et inconcussarum, quae onus formosae illius quam sol decoloravit laetanter sustinuerunt: quae illam ipsam filiam Syrorum, Ecclesiam sanctam potenter fulciverunt: qui tabernaculum ejus supra coeli regiones posuerunt, et funes ejus per quatuor terrae partes extenderunt. Qui iterum ac tertio agrum ejus incultum, Ecclesiae ex gentibus congregatae, a sylva zizaniorum, et spinis, vepribusque in ea seminatis purgaverunt: plantaverunt etiam in ea plantas benedictas animarum fidelium, quae sicut cedri Libani crescunt, et ascendunt. Illorum qui ex fonte Edenis seu Paradisi quatuor capitum, hausta aqua eas rigaverunt Evangeliorum fluviis quatuor: qui structiones lateritias, et luteas, fundamentaque Chalanitica, sermonum subtilium, contrariorumque veritati, aedificata et elevata, diruerunt, et solo aequaverunt, per imbres Spiritus sancti, et totam aedificii compagem dissolverunt; qui fundamentis alte jactis aedificaverunt domos fidei verae, super petram inconcussam, et aedificaverunt muros securitatis, a latronibus spoliantibus animas, tutos securosque praestantes. Horum supplicationibus et deprecationibus Domine, confirma nos in disciplinis illorum: firmos praesta esse nos in doctrina ab illis demonstrata, et da etiam nobis ut imitemur et observemus digne mores eorum, usque ad separationem animarum a corporibus, secundum finem illis praestitutum, ut cum illis et inter illos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum etiam praecipue in memoriam revoca Domine, omnes defunctos fideles qui communicaverunt corpori et sanguini unigeniti Filii tui, et participes facti sunt baptismi adoptionis filiorum; atque ex hac laboriosa vita vario genere cum spe in eum, migraverunt: qui expectant spem beatam, et promissionem illius veracem: filiorum Ecclesiae sanctae, qui tibi soli Deus, numerati et cogniti sunt. Fac eos Domine quiescere in habitationibus lucidis, et inter convivia illa deliciosa; remittens transgressiones illorum et nostras.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Eos quorum meminimus, eosque quorum non meminimus, qui mox ingressuri sunt portam illam generalem, qua transivit Adam pater noster, primusque creationis nostrae: eos qui vario mortis genere ex hoc mundo materiali egressi

sunt, et ad misericordiam tuam essentialem et immaterialem, ad te, qui omnibus quod sunt tribuis, pervenerunt. Suscita illos per misericordiam tuam, colloca eos inter agnos tuos: numera eos cum Sanctis tuis: voca eos cum invitatis tuis: dirige vias eorum ad regnum tuum: perfice erga illos promissiones tuas, statue illos inter coetus laudantium te. Ne exactius examen instituas nequitiae operum illorum, tunc quando nulla erit jam excusatio pro praevaricationibus eorum, quia imago et similitudo tua illi sunt: fratresque Filii tui, et filios gratiae tuae vocasti eos, sed clementia tua Domine interpellet pro nobis et pro illis: et gratia tua sub velo alarum misericordiae tuae eos occultet, quia nullus eorum qui muliebri utero gestati sunt, liber fuit ab erroribus hujus mundi, et sordibus carnalibus, nisi solus Dominus, et Deus noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: secundum cujus veram promissionem, speramus consequi misericordiam, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Vanas et innumerabiles insipientiae culpas, quas nos et illi voluntate nostra infirma animabus nostris contraximus, onera gravia et ad portandum valde difficilia, quae iniquitatibus nostris congessimus, voluntariis et involuntariis, notis et ignotis, quae in adolescentia aut in senectute, a nobis commissae sunt, et quaecumque a nobis, ab initio ad finem usque vitae hujus temporalis perpetratae fuerint, parce, dele, et dimitte per misericordiam naturalem essentialemque tibi et ingenitam. Conserva nos etiam in hoc laborioso saeculo ab omnibus insidiis et molitionibus draconis spiritualis, qui observat calcaneum nostrum: et caput ejus dejice, contere et confringe velociter sub pedibus spiritualibus nostris. Quando autem ad viam universalem, quam deprecari non licet, gressus dirigemus, Angelum tranquillitatis et pacis mitte ad auxilium nostrum, et liberos ab omni vindicta, inculpatosque coram solio majestatis tuae, exhibe; et cum illis qui meruerunt stare coram te facie revelata, adjunge nos: atque in sorte habitaculi tui coelestis, ubi placitum tibi fuerit nos colloca; ut una voce triumphali laudemus et exaltemus nomen tuum gloriosum et benedictum, simulque unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater aeterne Filii unigeniti aeterni, qui ab aeterno, ultra momenta et tempora exaltaris et honoraris, et ab omnibus ordinibus immaterialibus benediceris et sanctificaris: cujus bonitati divinae non satis fuit, ut species rationalis hominum terrenorum, non omnino privaretur ea gloria, quae naturis spiritualibus competit, sed etiam ut contemplatione regni tui aeterni fruerentur, et simul hymnum illum angelicum divinitati tuae prae omnibus excelsae, labiis suis indesinenter canerent: qui per praescientiam tuam excelsam, quod Filius tuus aeternus, ad compositionem humanam venturus esset, hominem coepisti creare, citharam decem chordarum: et ex quatuor elementis eum composuisti, eumque condidisti ad imaginem unigeniti Filii tui, et liberi arbitrii compotem fecisti. Cum vero devictus est, et excidit a dignitate in qua primum fuerat, non deseruisti eum, ita ut infirmitatis stadium decurrens ad nihilum recideret: sed Verbum Deum unigenitum Filium tuum misisti ad salutem imaginis tuae, illum simplicem, qui ad compositionem venit: illum invisibilem, qui visus est: accipiens similitudinem servilem nostram, qui descendit in chaos illud mundanum, in uterum virginalem, ad quaerendam margaritam summi pretii, quam eduxit, et extraxit ex luto peccati, et ex acerba potestate maligni liberavit et eduxit, et ad semitam nostram pristinam nos reduxit, docuitque nos orationem ad Patrem tanquam armaturam victoriae, qua accederemus ad majestatem tuam, et vinceremus malignum fraudulentum. Rogamus te Domine Deus noster ut citharam nostram spiritualem, cum decem ejus chordis, liberes ab omnibus passionibus carnalibus et damnabilibus, ut cum decem nostris sensibus corporeis et spiritualibus, decem praecepta Evangelica et viva, quae reliquit nobis unigenitus Filius tuus, tanquam medicamenta pro illis conservandis, offeramus tibi Deus Pater, et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Nunc Domine, nos indignos, et remotos, proximos et domesticos fecisti tibi, et per gratiam tuam naturalem, confirmasti filiationem nostram, non dedignatus vocari Pater noster. Sanctificasti

nos sanctitate tua, ut sanctificaretur nomen tuum a nobis. Mitte etiam regnum tuum aeternum, et habitet in animabus nostris, et voluntate una tua, Filii tui, et Spiritus tui sancti guberna nos: panequc coelesti atque vivificante, qui est omnium alimentum, perpetuo satia nos. Dimitte per misericordiam tuam errores et malefacta nostra: da nobis cor contritum et humiliatum, ut dimittamus etiam debitoribus nostris: et a tentationibus intolerabilibus, quae nobis accidunt, serva nos. Da nobis virtutem, victoriam, et facultatem resistendi adversus inimicum spiritualem nostrum, quia tua est victoria, triumphus, regnum et gloria, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra inclinemus.

Sacerdos inclinatus. Coram te Deus, vivens in saecula, dominator omnium, cui incurvantur omnia genua, coelestium, et terrestrium, servi tui stant cum inclinatione cervicum corporis et animae: cum dolore et lacrymis ardenter ante januam misericordiae tuae, gementes, et expectantes paternam et abundantem misericordiam tuam. Effunde super eos benedictiones de coelis tuis sublimibus, et benedic illos. Extende super illos dexteram tuam beneficam, et adjuva illos. Locupleta illos muneribus tuis divinis et perfice illos. Responde obsecrationibus eorum, per clementiam tuam et custodi illos. Circumda illos muro vigilantiae tuae, et absconde illos. Ciba illos pinguedine domus tuae, et satia illos. Pota illos torrente voluptatis tuo, et inebria illos: ut nos omnes induti vestibus albis, et convenientibus quales afferre decet ad convivium Christi tui, ita digni efficiamur suscipiendi corpus ejus sanctum et sanguinem ejus pretiosum, sanctaque haec, sint nobis sanctificatoria, et pignus vitae in die judicii, et referemus tibi etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Nunc Domine quandoquidem viam silvosam et sentibus plenam quae purgata est, calcata ab unigenito tuo, pedibus interioris hominis nostri calcavimus, et ambulavimus, et qui januas clausas perseveranter juxta illud a te dictum, Pulsate et aperietur vobis, pulsavimus, nobisque apertae sunt, et paradisum illum voluptatis patriam nostram antiquam, ex qua depulsi fueramus, illa voce, Venite, ascendite et haereditate accipite regnum coeleste, ingressi sumus et haereditate accepimus, et ex ligno vitae, cujus appetitione genus humanitatis nostrae expulsum fuerat, per illud, Accipite, edite corpus meum, et bibite sanguinem meum, edimus, et epulati sumus. Qui ut dii essemus tempore non congruo volentes, nunc idem consecuti sumus per illud, Accipite Spiritum sanctum, dii et divini facti. Qui illam sententiam, Egredere ad terram maledictionum, nova hac mutasti, Volo ut ubi ego sum, illic et ipsi sint mecum: et ita terram vitae, quae mentium creatarum captum superat, haereditate acceptam possidemus. Quid nobis suppetit, quod retribuamus tibi, pro amplissimis erga nos beneficiis tuis, quia nihil penes nos est quod a te non sit acceptum. Gloriam tibi ex tuis referemus tibi, pro gratiarum actione nostra, adorationem, exaltationem et laudem secundum possibilitatem infirmitatis nostrae tibi offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Panis coelestis Christe Deus, qui ex abscondita natura Patris tui gloriosi ortus es apud thronum majestatis suae, factus cibus Angelorum quo confirmati fuerunt: qui deinde advolasti e sede gloriae ejus, non tamen ab eo divisus: factusque es panis hominum terrestrium, quo epulati sint, descendistique in abyssum mortalium hominum, quia tibi ita visum est: unde odorem vitae perceperunt, cujus beneficio suscitati sunt. Visita Domine et vivifica per misericordiam tibi congenitam, filios Ecclesiae tuae sanctae quam acquisivisti sanguine tuo salutari, et mitte super eos benedictionem a sede gloriae tuae, quia in spiritu humilitato et corde contrito, flexis genibus deprecamur te, ut sicut eos creasti, salvasti, et acquisivisti,

ita etiam eos adjungas in familiam tuam: adduc eos ad ovile tuum, induc illos in gregem tuum: guberna eos per caritatem tuam: dirige eos in viam tuam: fac eos ad portum tuum pervenire: voca eos ad haereditatem tuam: assume eos in domum tuam, colloca eos in discubitu tuo, advoca eos ad thalamum tuum: congrega eos ad convivium tuum: conforta eos per spem tuam: jube eos ad regnum tuum venire: conserva eos per crucem tuam, auxiliare illis per dexteram tuam: adjuva eos per clementiam tuam: salva eos per brachium tuum: exorna eos splendore tuo: sanctifica eos per veritatem tuam: miserere nobis omnibus secundum gratiam tuam: concede nobis abundantiam beneficiorum tuorum, et laudem, atque adorationem referemus tibi et Patri tuo, et Spiritui tuo sancto, etc.

IN LITURGIAM IGNATII PATRIARCHAE

ANTIOCHENI, COGNOMINE FILII WAHIB

NOTAE.

1. Quis fuerit Ignatius ille Patriarcha Antiochenus, scire huc usque non potuimus: fuerunt enim plures hoc nomine Antiocheni Jacobitarum Patriarchae, ob magni illius martyris reverentiam: sed quod a nonnullis proditum est, omnes vulgo ita appellari, verum non est, cum plures habeamus aliter appellatos, ut ex variis Historiae Alexandrinae locis, in quibus Antiochenas res tractavimus, demonstratur. Neque magis notus est privato nomine Josephi filii Wahib: nam obscurissima est Antiochenae Jacobiticae Ecclesiae historia. Itaque qua aetate vixerit designare non possumus: mediae autem antiquitatis esse hanc Liturgiam multa suadent. Nam quae sanctis viris, aut illis quos Ecclesia Jacobitica tales judicat, tribuuntur, quamvis schismatum initiis posteriores sint, tamen simplicitatem quamdam prae se ferunt quae vetustatis non leve indicium est. Aliae Liturgiae ut ista, floridiore stilo scriptae sunt, qui non modo recentioris aevi, sed affectationis cum ὀψιμαθείᾳ conjunctae notas praefert prope certas. Ephraemo eloquentiorem lingua sua neminem Syri agnoscunt, cui longo intervallo proximos faciunt Jacobum et quosdam alios, qui quidem tumore illo Asiatico non penitus carebant: at proprie loquebantur, nec metaphoris perpetuis, aut epithetis orationem ob-

scurabant, et inflabant. Verum ab Arabibus rerum dominis, ad Syros haec contagio pervasit: Arabes enim tunc se ornatissime dixisse existimant, cum synonyma et epitheta accumulantes, vocibus antiquis et exoletis per ὁμοιόπτωτα distributis, res claras et simplices involvunt, ut obscurissimae fiant. Hoc vitio laborasse sequioris aevi Syros illos, posteriorum Liturgiarum scriptores, ex ipsa versione agnoscere facile est, quae idcirco longe plus quam reliquae difficultatis obtulit, ut aliae eodem stilo scriptae. In ista vero pauca quaedam observabimus.

2. *Maxime vero Angeli.*

Istam de Hierarchia divina Theologiam Syri et plerique Orientales communem habent, acceptam ex Dionysio Areopagitae tributis libris, quos Pauli discipulo vindicant Jacobitae prae caeteris, eo magis, quod ab illis primum producta fuerunt ex iisdem libris testimonia in disputationibus cum Orthodoxis. Sed isti etiam et Graeci omnes, non aliter de libris iisdem sentiunt, qui Syriace et Arabice dudum conversi sunt.

3. *Accepit panem perfectum, etc.*

His verbis autoris recentioris character agnoscitur, qui contra veterum Liturgiarum morem, importunam de Azymo glossam inseruit. Nam ex Syrorum sententia, ut etiam Graecorum, panis perfectus, fermentatum significat: ut patet ex disputatione Joannis Patriarchae Antiocheni, quae extat in Codice Colbertino. Tamen Syri ulterius progressi, panem perfectum ad Eucharistiam celebrandam esse voluerunt, eum qui non modo fermentatus foret, sed etiam cui parum salis et olei admisceretur. Istud Joannes Antiochenus nugacissimis ratiunculis efficere conatus est, quae Coptitarum Patriarchis licet eadem communione conjunctis non satisfecerunt, adeo ut Syrum quemdam, qui oblatam ita paratam ad altare detulerat, contumeliose rejecerit Christodulus Patriarcha LXVI. ut dictum est in Historia Patriarcharum Alexandrinorum. Quod autem narrationis Evangelicae verba non simpliciter, ut in Evangeliis et Epistola I. Pauli ad Corinthios leguntur, autor hujus Liturgiae referat, causa alia non videtur fuisse, quam ut aliis fusioribus ea exprimeret, sententia enim eadem omnino est. Dum ait, *ex quo compositum fuit corpus ejus sanctum, in Virgine,* designat communem Orientalibus, explicandae mutationis quae fit in elementorum consecratione methodum, quam a Gregorio Nysseno acceptam plerique Theologi secuti sunt. Scilicet Spiritum sanctum, ut ex carne Virginis Mariae, quae panis alimento nutrita fuerat, formavit corpus in quo Dei Filius incarnatus est, ita in altari eumdem Spiritum omnipotentia divina, ex pane formare corpus idem. Ita fusius Severus Episcopus Aschmoninensis, et alii Jacobitae Theologi.

Hist. Patr. Alex. p. 425.

4. Haec est caro mea.

Vulgo tamen in reliquis Syriacis Liturgiis, vox quae proprie *Corpus* significat usurpatur, non synonyma, etsi ab Aegyptiis voces Σῶμα et Σὰρξ indifferenter usurpentur, ut a Christianis Arabice scribentibus גסד et לחם, verum non eo in loco. Nihil enim minus conveniebat, quam in praecipua sanctiorique Liturgiae parte explicare verborum copiam, quae etiam si aliquo colore excusari posset, sola, ut in simili argumento Augustinus dixit, novitate perturbat. Unde ut plurimis iisdemque gravissimis Theologis non placuit immutari veteres Christi verborum formulas nisi totidem syllabis eam quae Romano Canone continentur, exprimerent, modo ex Evangelio aut Apostolo descriptae essent: ita non immerito damnavere Missionarii similes huic, easque abolendas censuerunt. An vero haec immutatio effectum consecrationis impediat, expendere, longioris operae foret, nec ad institutum nostrum pertinet. Nihil simile in Graecis veteribus Liturgiis, aut in Syriacis, tam Melchitarum, quam Nestorianorum, aut Jacobitarum. Sed neque recentiores illae frequenter usurpatae videntur fuisse, cum reliquarum usus fuerit, sitque etiamnum prope quotidianus. In Latina quoque Ecclesia exemplum nullum occurrit, quo se tueri potuisset Ignatius Patriarcha, aut ejus similes: cum etsi in Praefationibus praesertim, sive Illatione, Contestatione, Post Pridie, ut olim vocabantur et in aliis Officii sacri partibus observetur aliquando uberior mysteriorum et orationum expositio, in verbis tamen Christi referendis, nullum aut exiguum discrimen est.

5. Invocatio Spiritus sancti.

In ea quoque oratione, ut in reliquis Liturgiae suae partibus rhetoricatur Ignatius: sed ita ut perspicue veram elementorum transmutationem illis verbis inculcet, quae nulla falsa interpretatione in oppositam sententiam detorqueri queant. Spiritum sanctum *directorem* vocat: hoc est eum qui nos inducit in omnem, *sicut Christus promisit veritatem:* Syriacum enim nomen proprie usurpatur de docendo et dirigendo, unde Apostolicas Constitutiones, *Διδασκαλίαν* vulgo appellatas, saepe Syri הדיא vocant. Spiritum sanctum dicit a Patre procedere, et a Filio quae essentialia sunt accipere, quibus verbis orthodoxa doctrina de processione Spiritus sancti ab utroque, clare continetur: et haec locutio in aliis quoque Liturgiis occurrit et in Codicibus, quos Latinas manus nunquam tetigisse, certissimum est. Quod enim Syri et reliqui Orientales Symbolum absque illa additione *τοῦ filioque* recitent, nihil adversus eorum doctrinam probat. Postea illapsum in sacramenta aperte distinguit Ignatius, et eum qui simul in fideles postulatur: quo testimonio ut infinitis aliis, evertitur abnormis Claudii Salmasii Theologia, dum in Epistola ad Joannem Dallaeum, utrumque illapsum ita conjungit, ut ex altero in fideles per eumdem sanctificatos, sequatur alter in dona proposita: nec

aliis panis et vinum fiant corpus et sanguis Christi, quam illis quos prius sanctus Spiritus sanctificaverit. Petitur itaque afflatus et illapsus Spiritus sancti, in dona proposita, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi: in Sacerdotem, et populum circumstantem, ut sanctificati mysteriorum communionem cum fructu percipiant, quod non semel modo, sed iterata postulatione repetitur. Illa vero ut *per illapsum secretum, panem hunc perficiat corpus sanctum et animatum Jesu Christi:* in qua panis vocatur, hostia super quam verba Christi pronunciata sunt, neque illam non esse verum corpus Christi probat, neque consecrationem nondum esse factam. Nam quantum ad primam partem attinet, in omnibus Liturgiis, et in ipso Latino Canone, panis appellatur hostia consecrata, quia panis est oculis et palato, quamvis revera sit corpus Christi. Quod secundam spectat, quamvis viri docti, ex similibus locis probari existimaverint, totam vim consecrationis in Invocatione sancti Spiritus contineri; in verbis Christi prope nullam: nihil tamen efficiunt, cum ut alibi explicatum est, preces ejusdem sententiae super dona consecrata legitime et absque ulla erroris suspicione fieri, non Graecorum modo veterum Officia Eucharistica, sed Orientalium omnium, sed Gothica, Mosarabica, Gallicana et alia nonnulla, palam faciant.

Sequitur vox *perficiat:* quam vocem, si quis ita intelligi velit simpliciter, ut consummationem consecrationis jam factae per verba dominica, significet, non facile refelletur: etsi Liturgiarum autores, ad quos controversiae ante trecentos aut paulo amplius annos natae fama non pervenit, de ea quaestione non videntur cogitasse. Quod igitur verisimilius existimamus, illud est: Syros per vocem *perficiat*, Graecam τελειοῦν expressisse, cui proprium in significanda consecratione domicilium est, non in sacris modo, sed in profanis scriptoribus. Saepissime enim Graecas voces exprimunt Orientales, non tam secundum singularem quam habent significationem, quam ex primaria origine, quod in voce ἀναδείκνυσθαι et in aliquot aliis observavimus. Unde vocem יִשְׁלִי eadem significatione accipiendam existimamus, qua sequentem *efficiat:* ut ad veram elementorum transmutationem, sive faciendam, sive perficiendam et consummandam, referatur.

Quod sequitur corpus *animatum*, perspicuam Orthodoxae circa Eucharistiam doctrinae testificationem habet, nempe in Eucharistia esse corpus Christi cum anima et divinitate, ut in Canonibus Tridentinis perscriptum est: quod pariter de sanguine intelligendum est. Nam cum Ignatio Patriarchae autori hujus Officii non occurreret vox synonyma, quae priori responderet, quam repetere non sinebat character ille scribendi quem secutus est, proximam significatu delegit. Itaque מדעתא quae vox proprie *intelligentem*, aut *intelligentia praeditum* designat, sanguini conjunxit, quo intelligeretur sanguinem Christi in Eucharistia praestantioris esse generis, quam qui ex corpore humano effunditur, sed eadem esse conditione et dignitate, ac ipsum corpus Domini. Nam si diversa voce usus fuisset Ignatius, ut illi quae λογικῷ Graecorum respondet, quae vulgo *spiritualem* significat, et quam vulgata versio per *rationale* efferre solet, sententiam minus commodam circa veri-

tatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia proposuisset. At credentibus, quod illorum Theologi docent, et illorum disciplina confirmat, in corpore sacramentali Christi, esse quoque sanguinem, ut corpus in sanguine, nihil obstabat, quo minus vox corpori animato et rationali proprie conveniens, sanguini attribueretur.

Commistio corporis et sanguinis Christi cum corpore et sanguine communicantium mysteriis, non nova fuit autoris cogitatio, sed communis Orientalium Theologia, ut ex innumeris ejusdem sententiae orationibus constat.

6. *Dignare Domine meminisse Regum fidelium.*

Formula haec statim speciosam quamdam antiquitatis notam offert, quae nostram de hujus Liturgiae mediocri antiquitate conjecturam labefactare videri potest. Reges enim Orthodoxos, a Muhamedani imperii primordiis Antiocheni Jacobitae nullos habuerunt, praeter Graecos imperatores, et Latinos principes, qui illis haeretici judicantur. Ut ad Regem Aethiopiae verba haec referantur, ratio nulla est, cum illorum memoriam, nullae praeter Aethiopicas Liturgiae repraesentent, neque Aethiopes superiorem agnoscebant, Antiochenum Patriarcham, sed Alexandrinum. Illa igitur formula ex veteri potius sub Christianis Imperatoribus disciplina fluxisse videtur, quam usurpata publice in Ecclesiis fuisse: quod sine periculo inter barbaros dominos fieri vix poterat. Unde si quis hanc Liturgiam stili potius exercendi causa, quam ut in publicis Officiis usurparetur ab Ignatio Patriarcha scriptam judicet, forte non inaniter conjectabit: cum ista formula non tantum preces pro Regibus Christianis contineat, sed imprecationes adversus eorum hostes, quorum praecipui Muhamedani erant.

7. *Eorum qui a D. Jacobo, etc.*

De ista commemoratione quaedam observavimus ad Jacobi Liturgiam Syriacam, in quam ex Graeca ejusdem tituli migravit. Illic affectatio nulla fuit, sed Graeci Codicis imitatio, eo magis omni suspicione carens, quod Ecclesiae Hierosolymitanae, cujus illa Liturgia propria fuit, primus Episcopus extiterit: et ad illam Syri veteres primi Liturgiae interpretes pertinebant. Hic vero cum non ab Apostolatu, aut fundatione Ecclesiae sanctae Sion, omnium ut ibi legitur Ecclesiarum matris, sed a Theologia laudetur Jacobus, manifestum est Ignatium ad suae sectae ambitionem respexisse, in qua ut alibi notatum est, multi fuerunt, qui a Jacobo fratre Domini denominatos se voluerunt, non a Jacobo Baradaeo sive Zanzalo, a quo tamen ita cognominatos fuisse, constans Orthodoxorum et Nestorianorum traditio est.

Sequitur satis implicata figurarum congeries de laudibus Ecclesiae Syriacae. Illa quam late patebat, apud Syros Antiochenae Ecclesiae subjecta erat, ut tota prope Dioecesis Orientis: inde Patriarcha Orientis, Antiochenus

vulgo appellabatur, idque ex veteri instituto. Quidquid igitur ad Orientis laudem Ignatius conferre potuit, expressit hac oratione. Paradisus in Oriente fuisse verisimiliter creditur: quatuor fluvii qui inde manabant, ad quatuor Evangelia allegorice referuntur. Haereses et errores gentilium, turri Babylonicae comparantur, quae erat in campis Sennaar, sive Chalane: atque ea ratione vertimus *fundamenta Chalanitica*, cum nisi vox propria sit, significare possit fundamenta arenosa.

LITURGIA
BASILII EX VERSIONE ANDREAE MASII.

Precatio ante Pacem.

AETERNE Deus qui in principio homines creasti ad immortalitatem, mortem porro per invidiam diaboli ingressam in mundum, per salutarem adventum unigeniti Filii tui Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi destruxisti, viribusque cassam reddidisti, et coelesti pace terram implevisti; tu, inquam, quem exercitus etiam Angelorum celebrabant dicentes, Gloria in excelsis Deo, atque inter homines bona voluntas; reple o suavissime Deus, corda nostra bona voluntate tua, pacis conciliatrice, expurgans nos omni labe et dolo, omnique simultatis pertinacia, quae mortem invitat: ac dignare nos mutuam nobis inter nos precari pacem, cum osculo sancto et divino: ut expertes omnis culpae, fiamus participes donorum tuorum coelestium, et immortalium, per Christum Jesum Dominum nostrum: per quem et cum quo tibi debetur gloria, honor et potestas, una cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, vitam largiente, atque tibi in substantia aequali, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax et tranquillitas omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Demus pacem alter alteri, cum osculo sancto et divino, ac caritate Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Dignare nos Domine Deus noster.

Diaconus. Ante sumtionem mysteriorum sacrorum quae offeruntur, capita nostra coram Domino misericorde inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos. Domine Deus noster qui de abundantia gratiae tuae in omnia extendisti, nobis plusquam petimus tribuis, et benignius quam intelligimus, nobiscum agis, extende Domine, manum tuam non aspectabilem, et benedic servis et ancillis tuis, mundatoque ipsos ab omni macula carnis et spiritus, atque dignare nos fieri participes corporis unigeniti Filii tui, quo cum puritate et sanctimonia supplices, preces tibi offeramus et unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo atque Spiritui tuo sanctissimo, bono, adorando, vitam largienti, tibique in substantia aequali, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Precatio super velamine.

Sacerdos. Domine qui ab Angelis et Archangelis extolleris, a Seraphim sanctus pronunciaris, super Cherubim sedes, atque ab his simul omnibus nullo interposito silentio, vocibus divino sermone informatis gloriose laudaris: et a nobis etiam terrae incolis sacerdotali functione coli vis, non quod nostro cultu opus habeas, sed ut nos sanctitatis tuae reddas participes: sustine nos Domine ad altare tuum sanctum accedentes; neque propter labem peccati, qua ego noxius homo commaculatus sum, despicias servos tuos, qui coram te consistunt. Tu enim, ut qui ipse fictor es, cognitum exploratumque habes figmentum nostri, quod non justificetur coram te ullus ex muliere natus: sed tu dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus atque offeramus sacrificium hoc reverendum et incruentum, ad abolenda delicta nostra, et pro piaculo populi tui, eorumque peccatorum, quae ille per inscitiam admisit: ac pro tranquilla requie eorum qui antehac occubuerunt: cum spem haberent in unigenito Filio tuo: cum quo tibi debetur gloria, honor et potestas, ac simul sanctissimo tuo Spiritui, bono, adorando, vitam largienti,

tibique in substantia aequali, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter, stemus reverenter, intentique simus, dum haec Anaphora cum pace peragitur.

Populus. Misericordiam et pacem, ac sacrificium et gratiarum actionem.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, gratia Domini nostri Jesu Christi ac communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum sint mentes.

Populus. Sunt ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino reverenter.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Domine Deus omnipotens, adorande, aequum certe et justum est, convenitque majestati sanctitatis tuae, ut te laudemus, te celebremus, tibi gratias agamus, tuam gloriam praedicemus, tibi vero Deo offeramus corde contrito et spiritu humili, fructus spirituales, sacrificium laudis, cultum rationabilem, quia tu is es, qui donasti nobis cognitionem veritatis tuae. Sed quis valeat eloqui potentiam tuam, aut celebrare omnes laudes tuas, vel enarrare mirabilia opera tua, qui rerum omnium obtines imperium, quique coeli et terrae omnisque creaturae et aspectabilis et non aspectabilis es Dominus: qui sedes super solium majestatis tuae, atque intueris abyssum: principio carens, non visu non sensu alio, non ullo denique modo comprehensibilis: qui es Pater Domini nostri Jesu Christi magni Dei Redemtoris et Domini nostri, qui est imago bonitatis tuae, et forma aequali sigillum, quo te repraesentat: Verbum tuum, Deus verus: sapientia quae fuit ante saecula: vita, sanctitas, virtus ac lumen verum, quod revelavit nobis spiritum illum bonum et sanctum: spiritum veritatis, et adoptionis piorum, spiritum principalem: arrhabonem futurae haereditatis, primitias bonorum aeternorum: virtutem vitae effectricem, fontem sanctitatis, ex quo omnis creatura quae ratione praedita est, et quae intellectu pollens corpore vacat, sanctificata atque illuminata, tibi laudem, praedicationemque perpetuam gloriae offert.

Hic sustollit vocem Sacerdos. Te adorant Angeli et Archangeli, te laudant Throni et Dominationes, te praedicant Principatus

et Potestates, te celebrant Virtutes et exercitus coelestes: coram te consistunt duo animalia veneranda cingentia sanctum solium majestatis tuae, quae plures habent facies, pluresque oculos, ac senas alas singula: Seraphim et Cherubim, binis alis obtegentia facies suas, ne intueantur non aspectabilem thesaurum divinitatis tuae: binis item pedes suos, ne adurantur ab aestu reverentiae tuae: a cujus minimi ardoris exiguaeque scintillulae vehementia confunduntur omnes creaturae, tum quae sola mente intelliguntur, tum quae sensu percipiuntur: demum binis volantia acclamant invicem, nunquam cessantibus oribus, et divinae praedicationis vocibus perpetuis, laudem victoriae redemptionis nostrae concinentia vociferantiaque ac dicentia.

Populus. Sanctus. Sanctus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim vere es, neque est ulla mensura magnificentiae sanctitatis tuae, et benignus es in omnibus operibus tuis; nam cum justitia et certo veroque judicio induxisti omnia super nos. Condideras enim hominem sumto de terra pulvere, honoratumque cum tua imagine posueras in paradiso deliciarum, vitae promissa immortalitate, si quidem tuum observaret mandatum. Verum quando tibi Deo conditori suo non obtemperavit, subjectus est fallaciae serpentis, mortuusque per sua ipsius delicta. Tu vero in exilium quidem misisti aequissimis judiciis tuis, extra paradisum deliciarum, in hunc mundum: atque ad eam ipsam terram denuo redire coegisti eum, ex qua desumtus fuerat: sed ita ut destinares ipsi salutem, per eam regenerationem, quae est in ipso Christo tuo; neque enim dissolvisti prorsus figmentum tuum quod feceras, o bone, nec sustinuisti ut ad consummatam internecionem redigeres opus tuum, sed visitasti eum per benigna misericordiarum tuarum viscera; placuitque tibi ut per denuo nascendi rationem, reduceres nos ad eam vitam quam amiseramus: variisque oberrantes viis, quaesivisti nos, et variis modis nos revocasti. Exhibuisti viros justos saeculis pristinis, qui nobis ad cognoscendas veritates tuas viam commonstrarunt; misisti praenuncios futurae salutis nostrae: operatus es miracula, atque potentiam exercuisti per sanctos tuos; nimirum testificans de ipsis quod essent dispensatores thesauri tui. Legem in subsidium dedisti, Angelos custodes constituisti. Denique ubi venisset plenitudo temporum, locutus es nobis, per ipsum filium tuum, per quem feceras etiam mundum: qui cum sit splendor gloriae, et expressa imago tui ipsius, adducatque universa verbo potentiae suae,

numquam rapinam existimavit, hoc ipsum quod esset aequalis Deo: sed Deus ipse aeternus, super terram visus est et cum hominibus est conversatus: qui cum in forma Dei esset, inanivit se ipse, forma servi sumta: incarnatusque est de Spiritu sancto, et ex sancta semperque Virgine Maria: conformis extitit humili corpori nostro, ut conformes redderet nos imagini et gloriae suae. Quia enim per hominem peccatum intraverat in mundum, et per peccatum mors, voluit Unigenitus tuus, ille qui est in sinu tuo (Patris) cum esset factus ex muliere, et esset sub lege, damnare peccatum in carne; quo nos qui per Adamum mortui eramus, viveremus per Christum. Cumque aetatem ageret in hoc mundo, instruxit nos praeceptis salutaribus, removitque ab idolorum cultu, atque deduxit in cognitionem tui, Dei veri et Patris: comparansque nos sibi in populum peculiarem, regnum sacrum, coetum selectum, atque mundans nos aquis, et sanctificans nos per Spiritum, dedit ipse se pretium illius mortis in qua detinebamur, cum venumdati essemus per peccatum. Porro postquam descendisset de cruce ad inferos, ut expleret ipse omnia, surrexit tertia die, fecitque viam universae carni ex mortuis resurgendi. Quia nefas erat ut is qui erat principium vitae retineretur per corruptionem; factum est ille qui erat primitiae dormientium, primogenitus mortuorum, quo esset ipse primarius in omnibus. Ut autem ascendit in coelum consedit ad dexteram majestatis in excelsis: is qui etiam venturus est tributum unicuique homini secundum opera ejus. Reliquit vero nobis memoriam passionis suae salutaris, ea quae proposuimus secundum ipsius mandatum.

Et hic Sacerdos extollit vocem suam. Cum enim esset exiturus ad crucem suam voluntariam, ac salutarem, in ea nocte qua tradebatur pro vita et redemptione mundi, accepto pane in sanctas, incontaminatas, puras et illibatas manus suas, gratias egit, benedixit, sanctificavit, fregit et dedit discipulis suis, et Apostolis suis sanctis, dicens: Accipite, comedite de ipso: Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro multis frangitur et dividitur in expiationem culparum remissionemque peccatorum ac in vitam sempiternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter autem et calicem vini nati e vite, et postquam coenaverunt, accepit, miscuitque aquis, gratias egit, benedixit, sanctificavit, ac gustavit, et divisit discipulis suis, et Apostolis sanctis, dicens: Accipite bibite ex eo vos omnes: Iste est sanguis meus

ille Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et spargitur, in expiationem culparum et remissionem peccatorum, atque in vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim hoc facitis, mortem meam annuciatis, ac memoriam sepulturae resurrectionisque meae celebratis, donec ego venero.

Populus. Mortem tuam Domine annunciamus, atque resurrectionem profitemur, et adventum tuum secundum expectamus: misericordiae tuae sint super nos omnes.

Sacerdos. Recolentes igitur etiam nos adventum tuum Domine in carne, et mortem tuam, sepulturamque tuam, atque resurrectionem tuam a mortuis, quae tertio die contigit, et ascensum tuum in coelum, ac sessionem tuam ad dexteram Dei Patris: praeterea adventum tuum formidabilem et majestatis plenum, in quo judicaturus es orbem terrae cum justitia, et populos cum aequitate: supplices, o Domine tibi sumus, qui solus fuisti expiatio mundi, et es pretium quod satis sit ad opponendum peccatis nostris, quia tuum solius est remittere peccata super terram, utpote Dei, in cujus potestate omnia sunt, ne in die illa qua judicaturus es orbem terrae per justitiam, intres in judicium cum servis tuis, aut negligas haereditatem tuam abalienatam a gratia sancti Spiritus, ut ne extorris fiat a regno tuo coelesti. Propitius esto nobis et misericors in illa hora pronunciandae sententiae, neque destituas nos, ut fiamus haeredes tenebrarum penitus omnis lucis expertium: nequaquam alienemur Domine a peculio tuo, neque pronuncies adversum nos illam sententiam: Ite maledicti, possidete ignem sempiternum: ne abdices nos, neque dicas nobis, Non novi vos: neque torqueamur in inferno cum iis qui non crediderunt, sed irritaverunt gratiam tuam. Verum recordatus misericordiae et benignitatis tuae, propter quas te ipsum etiam tradidisti pro nobis, redime nos o Domine a damnatione illa aerumnosa: libera nos a tormentis illis terribilibus: assere nos a verme illo putrido et amaro: exime nos a flumine illo ignis horrendo. Per hoc enim cognoscitur impervestigabilis thesaurus placabilitatis tuae, quod nostri misereare, qui bonorum servorum non obtinemus stationem. Populus enim et haereditas tua supplex tibi est, ac per te et una tecum, etiam Patri tuo dicens.

Populus. Miserere nostri Domine Deus Pater omnipotens.

Sacerdos. Et nos miseri peccatores consecuti gratiam tuam, gratias agimus tibi de omnibus et pro omnibus.

Populus. Te laudamus, tibi benedicimus, te adoramus, obsecramusque Domine Deus, ut parcas nobis misereatisque nostri.

Diaconus. Quam veneranda est hora ista, et hoc tempus dilectissimi, cum Spiritus vivus et sanctus e supremis coelorum sedibus descendit, atque incubat, manetque super hanc Eucharistiam propositam, eamque consecrat. Tacite igitur et reverenter orate.

Sacerdos inclinatus. Invocatio Spiritus sancti.

Propterea Domine et nos miseri et peregrini atque inutiles servi tui, quos dignatus es administros esse sacrosanctorum mysteriorum, passionumque Christi tui, non quidem propter justitiam nostram: nihil enim boni egimus super terram, sed per misericordiam et clementiam tuam, quas affatim effudisti super nos, cum fiducia jam accedimus, ut contingamus altare tuum sanctum. Et qui proposuimus typum corporis et sanguinis Christi tui; adoramus ac supplices rogamus te, per bonitatis tuae benignitatem: veniat sanctus tuus Spiritus super nos, et super haec quae proposuimus dona, ac sanctificet ipsa, *sublataque voce* Domine exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Et efficiat panem istum, corpus gloriosum Domini nostri Jesu Christi, corpus coelesto, corpus vitae efficiens, corpus pretiosum, in expiationem culparum et remissionem peccatorum, vitamque aeternam iis qui accipiunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem pretiosum Domini Dei regnantis super omnia Jesu Christi, sanguinem redimentem, sanguinem vitae efficientem, sanguinem expiantem, qui effusus est pro redemptione et vita mundi, in expiationem culparum et remissionem peccatorum, vitamque aeternam iis qui accipiunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem qui de uno pane vitae, et calice redemptionis accepimus, quo inter nos adunemur, dignare communicatione Spiritus sancti: neque nostrum quisquam in condemnationem sui edat aut bibat, propter multitudinem peccatorum nostrorum; sed miseri-

cordiam consequamur in die justae, atque aequae tuae retributionis, per gratiam, misericordiam, ac amorem unigeniti Filii tui erga humanum genus: per quem et cum quo tibi debetur laus, et gloria et potestas, et cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, vitam largiente, atque tibi in substantia aequali; nunc et semper, et in saecula saeculorum. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Sancte Sanctorum Domine Deus virtutum, offerimus tibi sacrificium hoc reverendum et incruentum, pro Ecclesiis sanctis, quae a finibus terrae usque ad fines ejus existunt. Memento etiam Deus hujus nostrae Ecclesiae, eorumque qui in Ecclesiis serviunt, Patrum bonae memoriae et Patriarchae nostri Domini N. atque reliquorum omnium Episcoporum Orthodoxorum, prudentiamque et fortitudinem cuilibet illorum tribuito; ut recte pascant gregem tuum sacrum. Memento etiam Presbyterorum Orthodoxorum, Diaconorumque, qui ubivis sive mortui sive superstites sunt, et dato illis ut inculpate serviant ad aram sanctam. In Virginitate atque sollicitudine durantium, memento Deus, ac miseriae etiam meae, parceque mihi peccatori inutilique servo tuo, cui gratiam benignitatemque viscerum tuorum exhibuisti: ac me etsi indignum redime, pro multitudine miserationum tuarum, ut te semper laudem per omnem vitam meam: libera me ab omnibus qui oderunt me, et convertantur inimici mei retrorsum. Aperi oculos mentis meae, ut irradiet illustretque me lumen, ad cognoscenda ea sensa quae tibi Deus congruunt. Memento Deus etiam populi sperantis in misericordiis tuis, ac domos eorum in pace conservato. Herbarum quoque et terrae frugum memineris Deus: datoque nobis pluvias tempestivas, ac benedictione tua persequitor coronam anni benignissime: imperatoque terrae ut det fructus suos, quia oculi omnium ab te pendent.

Hic sustollit vocem. Atque erue nos fortissime Domine, a fame, lue, terrae motu, incendio, submersione, atque a persecutore, insurgentibusque adversus nos inimicis aspectabilibus et non aspectabilibus, qui ratione cernuntur, et qui sensu percipiuntur: a gladio malo, et ab omni manu populorum alienigenarum: ab hominibus improbis et fraudulentis, atque a loquentibus perversa. Et pacem tuam, quae omnem intellectus captum excedit, donato nobis, imbuitoque corda nostra benignitate et probitate: ac dignare nos consistere coram te, tibi vivere, tibi placere omnibus diebus vitae nostrae: per gratiam, misericordiam, atque amorem unigeniti Filii tui erga hu-

manum genus, per quem, et cum quo tibi debetur laus, honor et potestas, cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Memento etiam Domine eorum qui una nobiscum adstantes orant, et eorum qui hinc procul absunt: eorum quoque qui has oblationes attulerunt tibi. Tum etiam eorum, quorum nos ex praecepto meminisse debemus. Insuper eorum qui in Ecclesiis fructuosi sunt, pauperum non obliti: et eorum qui eleemosynis vestituque aliis subveniunt. Horum inquam, et simul eorum qui cupiverunt quidem, sed non valuerunt offerre, et omnino uniuscujusque memineris pro animi tui proposito, et eorum quos modo commemoravimus.

Et hic extollit vocem suam. Retribue Domine illis quorum meminimus coram te, et quorum non meminimus, pro terrenis coelestia, pro corruptibilibus incorruptibilia, pro temporariis aeterna, et facito ut haeredes sint vitae aeternae. Viduis patrocinare per amorem tuum erga genus humanum: pupillis esto pater: captivos redime, aegrotos, maleque habentes sanato: cum navigantibus navigato, facientibus iter, comes esto: Denique eos qui in speluncis vel fodinis et subterraneis locis durant, propter nomen sanctum tuum, confirmato atque adjuvato dextera tua: qui in exilio aut carcere sunt liberato; errantes dispersosque colligito; congregatoque omnes in ovile tuum, ut sit unum ovile et pastor unus, tibique laudem attribuamus, et gratias agamus, ac simul unigenito Filio tuo, et sanctissimo tuo Spiritui, bono, adorando, vitam largienti, tibique, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memor esto Domine Regum nostrorum laudabilis memoriae, ac coronato eos spe bonae voluntatis, et galea salutis, conservatoque ipsos in fide sana; atque subigito ipsos sub jugum regni tui: et populos barbaros, Reipublicaeque Christianae malevolos ipsis mancipato.

Et sustollit vocem. Nobis autem Domine concedito habitationem tranquillam et quietam, atque humilitatem perfectam: tu enim es adjutor, praestasque victoriam omnibus qui nomine tuo magno militant, tuaque causa sumptis armis stipendia merent in bello. Esto itaque Domine auxilio iis qui pro populo tuo redempto bella gerunt, et victoriam ipsis largire: imo tu ipse adversus eos dimicato, qui illos odio habent. Nos autem Domine ab omnibus periculis, angustiis, necessitatibus assere: cui laudem et gratiarum actionem offe-

rimus, et simul unigenito Filio tuo, sanctissimoque tuo Spiritui, bono, adorando, vitam largienti, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quia porro tu in vitam simul et mortem habes imperium, dignare nos eorum etiam meminisse, qui inde a saeculo placuerunt tibi, Patrum et Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Joannis Baptistae, Stephani primi martyris, et sanctae Dei Genitricis, ac omnium denique sanctorum.

Et sublata voce. Et si ad loca gloriosa omnisque materiae expertia, et quae extra omnem comparationem sunt, receperis in coetum sanctorum tuorum Domine: facito ut simus illorum consortes in Ecclesia primogenitorum o bone. Cumque misericordiam tuam laudabilissimam, et amorem tuum erga genus humanum imitantes, assiduas preces atque obsecrationes pro nobis tibi offerant, eoque memoriam illorum celebremus, ut quando nobis ipsi parum fidimus, memoria et legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere, atque tremendo hoc et reverendo sacro munere defungi. Esto expiator praevaricationum nostrarum, tum propter sanctas preces illorum, tum propter sanctum nomen tuum, quod invocatum est super nos, quia sanctus ipse es, et in sanctis acquiescis. Tibi itaque laudem et gratiarum actionem tribuimus, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Diaconus. Ante.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine eorum qui decesserunt, migraveruntque ex hac vita: et Episcoporum Orthodoxorum, qui inde a Petro et Jacobo Apostolis ad hunc usque diem, rectum fidei verbum clare sunt professi et nominatim Ignatii, Dionysii, Julii ac reliquorum divorum laudabilis memoriae.

Et sublata voce. Memento Domine eorum quoque qui usque ad sanguinem pro religione steterunt, et gregem tuum sacrum per justitiam et sanctitatem paverunt, in locis uberum pascuorum, et ad aquas amoenas, hoc est per divinam doctrinam: ac per obsecrationes, supplicesque preces suas, membra Ecclesiae remota congregato in unam professionem et religionem Apostolicam, ut pares omnium sint voces et pares laudes, sicque comparato omnium nostrum voluntatem, mentemque, ut simus sectatores fidei et professionis illorum; quia benignus et summe misericors es, tibique congruit laus, honor, et potestas, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine patrum, fratrumque nostrorum qui obierunt in vera fide, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Caenobitarum, in caelibatu perpetuo viventium, Laicorum, quorum omnium tu numerum solus nosti, potissimum vero qui jam nominantur.

Et sublata voce. Conditor corporum et animarum Domine, memento ad aram tuam coelestem, eorum omnium qui decesserunt de hoc mundo aerumnoso, recreatoque eos in tabernaculo tuo omnis decoris pleno. Trajicito eos trans mansiones cruciatu horrendas, atque in tabernaculis luculentissimis collocato ipsos. Erue ipsos ex tenebris et caligine, atque ex tribulatione doloreque eripe; appareatque ipsis vultus tuus pacificus: neque intres cum ipsis in judicium, aut acrem quaestionem habeas de acta vita. Sed sive verbo sive opera peccaverint, utpote homines carne induti, remittito, aboletoque errores ipsorum. Nostri verò, qui in vivis superstites sumus, tu conversus miserere. Ecce enim quotidie ad iracundiam concitamus te faedis et detestabilibus vivendi modis: quoniam unus solus est qui non peccavit, et qui a culpa liberet, Dominus noster et servator noster Jesus Christus per quem nos quoque omnes speramus, nos consecuturos misericordiam, et remissionem peccatorum, quae propter eum nobis et illis.

Populus. Ignosce, remitte.

Sacerdos. Ignosce, remitte, condona Deus delicta illorum, quae voluntarii, scientes vel ignorantes, re ipsa, aut solis cogitationibus patravere: occulta et manifesta, quorum recordantur et quorum obliti sunt: quae omnia novit nomen tuum sanctum.

Et sublata voce. Sanctissime Deus, memento etiam eorum, quorum memoriam hodie celebramus, omnesque illos veteres, admitto internuncios et conciliatores pro animis omnium nostrum, dignareque nos esse consortes et cohaeredes ipsorum. Atque omnium nostrum memor esto, per benignitatem tuam: nos visitato cum multitudine misericordiae tuae, appareasque nobis cum clementia tua, atque tales nos per efficientiam probitatis tuae efficito, quales esse convenit. Aboleas dissidia Ecclesiarum tuarum, insolentiam gentium, atque haereticorum stationes dissipa. Nos denique universos recipito in regnum tuum, et filios lucis effice, quo omnes uno animo, quasi ab

ore uno atque corde, collaudemus nomen tuum magnum, et inclytum et simul Jesu Christi, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut erat et est permanens in generatione generationum, et in saeculo futuro.

Sacerdos. Pax vobis. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit misericordia magni Dei et servatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus proclamat Catholicam.

Sacerdos. Oratio Dominica. Pater noster.

Benedictus es Domine qui coelum terramque imples gloria tua, quippe nos modo dignatus es usurpare memoriam testamenti tui sancti, perficereque sacrificium hoc reverendum et incruentum. Tu itaque Deus noster, qui sanctificas sacramenta ista, purgato nos ab omni inquinamento et carnis et spiritus, docetoque nos perficere quod sanctum est in timore tui: ut cum testimonio sincero conscientiae nostrae facti participes sanctificationum tuarum, uniamur corpori et sanguini Christi tui, aptique simus, ut ipse habitet in nobis, secundum promissionem ipsius, sintque corda nostra pro hospitio illi bono spiritui. Ita Deus noster, ne facias quemquam nostrum reum corporis et sanguinis Christi Filii tui, neque aegrum animo, aut corpore, propterea quod indigni participemus sacrosancta mysteria: quin potius concede nobis, ut usque ad extremum nostrum spiritum, placeamus tibi, habeamurque digni sumere salutaria sacramenta, Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi, neque indigni corpore sancto et sanguine piaculari, sed idonei qui ea accipiamus, quo per ipsa corroborati, mundati et perfecti, possimus digne obsecrare te, per precationem illam quam nos docuit unigenitus Filius tuus, corde puro clamantes et dicentes: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos ait. Domine Deus et servator noster, ne inducas nos in tentationes difficiles, aut necessitates amaras: ne inducas nos in laqueos adversarii, hostiumque animarum nostrarum: neque destituas nos ut incidamus in manus aspectabilium grassatorum, et qui vitam nostram laedere cupiant; sed libera nos ab omnibus tentatio-

nibus occultis et manifestis, cunctis diebus vitae nostrae: atque exime nos omnibus malis, quae propter iniquitatem nostram incurrunt in nos: quia tuum est regnum et unigeniti Fili tui, ac sanctissimi tui Spiritus, boni, adorandi, vitam largientis et tibi in substantia aequalis, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domino Deus noster.

Sacerdos dicit. Pater misericordiarum et Deus omnis consolationis, qui concessisti nobis ut reverenter observaremus praecepta tua, et modo etiam dignos duxisti nos, qui te aspiceremus, atque coram majestate tua supplices nostras preces offerremus: conversus ad nos mitte nobis benedictiones abs te defluentes, et circumda nos muro misericordiarum, per sollicitam curam, amoremque unigeniti Filii tui erga humanum genus: praestaque, ut sine noxa reddamur participes mysteriorum illius salutarium, et vitae efficientium: per gratiam, misericordiam et caritatem unigeniti Filii tui erga humanum genus: cum quo tibi debetur laus, gloria et adoratio, simulque sanctissimo tuo Spiritui, bono, adorando, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia Trinitatis cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Reverenter contemplemur.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus vitae efficiens sanctus: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, qui unum sunt in saecula.

Sacerdos. Unus Pater sanctus nobiscum.

Diaconus. Stemus decenter omnes: stemus reverenter, intenti simus, dum haec Anaphora in pace peragitur.

Populus. Gratias agimus tibi Deus noster.

Sacerdos. Exaltamus te Deum Patrem omnipotentem, et misericordem, laudamusque te conditorem universi, atque adoramus te abundantem misericordia: qui gratia tua misertus es nostri, et expiasti

delevistique peccata nostra, ac dignatus es nos sumptione sanctorum vitaliumque sacramentorum tuorum, in quae etiam Angeli ipsi desiderant prospicere. Cedat igitur nobis ipsorum suavitas in piaculum, participatioque in remissionem peccatorum, quae antehac a nobis admissa sunt, atque in medicinam eorum in quibus adhuc versamur: denique in effugium praesidiumque adversus ea, quae posthac a nobis committi possent: et in gaudium atque exultationem apud sanctos, qui inde a saeculo placuerunt tibi: quia tuum est regnum, tibique debetur laus et unigenito Filio tuo, una cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax omnibus vobis.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Post sumptionem sanctorum sacramentorum quae exhibita sunt, coram Domino misericorde capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos. Tibi Deo capiti vivorum et Domino mortuorum, offerimus supplices preces nostras, et coram te inclinamus capita nostra, nos servi tui et grex tuus rationalis: sperantes nos visitatum iri a tua gratia, in qua omnis subsidii copia est posita. Benignus igitur esto Domine, et demitte super nos donum quod abs te est, misericordiasque tuas divites: ac elue expurgatoque nos omni macula sordibusque peccati carnis et spiritus: imbue nos benedictione benignitatis tuae, confirmans nos certa spe promissionum tuarum; atque in cultu observationeque legum tuarum salutarium, effice nos sollicitos et reverentes: invictos vero contra copias adversarias damnosasque tentationes: atque omnes iniquitates peccati a nobis summove, ut adoremus, profiteamur et laudemus te Domine, Patremque tuum, et Spiritum tuum sanctissimum, bonum, adorandum, vitam largientem, et tibi in substantia aequalem, nunc et semper, et in saeculorum. *Populus.* Amen. *Diaconus.* Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus nobis.

IN LITURGIAM BASILII A MASIO CONVERSAM OBSERVATIONES.

Quamvis ex autoris nomine, quod huic Liturgiae praefixum est, aliis recentioribus praeponi illa debuisset, juxta methodum quam in hac Collectione servavimus, quia tamen edita dudum versio illius fuerat a viro doctissimo Andrea Masio, eam reliquis subjiciendam judicavimus. Ut ita faceremus causae potissimum duae fuerunt. Prima est quod extat in paucissimis Codicibus manuscriptis haec Liturgia, ita ut per annos multos frustra a nobis quaesita fuerit, reperta tandem in optimo, et satis vetusto Codice Colbertino. Sed in eodem non soli Basilio tribuitur, ut in eo quem Masius secutus est, sed Gregorio Theologo conjunctim: quod observatur etiam in variis de jure responsis Ecclesiasticis, quae iisdem adscribuntur. Altera causa fuit ut istam seorsim ederemus, et ex Masii versione; quia labores magnorum virorum per quos profecimus, revereri potius, quam supprimere debemus; tum quia multoties edita, Theologis familiaris est, qui nisi linguae periti sint, nova saepe interpretatione conturbantur. Et illa sane non erat admodum necessaria, cum ubique ferme sententiam Syriaci Codicis fideliter Masius expresserit, in notis brevibus et praefatione aliquando cespitaverit, quod vitari vix poterat, cum nemo ante illum Syriacos ritus Eucharisticos explicare aggressus foret. De hoc argumento dicetur postea, de versione pauca dicenda sunt.

In sacris Officiis, et Ecclesiasticis precibus, stilus proprius est, quem multorum saeculorum usus consecravit, qui in summa simplicitate majestatis habet plurimum, nec minus pietatis. Qui scripturas sacras, quasi non satis elegans foret Latina versio, cultiori stilo interpretati sunt, ut inter alios Castalio, exiguam laudem consecuti, parum reliquis profuerunt. Idem prope Masio in hac versione contigit, dum Latine loqui affectat, adeo ut Ciceronianorum illorum exemplo voces Salvatoris, consubstantialis, regenerationis, et nonnullas alias fugisse videatur, ut alias substitueret. Nos in aliis vertendis ab antiqua simplicitate non recessimus, Graecorum veterum Christianorum more, qui spretis linguae suae copiosissimae divitiis, scripturarum stilo preces omnes suas expresserunt. Novam versionem dare opus non erat, cum ex aliis Liturgiis, si quod discrimen locutionis occurreret, facile possit agnosci. Illud etiam difficile fuisset: nam exemplar quo usus est Masius, a Colbertino differt in multis: istud porro solum huc usque nancisci potuimus. Integram ex eo versionem instituere operae pretium non erat, neque perfici

poterat, cum multis in locis exemplar detritum vetustate foret, nec legi posset. Quod supererat, in forma Invocationis Spiritus sancti, et verborum Christi varietatem lectionis annotavimus, in reliquis inutile prorsus fuisset. Ea est enim librariorum Orientalium indiligentia in describendis codicibus, ut mutare, addere, demere quidquid lubitum est, ipsis familiare sit.

Existimavit porro Masius Liturgiam illam suam, Graeca quae Basilii nomen praefert vetustiorem et magis integram, quod judicium viro doctissimo excidisse nollemus. Sola enim brevitatis ratione fundatum est, inani prorsus et falsa, ut facile demonstratur. Quippe Graecam integram cum Syriaca velut integra Masius comparavit: cum etiam in priori juxta vulgata exemplaria, quidquid caeremonias spectat ex communi Ecclesiarum disciplina adjectum sit. Syriaca ab oratione osculi pacis incipit, atque ita quaecumque ad praeparationem altaris, et oblationis, lectionem scripturarum, variasque orationes a Sacerdote, Diacono aut populo recitandas spectant, omittuntur, cum ex communi Officio peti debeant. Si igitur illud Officium quod initio hujus voluminis edidimus cum Liturgia ista Basilii conjungetur, ut certissime factum est, quotiescumque ad altaria celebrata est, erit Graeca qualem habemus, prolixior. Imo si plures aliae quas edidimus Masio visae fuissent, hanc enim solam viderat, nam Missale Chaldaicum nondum prodierat, eam a brevitate non commendasset, cum inter prolixas referri debeat.

Diximus illam in Codice Colbertino, non soli Basilio, sed Gregorio quoque Theologo tribui: videtur imo in aliquibus exemplaribus, huic soli aliquando adscripta fuisse. Nam in ea quae titulum habet Doctorum sanctorum a Joanne Magno Patriarcha Antiocheno, ex aliis collecta, extat oratio cum hoc ad marginem lemmate, *Theologi*, quo nomine ut apud Graecos, ita apud Syros et Arabes Christianos, Gregorius Nazianzenus designari solet.

Invocationis Spiritus sancti forma in Codice Colbertino ita se habet. *Miserere nostri Domine: miserere nostri, et mitte super nos, ex sede tua, Spiritum Paraclitum, sanctum et largitorem omnis sanctitatis: qui neque qualitate, neque quantitate aut tempore, circumscribitur: increatum, incomprehensum, qui a te procedit et regnat super omnia: qui in Jordane flumine, in columbae specie apparuit super unigenitum Filium tuum, qui in dispertitis linguis super Apostolos sanctos apparuit: ipse adveniat et illabatur super nos, et super dona ista proposita, et sanctificet illa.* Diaconus. *Orate.* Sacerdos. *Exaudi me.* Populus. *Kyrie eleison.* Sacerdos. *Ut illabens super panem istum, et super vinum istud, nos quoque sanctitate sua repleat: et panem hunc faciat corpus vitam praestans, corpus salutare, corpus vivificum, et dans vitam, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Populus. *Amen.* Sacerdos. *Similiter et vinum istud, faciat sanguinem novi Testamenti, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, et dantem vitam, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionemque peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus.* Haec lectionis diversitas momenti nullius est, cum utraque in unam et eamdem, quae reliquis omnibus communis est, Invocationis formam conveniat.

In versione Masii, ex ea quam tetigimus ratione, apparet discrimen leviculum quidem, sed quod lectores linguae Syriacae non peritos, quasi majus esset, posset in errorem inducere: nam quod Masius vertit *corpus gloriosum*, est idem quod Graeci τίμιον *pretiosum* vocant, ut idem vertit in formula ad calicem, *Sanguinem redimentem.* Radix Syriaca *redimere* quidem significat, sed frequentius *salvare:* unde melius vertitur *salutarem*, ut infra *sanguinem propitiatorium.* Postea: *sacrificium reverendum:* melius *timendum* φοβερόν. *Qui in Ecclesiis serviunt Patrum bonae memoriae.* Vox *ministrare* magis huic loco convenit: quomodo vero legerit in Codice suo Masius obscurum est; neque enim *bonae memoriae* usurpatur loquendo de vivis, ut hic de illis agitur. In Codice Colbertino ubi mentio fit Patriarchae et Episcopi, legitur *Orthodoxorum. Ad cognoscenda ea sensa, quae tibi, Deus congruunt.* Haec obscura sunt: at in Syriaco nostro, *Aperi oculos mentis meae, ut exoriatur mihi lumen cognitionis intelligentiarum Deo dignarum:* sententia clarior est, nempe petit Sacerdos divinum lumen, ad intelligenda divina mysteria. Post pauca. *Herbarum quoque et terrae frugum memineris Deus.* In Syriaco. *Aërum quoque et fructuum terrae memento Domine.* Syri enim Graecorum exemplo vocem *Aër*, in plurali numero efferunt, quem Latini non agnoscunt.

Memento Domine Regum nostrorum laudabilis memoriae. Itidem in Syriaco, *Orthodoxorum*, et sane alterum hic locum non habet. Subjicitur in Codice Colbertino. *Domine, Domine, pacificato regna quae Ecclesias tuas sanctas, per haereses impugnant, et corpus unanime membrorum Christianorum scindunt, atque oves spirituales gregis tui dispergunt: et tempestates fraudulentas sub falso religionis praetextu dolose excitant: illos ad ea quae tibi placita sunt, convertendo.* Ea porro oratio Imperatores Graecos spectare praecipue videtur, qui cum Antiochiam aliquoties recuperassent, Jacobitis molesti fuerunt. Videnda de hoc argumento quae referuntur in Historia Patriarcharum Alexandrinorum ex Epistola Joannis Patriarchae Antiocheni, in qua narrat quomodo Constantinopolin ductus fuerit, et coram Imperatore Jacobiticam fidem propugnaverit. Possunt etiam haec ad Latinos pertinere, qui Antiochiae principatum multis annis obtinuerunt, a quibus Orientales Christiani etiam Orthodoxi, saepe non mitius habiti sunt.

Hist. Patr. Alex. p. 356. et seq.

Memoria et legatione eorum protecti. Melius, *intercentione* seu *intercessione.* Syri vocem πρεσβεία expresserunt per propriam, quae *Legationem* significat: sed cum in stilo Ecclesiastico aliud, nempe quod modo diximus significet, utrumque sensum non distinxerunt, quod interpres cavere debuisset.

Sacerdos. *Oratio Dominica.* Non dicitur Oratio Dominica nisi post illam quam prius Sacerdos recitat, ut patet ex omnibus aliis Liturgiis.

Diaconus. *Reverenter contemplemur.* Graecum est *Μετὰ φόβου πρόσχωμεν Cum timore attendamus, vel aspiciamus.*

Pauca haec observasse sufficiat, in reliquis quae minoris momenti sunt, in stili diversitate, facile lectores ex aliis versionibus comparatis intelligent,

quae sit verborum significatio. Accuratam Masianae versionis cum Codice Colbertino collationem instituere prolixioris operae fuisset, cum magna sit utriusque in vocibus diversitas.

Jam notulas quae huic Liturgiae adjunctae sunt in Bibliotheca Patrum expendemus. Ad Invocationem Spiritus sancti haec notata sunt. *Haec et sequens oratio, videntur vel scribentium errore, vel Graeculorum quorumdam schismaticorum perversitate, praepostero loco in hac Anaphora, posita: cum locus ipsarum genuinus ab autore datus fuerit ante sacra verba consecrationis.* Tum remittit lectores ad ea quae notavit ad Liturgiam S. Jacobi. Error scribentium perpetuus esse non potuit: fuit tamen, si erratum ab illis est; nam Graecae omnes, Aegyptiacae, Syriacae, Aethiopicae, et reliquae Liturgiae, Invocationem hoc ipso loco repraesentant, non ante, sed post verba dominica. Nec accusandi sunt Graeculi Schismatici, cum exemplaria Graecarum Liturgiarum, multis annis vetustiora, quam Cabasilas, qui primus eam quaestionem tetigit, et quam Florentina Synodus, in qua vehementius agitata est, illam Orationem eodem loco repraesentent: nullum nisi recentissimum, eam aliter exhibeat. Quid porro Graeculis illis schismaticis commune cum Syris et Aegyptiis Jacobitis erat, cum haeretici alteri ab alteris judicarentur, et vix ullus a sexcentis et amplius annis Graecus Theologus, Orientales Liturgias vel ex solo titulo cognitas habuisse videatur? Facilene, imo possibile, quisquam existimabit Christianos mutuis odiis a Calchedonensis Concilii tempore certantes, illis quos ut haereticos insectantur, in Codices sacramentales suos inducendi novas formulas facultatem dedisse? aut si id per fraudem factum, quod ne cogitari quidem potest, quomodo tandem omnes omnium gentium Codices haec corruptela pervasit, adeo ut nullus ab ea immunis reperiatur: nemo id animadverterit per annos mille ducentos, nisi unus aut alter qui Graece nesciebant? Nihil igitur illa conjectura inanius, quae tamen non modo editiones omnes Bibliothecae Patrum, sed Theologorum commentarios pervasit. Quod subjicitur, locum genuinum Invocationi ab autore datum fuisse, ante verba consecrationis, aeque verum est. Si Basilius intelligendus est, in ea ipsa Graeca, quam Graeci uno consensu ab eo literis mandatam fuisse credunt, Invocatio eodem loco legitur, atque in Syriaca. Si de ista, bonus Criticus loquitur, quis illam ut se habet a Basilio scriptam esse probare queat; aut primitus alio ordine digestam fuisse, cum nullum exemplar Invocationem alibi positam exhibeat? Quin igitur Masii Codex eam loco suo repraesentaverit, non potest dubitari: quae illius interpretationem spectant, satis alibi tum ad Liturgiam Copticam, tum ad alias expositum est.

DISSERTATIO
DE NESTORIANORUM
LITURGIIS.

I. LITURGIAS tres, quarum ex Syriacis codicibus versionem damus, proprias esse Nestorianorum, qui Catholico supremo illius sectae Patriarchae subjiciuntur, certissime constat. Illas enim descripsimus ex Codicibus manuscriptis, qui tam perspicuas sectae illius notas habent, ut de illis dubitari non possit. Attamen, cum in aliis Officiis quae ex Graeca, Aegyptiaca, et Syriaca linguis interpretata, huic collectioni inseruimus, codices antiquos multos habuerimus, ex quibus textus sinceritas agnosci, et in locis aliquot difficilibus lux afferri posset, in Nestorianis caruimus tali tamque necessario subsidio. Nam recentissimi fuerunt illi, quos interpretando secuti sumus, ex quibus unus, qui paulo plus vetustatis habere videbatur, foliorum multorum jacturam sustinuerat, quae suppleta erant recenti, nec bona manu. Alius recentior scriptus fuit Romae anno MDCXCVII. a Josepho quondam Patriarcha Chaldaeorum, qui a suis pulsus, illic diem suum obiit. Is autem codex mirum in modum interpolatus est, cum ad Missalis Chaldaici Romae editi formam, scriptor plura mutaverit, ut postea observabimus. In variis quoque locis, alicujus usus fuit Missae Christianorum apud Indos Latina versio, quae Itinerario Historiaeque Missionis Angamalensis Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi subjuncta, in Bibliothecam Patrum translata est. Etsi vero multis praesidiis destituti, formam tamen Nestorianae Liturgiae veram nos habere, certis argumentis demonstrari existimamus.

Liturgiae quarum versio nunc prodit propriae Nestorianorum sunt.

II. Tres habent antiquitus Liturgias Nestoriani, seu Chaldaei, ut ab aliis appellantur: ipsi vero Christianos Orientales se lubentius appellant, ut ex autoribus ejusdem sectae alibi probabimus. Sunt autem illi Syrorum veterum Christianorum reliquiae, qui post damnatum in Ephesina Synodo Nestorium, pulsi legibus Romanis, et quodammodo proscripti, in Mesopotamiam se receperunt, quae a Persarum

Tres apud Nestorianos Liturgiae.

Regibus saepius armis occupata, tutum exulibus asylum praebuit: praesertim cum Cosroës, quem vulgo Nuschiruanum vocant, illis faveret impensius; adeo ut Ecclesiam Edessenam ipsis attribuerit ex qua ab Heraclio dejecti sunt: reliquos etiam Christianos ad eorum haeresin amplectendam cogeret, quantum in illo erat. Ea ratione factum ut ingens Syrorum multitudo ad eos se adjunxerit, maxime cum scholas Nisibenam et Edessenam occupassent, ex quibus celeberrimi Ecclesiae Syriacae Doctores prodierant, antequam Nestoriana haeresis Mesopotamiam infecisset.

Cedren. T. 1. p. 415 1.

De prima Liturgia quae dicitur Apostolorum.

III. Prima Liturgia quae reliquarum Canon quidam est, et ex qua preces communes multae sumi solent, dicitur *Sanctorum Apostolorum:* ita Nestoriani vocant Adaeum et Marin, quos etiam *Doctores Orientis* appellant, et de quibus multa narrant illorum historiae, sed quae cum antiquorum Graecorum testimoniis conciliare facile non est. Nomina Adaei et Maris non repraesentant codices recentiores, sicut illa omissa sunt in Latina versione Missae Christianorum apud Indos. An porro prima ista Liturgia veterem Ecclesiarum Mesopotamiae disciplinam contineat, quam Nestoriani propriam deinceps sibi fecerint, aut novam ab ipsis introductam, judicare difficile est. Quamvis enim merito suspecta sit Nestorianorum traditio, quando solo ipsorum testimonio nititur, ubi tamen aliorum Orientalium monumentis confirmatur, autoritatem habet. At quod Adaeus, sive Thadaeus, Edessenis Evangelium praedicaverit, post ascensionem Domini, omnesque Mesopotamenos in fide Christiana instituerit, simulque ordinem Ministerii sacri apud eos ordinaverit, cum Agi suo discipulo; communis est quoque Jacobitarum traditio. Illam reperimus in antiqua Collectione Canonum, diversarumque Constitutionum Syriaca MS^a. Bibliothecae Palatinae Cosmi III. Magni Ducis Etruriae sub hoc titulo. *Doctrina Adaei Apostoli, qui docuit et catechisarit Edessenos et omnes Mesopotamenos.* Fieri igitur potuit, ut illa Ecclesiastica disciplina, quae praecipue ad sacramenta celebranda pertinet, antiquitus in Mesopotamiae Ecclesiis viguerit, et Nestoriani eam, cui indigenae assueti erant retinuerint. Neque enim exprobratum aliquando illis fuisse videmus ab Orthodoxis aut Jacobitis, quòd novam celebrandorum Sacramentorum formam invexerint, praeterquam ab uno Leontio, de quo dicetur inferius.

Amrus in Hist. Ms. Ar.

Magna illius Liturgiae antiquitas.

IV. Sane quantum ex comparatione aliarum diversi ritus Liturgiarum conjicere possumus, maxima est in Nestorianis simplicitas,

quae vetustatis non leve indicium est: quod non modo de ritibus intelligi debet, verum etiam de orationibus. Illas dicimus, quae praecipuas maximeque sacramentales Officii Eucharistici partes spectant: aliae si quidem ab ea antiquitate abesse longius videntur: verbosissimae enim sunt, et multis synonymis, epithetisque inflantur quae posteriorum saeculorum genius induxit. De ritibus etiam certa conjectura duci non potest: cum in plerisque Missalibus libris cujuscumque linguae, non semper adscripti sint, nam aliunde peti solent. Aliquos ex aliis Ecclesiasticis monumentis agnoscimus, quorum Codices in Oriente scripti mentionem nullam faciunt, de quibus tamen dubitare non possumus, quamvis notitia illorum satis obscura sit, quia libri Nestorianorum prae caeteris rarissimi sunt. Aliorum supersunt non obscura vestigia, in ipsa quam Menesius reformavit Liturgia. Reliquos, qui ab advenis Syris describuntur, si quando in Europam veniunt, ut exemplar, quod habemus scriptum manu Josephi Patriarchae, nullo loco haberi oportet, cum nonnulla ex Missali Maronitico transtulerint, ut maxime Orthodoxi viderentur. Antiquitatis etiam non leve argumentum praebet usus Ecclesiarum Malabaricarum, quas octavo saltem saeculo, aut fidem Christianam, aut saltem haeresin Nestorianam ab illius sectae Antistitibus accepisse, certissimum est. Plura sciremus, si libros haberemus, qui in Ecclesiis quas iidem in Tartaria, Turquestania, Cataia, Sinarumque imperio fundaverant, usurpati olim fuerunt. Sed illud tantum scimus, Nestorianos, quacumque in regione Ecclesias instituerunt, Officia sacra non aliter quam Syriace celebrasse, ut in India, ubi Syrus sermo non magis notus est apud plebem, quam foret in Europa.

Illa et duae alterae Theodori et Nestorii Nestorianorum certissime sunt.

V. Liturgia igitur, quam *Apostolorum* vocant simpliciter Codices plerique, alii adjunctis Adaei Marisque nominibus, inter alteras duas prima et praecipua est, unde etiam ad illam reliquae referuntur, non illa ex aliis quidquam assumit: et id quoque non leve antiquitatis argumentum est. Nam traditionem Ecclesiarum Mesopotamiae significat Nestorio vetustiorem: cujus nomine insignita Liturgia, si ab ejus discipulis primum scripta fuisset, caeteris procul dubio anteferretur, et reliquarum canon esset, quod nunquam fuit. Secundum inter eas locum obtinet Liturgia *Theodori Interpretis*, hoc est Mopsuesteni, a multitudine commentariorum in sacram scripturam, quorum adhuc nonnulli Syriace aut Arabice extant, ita cognominati. Illius meminit tanquam apud Nestorios frequentatae Alexius Menesius

Art. 5. Decret. 2. f. 28. Ed. Lusit.

in Synodo Diamperana: sed cum addit, Diodori Tarsensis aliam apud eos reperiri, confusa haec inter se nomina verisimile est. Neque enim Codices legitimi in Oriente scripti illius meminerunt: quamvis a Nestorianis illum inter coelites coli non ignoremus, cum ejus memoriam inter Patres Graecos celebrent, sexta feria Hebdomadis V. post Epiphaniam. Tertia tandem Liturgia est Nestorii, cujus nomen diligenter supprimunt, quicumque in Europam Mesopotameni venire solent: ut in Codice Eliae Sacerdotis Bagdadensis animadvertimus, et in alio observatum est Isa Sacerdotis alterius, qui alteri erat omnino similis. Cum porro et germani illi Nestorianorum codices inter se conveniant, et illi ipsi qui interpolati fuerunt eamdem sacrorum formam contineant: eadem quoque sit illa quam Synodus Diamperana emendandam suscepit: tandem cum libri precum, ubi nonnullae ad Liturgiam pertinentes referuntur, magis perspicuas et exploratas Nestorianismi notas praeferant, ut maledicta adversus Cyrillum, laudesque Nestorii: quin legitima sit ista, dubitare jure nemo possit. Neque id ignoraverunt qui tam studiose nomina illa expunxerunt ex suis codicibus.

Lectionar. Pers. MS. Nairon. Evop. p. 20.

Prima videtur antiquior Nestoriana haeresi fuisse.

VI. Quod vero superius dictum est, videri primam illam Apostolorum Liturgiam, non sine fundamento, antiquiorem esse divisione Ecclesiarum per Nestorianam haeresin, praeter simplicitatis notam, alia quoque argumenta suadent. Vetus quippe traditio est, non modo conservata a Mari Salomonis filio et Amro Mathaei ejus Epitomatore, sed ab ipsis Jacobitis, omnia quae ad Ministerium Ecclesiasticum pertinent ordinata fuisse in Mesopotamia ab Adaeo et Agi ejus discipulo, quibus Maris adjungitur a Nestorianis: illius enim Jacobitae non meminerunt. Fuisse vero in Edessena ditione, ut etiam Nisibi vicinisque Mesopotamiae urbibus Christianos, dudum antequam Nestoriani Ecclesias illas occuparent, non modo ex omnibus Orientalibus monumentis, sed ex Graecis etiam historicis demonstratur. Nam quae refert Eusebius de Abgaro Toparcha Edesseno, deque Christi ad eum Epistola, Orientales cujuscumque sectae vel linguae, suos in libros transtulerunt, ut pariter miracula imaginis Edessenae. Omissis autem fabulis quae incerta traditione nituntur, illud solum inde constare existimamus, quod a primis Ecclesiae saeculis floreret illis in regionibus Christiana religio, ab Apostolorum discipulis annuntiata. Illi cum Ecclesias instituebant, formam Sacramentorum celebrandorum praescribebant: unde hac in parte suspecta esse non potest Orien-

Hist. Eccl. l. 1. c. 13. Eutych. T. 1. Elmacin. p. 1. MS.

talium traditio, qua id factum ab Adaeo et Agi in Mesopotamia testantur. Cum porro circa sextum saeculum Nestoriana haeresis in illam provinciam sensim infusa est, et maxima ex Persidis Regum autoritate incrementa accepit, novas ab Antistitibus sacrorum leges introductas fuisse, nec historia testatur, nec moribus illorum temporum ullatenus convenisset.

VII. Accedit aliud non minimi ponderis argumentum. Liturgiae illae, prima praesertim, etiam in codicibus non admodum vetustis, inter multas, variique generis orationes vix ullam habent, quae Nestorianae doctrinae particulam aliquam repraesentet, una Nestorii excepta, quae trium postrema est, atque adeo recentior. At Officiorum nocturnorum diurnorumque preces multa habent ejusmodi venena: scilicet quia recentiores sunt, et ab illis hominibus compositae, qui sequacibus suis haeresin inculcare, quacumque satagebant. Sunt in Liturgicis precibus loci quidam, ex quibus suspicio Nestorianismi, si rigidius accipiantur, duci posset, quae tamen nullo negotio discutitur, si recte intelligantur. Sententiam enim Orthodoxam habent, neque ad haeresin detorqueri possunt, nisi ex praejudicata opinione adversus Nestorianos qui alibi opiniones suas produnt satis libere: dum Jesum Christum vocant *templum divinitatis*, et Virginem, *Matrem Christi:* Deiparam vero nunquam. Nempe contra morem Ecclesiarum fuit, addere quidquam vetustis orationibus, nisi quod omnium consensus recepisset, ut Ὁμοούσιος et Θεοτόκος adjuncta sunt post Nicaenum et Ephesinum Concilium, quod non modo a Jacobitis circa alteram vocem factum fuit, sed etiam ab Orthodoxis. Itaque ipsi etiam Jacobitae cum amplissimas Dioeceses tenerent, Alexandrinam et Antiochenam (quae dignitas Nestorianis defuit, qui nullam Patriarchalem sedem, etiam violenter occupatam possederunt) novas orationes, quae ad opinionis suae de una natura confirmationem spectarent, Liturgiis non inseruerunt: verum unico in loco confessionem ante susceptionem Eucharistiae adjecerunt; idque serius, in qua unius naturae fides agnosceretur. Ejusmodi autem Confessio, de qua dictum est fusius in commentario ad Copticas Liturgias, quamvis inter sacram actionem fiat, ad eam tamen proprie loquendo non pertinet.

Nihil in illis occurrit praeterquam in ultima quod haeresin redoleat.

VIII. Idem prope observatur in duabus aliis Liturgiis quod in prima communi, et generali: cum vix quidquam ad Nestorianae haereseos commendationem in illis legatur. Illud sane animadvertissent Diamperenses censores, si vel levem Orientalium rerum notitiam

Lusitani censores multa incaute damnaverunt quae cum Nestoriana haeresi commune nihil habent.

habuissent, qua eos caruisse, ubique manifestum est. Nam quod statim Missales libros, quia apud Nestorianos usurpati erant ab annis mille ducentis, tollendos, flammisque tradendos censebant, si alios Chaldaicos Pontifex Romanus ad eos misisset, abnorme prorsus, et ab omnibus disciplinae regulis alienum judicium tulerunt, cujus exemplum nullum Ecclesia Romana dedit. Inde enim sequeretur contaminari ab illis qui extra Ecclesiam sunt ea quae longo usu fidelium consecrata fuerant, Sacramentalia Officia: aliter baptisandum, offerendumque sacrificium, cum in ipsis quae inter haereticos administrata sunt Sacramentis, sancti Patres et Concilia characterem dominicum agnoverint. Cum igitur Nestoriani in Liturgiarum celebratione, ritibus et precibus usi sint ab Ecclesia Orthodoxa usurpatis, qualis procul dubio erat Edessena, antequam illam occuparent: vacabant omni corruptelae suspicione, nec aboleri magis debebant, quam Liturgiae Jacobitarum, quibus Maronitae usi esse reperiuntur, ab eo tempore, quo ad unitatem Catholicam reversi sunt, et aliae diversarum linguarum quae indigenis relictae fuere, quamvis in locis aliquibus reformatae sint. Nec erat postulandum a Romano Pontifice, ut Missales libros editos in Indiam mitteret; neque enim alii erant quam Maronitici: et cur Indi illi Christiani ritum Maronitarum suo omisso, accipere cogerentur, causa legitima nulla erat.

Quae praecipue in prima Liturgia emendaverint.

IX. Cum igitur tales libri haberi non possent, ad eorum qui in Ecclesiis Malabaricis usurpabantur reformationem adjecerunt animum, cujus omnem dispositionem Latina versio multoties edita repraesentat. Ejus praecipua capita in notis expendemus, pauca tantum hoc loco delibare operae pretium videtur, ex quibus intelligi facile poterit, quam parum idonei judices rerum sacramentalium forent reformatores illi. Statim quippe formam verborum Christi, ut in Nestorianis et Orientalibus omnibus Liturgiis legitur, condemnant, *quia*, inquiunt, *Sacerdos non suis, sed Christi verbis consecrat, atque adeo nihil illis licet addere.* Excipiunt tamen particulam, *enim, aeterni, et mysterium fidei*, quia inquiunt, *Ecclesia Romana ex traditione Apostolica didicit, Christum illa verba pronunciasse.* Utitur sane illis verbis Ecclesia Romana, neque vocari in dubium religio ejus potest; cum illa recitet ex antiquissima traditione. At Christum illa ipsa pronunciasse nunquam docuit, neque si ita Theologis quibusdam recentioribus visum est, illorum judicium autoritate sua confirmavit. Tantum abfuit vero ab illa censorum opinione, ut

cum multoties cum Graecis concordia inita fuerit, aut Orientales Christiani ad unitatem recepti, accusationem nullam sustinuerint, quasi in necessaria verborum consecrationis forma, peccarent. Omnes porro Graecae Liturgiae illam habent quam Evangelistae referunt, etiam diversis aliquando verbis expositam: ita Syriacae tam Melchitarum, quam Jacobitarum, Copticae, Armenicae, omnes tandem: solae Maroniticae Missalis Romae editi talem interpolationem passae sunt, nulla, cujus Decretum extet, autoritate Pontificis: multo minus proscripta reperitur verborum Christi sacramentalium formula, quam Graecae Ecclesiae a multis saeculis usu quotidiano frequentaverunt, absque ulla Romanae, quae cum illis communicabat, reprehensione. Neque sane erat suspicioni locus, cum Gothica, Mosarabica, et Ambrosiana Liturgiae eodem modo verba Christi referant, ut a tribus Evangelistis et Apostolo Paulo praescripta sunt.

Caeremonias addidere Orientalibus inusitatas.

X. Pari ratione multas Syriacis Liturgiis caeremonias addidere Censores Lusitani, quo Romanis per omnia similes essent, ut elevationem Eucharistiae, statim post pronunciationem verborum Christi, quae consuetudo in Oriente locum non habet, adeo ut in Maronitarum Missali adjecta non fuerit. Timebant scilicet boni illi viri, ne adoratio Eucharistiae deesse videretur. At scire debuissent illam elevari solere in Oriente, cum inclamatur, *Sancta sanctis*, et tunc exhiberi populo adorandam: quod ex Copticis, Jacobiticisque et Melchiticis Syrorum Ritualibus abunde confirmatur. Ita per importunam reformationem datur occasio adversariis Ecclesiae limpidissimum Traditionis fontem conturbandi, quasi damnet, quod ad initio Christianae religionis ubique receptum, ipsa per communionem multis saeculis cum Orientalibus Ecclesiis continuatam approbavit.

Invocatio Spiritus sancti.

XI. Alia quae similiter Censores Lusitani emendaverunt suis locis examinabuntur, unum modo attingemus. In omnibus cujuscumque linguae Liturgiis Orientalibus, Invocatio sancti Spiritus in dona proposita, et verbis Evangelicis consecrata, statim atque illa pronunciata sunt, subjicitur. In Latina versione iisdem praeponitur et iis quidem verbis quae formis aliarum Liturgiarum non omnino respondent, desunt enim ista: *ut adveniens Spiritus sanctus efficiat panem quidem istum corpus Christi, et calicem sanguinem Christi, etc.* ut habentur in ipso, de quo agimus, Nestoriano ritu in Theodori et Nestorii Liturgiis. Statim occurrit animo diversitatem illam ab eadem Censorum manu esse profectam, qui veteris doctrinae

minus quam par erat rationem habentes, Invocationem illam quasi haeresis sentinam suppresserint: etsi nulla oratio sit quae Sacramentariorum novitates firmius et perspectius refellat: cum reliquas diversis interpretationibus eludant: istius sententiam, salvis illius verbis circumvenire non possint. Verum est tamen in Codice quo praecipue ad interpretandum usi sumus, quique in Oriente et a germanissimis Nestorianis scriptus est, Invocationem eodem loco et iisdem verbis legi, ac in Latina versione. An porro codex mutilus, ut esse illum constat uno saltem folio, aliam Invocationis formam habuerit, absque vetustiorum codicum subsidio statui non potest. Insigne illud in prima Liturgia ab aliis discrimen fuisse difficile est, cum duae alterae illud non agnoscant. Sed cum in Decreto Synodi Diamperensis, quo Liturgiae examen continetur, de Invocatione Spiritus sancti nihil occurrat, illam in Codicibus Ecclesiarum Indicarum defuisse verisimile est: nam aliter censuram eorum qui leviora multa reprehenderunt, non effugisset. Orationem enim quae ad Invocationem refertur, et quam Diaconus alta voce pronuntiat, ubi habetur *Spiritum sanctum de coelo advenire, et efficere panem et vinum, Corpus et Sanguinem Christi*, expungi jussere, quia scilicet inde sequi videretur, *non Sacerdotem, sed Spiritum sanctum id efficere.* O praeclaram emendatricem veteris Theologiae, Philosophiam, quae si sola audiatur inconsulta traditione vix quidquam erit in antiqua disciplina quod erroris suspicione careat; oratio vix ulla quae non scateat haeresibus. Neque ad illam, quae vulgo Graecis attribuitur, cum quibus Nestoriani commune nihil habent, recurrendum est: nam quae Censores damnaverunt in istorum Officiis, leguntur passim apud Graecos Patres, qui Ecclesiae, cujus lumina fuerunt, conjunctissimi, errandi magistri esse non potuerunt. Neque illi solum, sed Latini multi, etiam plerique Missae interpretes, dixerunt *Christum esse qui per Spiritum sanctum panem suam efficit carnem, et vinum suum transformat in sanguinem:* nullum tamen inde detrimentum fieri sacerdotali ministerio existimaverunt. Sed de his alibi fusius agetur.

Codices licet parum antiqui sinceritatis notas habent.

XII. Igitur quamvis codicum antiquorum copia destituti, recentius scriptos sequi coacti fuerimus, quin tamen illa quam primam damus, sit germana Christianorum Orientalium sive Chaldaeorum, qui Nestoriani, ut re vera sunt appellantur, Liturgia, non est quod dubitetur. Nam codex Eliae Sacerdotis quem descripsimus, et interpretando praecipue secuti sumus, conveniebat accurate cum altero quem

vidimus in manibus Isae, alterius ex eadem Ecclesia Diarbekerensi, ex qua Elias erat, sacerdotis. Recentissimus qui a Josepho Patriarcha Romae scriptus est exceptis illis interpolationibus quae verba Christi mystica spectant et paucis aliis, cum duobus primis satis conveniebat. Tandem cum Missa Christianorum Malabarum qui ejusdem communionis erant, similis ubique reperiatur, praeterquam ubi censuram Lusitani exercuerunt, quod agnoscere facile est, ex ista comparatione, veram a nobis teneri Liturgiam Nestorianam firmissime probatur.

Primae Liturgiae forma.

XIII. Prima quae Apostolorum dicitur, magis simplex, aliorum Canon est et ex ea communes orationes multas petendas esse, in duabus aliis annotatur, quod observatur in omnibus codicibus, atque haec primaevae quantum ad illas Ecclesias antiquitatis certa nota est. Si enim illa quae dicitur Theodori Interpretis Liturgia, prius usurpata fuisset, ex illa similes orationes petitae, non ex altera fuissent, quod pariter et majori quodam jure fieri debuisset circa eam quae Nestorio tribuitur. Desunt tamen in nostris codicibus nonnullae orationes, quarum primae tantum voces referuntur, nempe quia recitari debent a Diacono, et in aliis libris reperiuntur: plerasque repraesentat Missa Malabarica: et quantum ex illarum lectione intelligi potest, plus habent novitatis, cum si quando prolixiores sunt, decurrant stylo illo florido et verboso, qui Orientalibus ita placet, ut in eo praecipuam eloquentiae partem constituant. In ejusdem Liturgiae fine, secundum Latinam versionem, benedictiones occurrunt satis prolixae, quas Codices nostri non repraesentant: sed earum aliquas parvo aut exiguo discrimine, adjunctas reperimus in fine tertiae Liturgiae sive Nestorii: non eas tamen habet Codex Josephi Patriarchae. Verbosissimae sunt, et obscurissimae multis in locis, quod novitatis indicium est. At cum in usu essent apud Ecclesias Malabaricas, non ita novae censendae sunt, quin septingentorum saltem annorum antiquitatem superent. Reliqua ad hanc Liturgiam spectantia, in notis explicabuntur.

Theodori Liturgia Diodoro adscribi non debet.

XIV. Secunda est Theodori Interpretis seu Mopsuesteni, quam, ut ex Synodo Diamperensi intelligitur, habuerunt quoque Malabares Nestoriani. At neque Diodoro adscriptam illam fuisse, aut diversam alteram illius nomine extitisse apud Nestorianos, ullo vel levissimo indicio patet. Utrumque distinguunt, et utriusque memoriam, ut supra diximus, inter Patres Graecos celebrant: sed Diodorum scriptam

Liturgiam reliquisse, nemo autor idoneus memoriae prodidit. Unde verisimile est ex nominum similitudine deceptos Censores Lusitanos fuisse, aut extitisse in Ecclesiis Malabaricis codices qui Diodori nomen huic Officio, Theodori loco adjunxerint.

Nullas habet Nestorianismi notas.

XV. In ea animadvertendum est, vix extare quidquam quod ad Nestorianam haeresin insinuandam pertineat, quod circa primam observavimus. Quod si ubi B. Mariae Virginis mentio fit, non appellatur *Deipara*, mirum esse non debet, cum ante Ephesinum Concilium id fieri, praesertim in publicis precibus non soleret: neque, ut in aliis privatis, aut quae ad Officia nocturna et diurna Nestorianis propria observatur, affectata illa Christiparae denominatio, quae Nestorianismi nota certa est: atque inde vetustas istius Liturgiae non mediocriter stabilitur.

Verba Christi referuntur ut in antiquis Codicibus.

XVI. Ubi verba Christi consecratoria referuntur, forma illorum non recedit ab ea quam omnes Liturgiae Orientales repraesentant, et ea quae habetur in Codice Eliae, ut in altero Isac Sacerdotis. Sed etiam ita scriptam fuisse in codicibus, quos secutus est Joseph Patriarcha, ex ejus apographo agnoscitur. Et quod magis adhuc mirari subit, Invocatio Spiritus sancti super Eucharistiam verbis Dominicis consecratam, ut panem et calicem faciat corpus et sanguinem Christi Domini, in eodem leguntur, ut in aliis codicibus, quorum idcirco fides vocari in dubium non potest.

Ut etiam Invocatio Spiritus sancti.

XVII. Idem observatur in Liturgia tertia quae Nestorio adscribitur, et cujus ut Diodori et Theodori memoria celebratur titulo Patrum Graecorum. In ea quippe codex a Josepho scriptus, aliis perfecte similis est, tam circa verba Evangelica, quam circa Invocationem sancti Spiritus. Inde refellitur id quod in Synodi Diamperanae Decretis legitur, varias fuisse multas, et erroneas illorum verborum formas, in Malabaricis Missalibus. Varietas in primaevis Codicibus qui in Mesopotamia scripti sunt, nulla est, nisi qualis inter Graecas diversi ritus Liturgias animadvertitur: et quod illa forma non foret eadem, quae Romana, ad fidem nullatenus pertinet. Unde temere omnino quibusdam Catholicis, sive Chaldaeorum supremis Antistitibus impingitur ab Alexio Menesio quod formas illas immutaverint. Nam conformitas cum Graecis Ecclesiis omnem hac in parte novitatis suspicionem excludit.

In Liturgia Nestorii transmutatio elementorum inculcatur.

XVIII. In eadem Nestorii Liturgia singulare quiddam observatur, circa formam Invocationis Spiritus sancti quod post usitata verba

adjiciatur *transmutans ea Spiritu sancto tuo:* quae non extant in duabus aliis: neque in plerisque Syriacis, aut Copticis Jacobitarum, aut Melchitarum; neque in Graecis, praeterquam in Liturgia Chrysostomi. Haec etiam nota non dubia antiquitatis est: nam Nestorius sedem Constantinopolitanam tenuit, ubi haec Liturgia usurpabatur. Ex illa igitur verisimile est, translata fuisse illa verba, quae in aliis non leguntur; idque factum statim a primis Nestorii discipulis, cum ritum quem Constantinopoli didicerant, conservassent. Atque inde fortassis Nestorio attributa est eadem Liturgia, quod ab eo aut proximis ejus discipulis tradita fuisset. Sane haec nota, magnae antiquitatis, et originis ab Ecclesia Constantinopolitana deductae, non contemnendam autoritatem habet: etiam si Nestorio haec oratio a suis sectatoribus tribuatur: cum in illa neque Nestorii, neque Nestorianorum verba, sed Chrysostomi, et Ecclesiae Constantinopolitanae agnoscantur. Tandem quamvis novitatem aliquam prae se ferrent, et ab illis haereticis introducta illa fuissent nihil inde sequitur, nisi quod tot aliis argumentis adversus Protestantes conficitur, doctrinam de vera et substantiali elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutatione, non apud nos natam fuisse, et propagatam decimo demum saeculo, sed quingentis circiter annis prius, non modo inter Orthodoxos, sed etiam inter haereticos ita viguisse, ut cum in aliis fidei capitibus errarent, istud constantissime extra Ecclesiam retinuerint, quod in ea didicerant. Id etiam majoris momenti est in Nestorianis, quia veterum nonnulli, quod de Eucharistia minus religiose sentirent eos accusaverunt, cujus tamen labis vestigium ne levissimum quidem apparet: imo non modo mutationem elementorum in corpus et sanguinem Christi perspicue docet Elias Catholicus, ordinatus anno J. C. MCLXXV: sed eam esse *substantiae in substantiam*, ut patet ex ejus testimonio, quod alibi relatum est.

Benedictiones in fine Liturgiae.

XIX. In codice Eliae Sacerdotis Liturgiae Nestorii subjunguntur diversae illae benedictiones, quibus populus post celebrata mysteria solet dimitti; et illarum praecipuas repraesentat Missa Malabarica, quae, ut diximus, versio est primae quam vocant *Sanctorum Apostolorum*. Ita in exemplari quod hic Lutetiae sua manu scripserat Sacerdos Chaldaeus Abdelahad, sive Dominicus, omnes illas benedictiones adjecerat primae illi Liturgiae. In codice Josephi Patriarchae similiter omittuntur: atque inde illas ad Liturgiam Nestorii non pertinere manifestum est.

In tertia Nestorianismi quaedam notae sunt.

XX. Quod de duabus primis dictum est, vix quidquam in orationibus quibus constant reperiri, quod ad Nestorianam haeresin pertineat, de ista ultima non omnino verum est. In ea quippe oratione, quae Praefationi respondet, haec leguntur. *Similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex anima rationali, intelligente et immortali, et corpore mortali hominum, et conjunxit illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore.* Haec sane verba, praesertim ex ore Nestorianorum, sententiam Catholicam efficere nequeunt, cum unionem quam Orthodoxi constituunt in unitate personae, Jacobitae in unitate naturae; Nestoriani ad honoris, potestatis, et dignitatis consortium reducant, ut explicant illam Elias Catholicus, Amrus Mathaei filius, et alii quorum testimonia refert Ebnassalus. Illa quoque explicatio iisdem verbis legitur in Paraphrasi Persica Lectionarii ad usum Christianorum Persidis, qui ut plurimum Nestoriani sunt, et passim alibi. Itaque si jam a Nestorii saeculo haec illius doctrinae confessio sacris precibus inserta est, ejus opinionem fideliter exprimit: si ab ejus discipulis, patet eos a magistri sui errore non recessisse, quod multis temere nimium scriptum est, et ab aliis creditum.

Liturgiae illae usu Ecclesiarum commendantur.

XXI. Habent porro tres illae Liturgiae notas omnes veritatis et antiquitatis, quibus apud eruditos illarum *αὐθεντία* probari potest, quam etiam Ecclesiarum, quae Bagdadensium Catholicorum Nestorianae sectae Patriarcharum autoritati subjectae sunt, aut olim fuerunt, usus confirmat. Neque enim ad Indicas Ecclesias quae ante annos circiter octingentos, aut fundatae, aut ad Nestorianam haeresin transductae fuerunt perferri poterant Officia sacri cultus, quae non apud eos quos Patrum et Pastorum loco habebant recepta non fuissent. Quod vero mutationes varias passae sint ab Episcopis aut Patriarchis illae Liturgiae, ut Censores Lusitani existimaverunt, futilis neque ullis argumentis fundata conjectura est: nam in aliquot locis, qui speciminis causa ab illis annotantur, ut est diversa expositio sacrorum verborum Christi Domini, falli eos perspicuum est, cum illae formulae quas novitatis condemnant, vetustissimae sint, et aliis conformes, de quarum antiquitate, aut integritate controversia esse nulla potest.

Habent partes omnes Officii Eucharistici necessarias.

XXII. Quidquid ad constituendam legitimae Liturgiae formam necesse est, in tribus illis occurrit: neque enim, ut alibi explicatum est, orationes praeviae, aut quae communioni praemittuntur vel subjunguntur, partes necessariae sunt: et in eadem Ecclesia non uno

modo semper se habuerunt. Verum ea quae proprie loquendo Liturgiam constituunt, eamdem ac reliquorum Christianorum Liturgiae, formam habent. Leguntur Epistolae et Evangelia, postquam dictae sunt orationes ad implorandum Dei auxilium ordinatae: canuntur Psalmi; panis et vinum non sine magna reverentia ad altare inferuntur, diversae pro omnibus personis et necessitatibus dicuntur orationes. Atque haec ad praeparationem sacrae actionis spectant, quae non modo in Copticis, Syriacis, aliisque Orientalibus Liturgiis, sed in Graecis Latinisque cujuscumque ritus, eodem modo fit, et iisdem saepe verbis, una certe eademque sententia.

Earum partes praecipuae.

XXIII. Actionis sacrae initium ducitur ab osculo pacis apud Nestorianos, ut apud reliquos Orientales: sequitur adhortatio solennis *Sursum corda, etc.* quae ubique et semper observata fuisse reperitur: eamque sequitur oratio quae apud nos *Praefatio*, apud Gothos et alios *Contestatio* appellatur. Ea laudes et gratiarum actiones continet pro omnibus beneficiis humano generi a Deo collatis, et in Cherubico hymno desinit, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Variae porro sunt in omnibus tam Orientalibus quam Occidentalibus Officiis, Praefationes, si verba attendimus, sed omnes unius sunt ejusdemque sententiae, non minus quam reliquae orationes quae sequuntur, usque ad pronuntiationem verborum Christi Domini. In codice Eliae, ut superius notavimus, desunt folia circiter duo, et ea suppleri possunt ex aliis, quantum ad orationes quae praecedunt, illam ex Evangeliis pericopen, *Qui pridie quam pateretur*. Nam fuisse Liturgiam aliquam in qua omitterentur verba Christi, inauditum prorsus antiquitus, et contra omnium Ecclesiarum, imo et ipsius de qua agimus Nestorianae disciplinam, quae ex Theodori et Nestorii Liturgiis perspicue agnoscitur. At quod illorum formam immutari sanxit Alexius Menesius, ut Romana substitueretur, non majoris autoritatis est, quam rationes talis interpolationis, quas in Decretis Synodi Diamperanae, qui scribendo aderant, extare voluerunt. De illis jam nonnulla dicta sunt, et in notis plura dicentur.

Invocatio Spiritus sancti in prima Liturgia praemittitur Christi verbis.

XXIV. Observavimus quoque Invocationem Spiritus sancti, in prima Liturgia eo loco positam, ubi vulgo non legitur, scilicet antequam pronuncientur verba Christi Domini. Postea vero non legitur, ut in duabus alteris, et in omnibus Orientalibus. In Coptica Basilii quae duarum aliarum Canon est, invocatur Spiritus sanctus, ut offerenda dona consecret, et efficiat corpus et sanguinem Christi:

eaque Invocatio, quae alteri subsequenti valde similis est, initio Liturgiae dicitur, longe priusquam pronuncientur verba Dominica. Duas itaque Invocationes habent Coptitae, neque prior posteriorem excludit, et simile quiddam observatur in Officiis Gothicis et vetustis Gallicanis. Inde conjectura duci potest, in Nestoriana generali Liturgia duplicem quoque Invocationis formulam fuisse: sed ut verum fateamur, etsi conjectura verisimilitudine non caret, probari tamen absque subsidio vetustorum codicum vix potest. Nam quod Menesius eam sustulisse videatur, non plane liquet, neque quod in Codice Josephi Patriarchae manu descripto non comparet, probat eam extitisse in antiquis codicibus, cum ipse Josephus etsi ad Romana sacra transierit, Romaeque Codicem suum scripserit, Invocationis formam in aliis duabus Liturgiis, iisdem verbis, et eodem loco retinuerit. In illis porro duabus Theodori et Nestorii, Invocatio integra est, similisque usurpatis apud alias Ecclesias formulis: ut in ista, eadem verba sunt quae in Liturgia Chrysostomi.

Hostiae fractio, etc. respondent aliarum Ecclesiarum disciplinae.

XXV. Quae hostiae fractionem, intinctionem, signationemque spectant, communem repraesentant Ecclesiis omnibus Orientalibus Occidentalibusque disciplinam, quae, si absit fides realis elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationis, locum habere non potest, quod satis testati sunt Protestantes, cum haec omnia funditus sustulerint. At quod diverso modo fractio fiat, in pluresque vel pauciores particulas: aut ritus frangendi et consignandi non sit omnino similis, parum refert. Illud enim discrimen non modo inter Graecam et Romanam Ecclesiam fuit, cum summa esset inter utramque concordia, sed ut Graeci, ita Mozarabes hostiam in plures particulas dividunt, nulla inde novitatis aut superstitionis accusatione exorta.

Stilo simpliciori Liturgiae Nestorianae scriptae sunt.

XXVI. Partes illas Liturgiae praecipuas, quas designavimus, simplicitas sua commendat: in aliis stili Orientalis plus inest, et naturalis apud illas gentes verborum redundantia, in qua dudum est cum elegantiae purioris laudem Syri, Arabesque solent constituere. In illis interpretandis ita versati sumus, ut neque stilum floridiorem affectaremus, quod Masius fecit in ea quam dedit Liturgiae Syriacae Basilio tributae versione: neque verbum verbo reddendum arbitraremur. Id sane saepe fieri non potest: nam synonymis abundat lingua Syriaca, quae uno prope solo verbo Latino exprimi possunt. Ita vox *misericordia* quae continuo occurrit, per quatuor aut quinque Syriacas exprimitur, ut apud Latinos *miseratio* et *misericordia*,

idem significant. Ubi *miserationes* posuimus, qui Missam Malabaricam interpretati sunt, *amores* verterunt, ridicule prorsus, neque ex stilo Ecclesiastico, a quo saepe recesserunt, etsi magnopere videntur in animo habuisse, ut verbum verbo redderent. Sed illos quicumque fuerint, Syriacae linguae parum peritos fuisse, multis indiciis agnoscitur: unde ab illorum sententia recedere saepius necesse fuit. Versio vero quam damus, talis est, ut simplicissima sit et fidelissima.

Nestoriani ubique Syriace sacra celebraverunt.

XXVII. Reliquum est ut de Nestorianorum disciplina circa usum istarum Liturgiarum dicatur aliquid: nam inter eos numerantur a Protestantibus, qui cum Syri sint, et Syriace sacra faciant, suo exemplo damnant Ecclesiam Catholicam, quod vernacula lingua in suis officiis non utatur. Nullum tamen erat quo juvari minus posset causa Protestantium, quam prorsus labefactat, disciplinamque Ecclesiae Romanae mirifice confirmat. Nam ex quo Nestoriani Mesopotamiae Ecclesias prope omnes occupaverunt, amisso Graecae linguae usu, illam quoque in sacris Officiis celebrandis omiserunt, Syriacaque sola uti coeperunt. Cum vero Arabica ubique passim obtinuisset, ita ut soli eruditi Syriace scirent, plebs illiterata, imo Ecclesiastici ipsi, non nisi studio adhibito, Syriacam linguam intelligerent, ea tamen ratio tanti visa non fuit, ut antiqua consuetudo aboleretur, et vernacule sacra fierent. Unde huc usque apud Ecclesias omnes Nestorianas, non aliter quam Syriace solent celebrari, licet plerique Sacerdotes eam linguam non intelligant. Neque in eo constiterunt Nestoriani: nam cum multas in Perside Ecclesias fundassent, ubi Syriacae linguae usus nullus erat, eam tamen illic in sacris celebrandis retinuerunt. Plebi ita consuluerunt, ut Lectionaria quibus Epistolae et Evangelia de circulo anni continebantur, Persico interpretata essent; et tale eleganter et accurate scriptum nobis suppeditavit Bibliotheca Colbertina. An porro, ut apud Coptitas Arabica, ita Persica scripturarum versio inter Missarum solemnia legeretur: an ad privatos usus tantum instituta fuerit; etsi valde verisimile videtur, exemplum reliquorum Orientalium Christianorum secutos esse Nestorianos: tamen, unde certo probetur, huc usque nihil nobis occurrit. In extrema Tartaria et Turquestania multas quoque Ecclesias habuerunt, atque illic Episcopales et Metropolitanas sedes novas erexerunt, ubi non aliter quoque quam Syriace sacra officia celebrabantur; quod de Sinensi illorum Ecclesia judicari non sine ratione potest. Nam lapis effossus anno MDCXXV. Si-

nicis Syriacisque literis insculptus, is ipse est quo primae ad Sinas Evangelii praedicandi causa missionis, memoria consignata fuit. Subscriptio, cum sacerdotum aliorumque Ecclesiasticorum nominibus, Syriacis literis exarata est: nec aliam ob causam quam quod sacra et Ecclesiastica esset lingua Syriaca; in qua illos rem divinam fecisse non dubitandum videtur, quandoquidem ita fecerunt Nestoriani in India. Ecclesiae enim Malabaricae sacros libros alios non habuere quam Syriacos, in quibus emendandis tantopere Lusitani laboraverunt. Plura dicere supervacaneum foret in re perspicua, et omnium qui in Oriente fuerunt testimoniis confirmata, quam ignorare non possunt etiam ipsi, qui ex Orientalium exemplo Romanam disciplinam vellicare aggressi sunt: quod quam inutiliter factum sit, satis quisque intelligit.

Graeci de Nestorianorum ritibus vix quidquam scripserunt.

XXVIII. In Graecis autoribus ad antiquas Nestorianorum origines illustrandas, vix quidquam praesidii est: errores illorum acriter et erudite impugnaverunt multi, sed de illorum rebus Ecclesiasticis pauca admodum videntur scivisse, quod mirum esse minus debet, quam similis Jacobitarum et Melchitarum, qui in iisdem provinciis vivebant negligentia aut ignorantia. Illi enim cum in iisdem regionibus simul essent, multa docere poterant de Nestorianorum sacra disciplina, ut etiam de illorum Liturgiis. At quale fuerit de iis quae apud se in usu non essent Graecorum judicium, satis ostendit Balsamon Juris Canonici praecipuus apud eos interpres, qui Jacobi Marcique Liturgias abolendas judicavit; cum ipse Antiochenus Patriarcha scire debuisset, quam antiquus illarum usus in Ecclesiis Palaestinis et Aegyptiaticis foret. Itaque vix quidquam in Graecorum recentiorum scriptis legimus, circa Orientales Liturgias, nisi accusationem Jacobitarum apud Anonymum a Combefisio editum, quod Liturgias diversas ab Ecclesiastica Traditione, composuissent. Ita Leontius in opere cujus Latinam versionem Turrianus edidit de Theodori impietate. Verba Graeca ex MSS. Codicibus talia sunt, *Τολμᾷ δὲ ἕτερον κακὸν τῶν εἰρημένων οὐ δεύτερον. Ἀναφορὰν γὰρ σχεδιάζει ἑτέραν παρὰ τὴν πατρόθεν ταῖς Ἐκκλησίαις παραδεδομένην, μήτε τὴν τῶν ἀποστόλων αἰδεσθείς, μήτε τὴν τοῦ μεγάλου Βασιλείου ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι συγγραφεῖσαν λόγου τινὸς κρίνων ἀξίαν. Ἐν ᾗ ἀναφορᾷ βλασφημιῶν, οὐ γὰρ ἰσχῶν, τὴν τελετὴν ἀνεπλήρωσεν. Ausus est, et aliud facinus supra dictis non inferius. Anaphoram enim*, sive Liturgiam, *composuit, aliam ab ea, quae a Patribus Ecclesiis tra-*

dita fuerat: neque illam Apostolorum reveritus, neque D. Basilii Magni in eodem spiritu conscriptae rationem ullam habendam esse judicans: in qua Anaphora blasphemiis potius quam precibus Sacrum Officium replerit. Ex eo testimonio intelligi potest Liturgiam Theodoro adscriptam Graecis incognitam non fuisse, neque tamen autoritas Leontii, qui post tot annos scribebat, probat sufficienter, compositam illam ab eo fuisse, sed illud solummodo, quod talis vulgo ferretur apud ejus sectatores opinio. Quod adjicit Leontius, plenam fuisse illam blasphemiis, si verum est: aliam viderat ab ea quam Nestoriani huc usque servant, magnopere diversam, cum praeter unum quem supra indicavimus locum, quod ad haeresin insinuandam spectare videatur nihil in tribus appareat.

Qualis esset Apostolorum Leontio citata.

Quid per Apostolorum Liturgiam designaverit Leontius, si Graecorum traditionem sequimur, agnoscere facile non est: talem enim ipsi nullam habent, solisque Basilii et Chrysostomi Liturgiis utuntur. Nihil igitur propius est, quam ut eo nomine intelligatur ea quae in Nestorianorum Codicibus prima et praecipua est, a qua multae communes orationes peti debent: quam tamen Nestorius aut quicumque illius nomine Liturgiam composuit, non insuper habuit, aut parum reveritus est, cum suam ad primaevum illud exemplar accommodaverit. De Basilii Liturgia, quasi legem necessariam sacrorum contineat, vetus est Graecorum recentiorum naenia, quam adversus Latinos fastidiose Symeon Thessalonicensis ingerere solet, calumniose non minus quam imperite. Porro si per Liturgiam Apostolorum in verbis Leontii, prima earum quas Nestoriani habent intelligi debet, forma vetus Liturgiae Syriacae, qualis in Ecclesiis Mesopotamenis ante scissam Ecclesiam per Nestorianorum haeresin usurpabatur, in ea agnosci potest. Reliqua in notis explicabuntur.

LITURGIA
APOSTOLORUM I SANCTORUM,
SEU ORDO SACRAMENTORUM.

Primo. [2] Gloria in excelsis Deo: *et* Pater noster qui es in coelis.

Oratio.

Robora Domine et Deus noster infirmitatem nostram per misericordiam tuam, ut administremus mysterium sanctum quod datum est ad renovationem, et salutem naturae nostrae humilis: per miserationes Filii tui dilecti, omnium Domini.

Diebus communibus. Adoretur, glorificetur, laudetur, celebretur, exaltetur et benedicatur in coelo et in terra, nomen adorandum, et gloriosum Trinitatis tuae, semper gloriosae, Domine omnium.

Diebus communibus dicunt Psalmum, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, *integrum cum suo canone, mysterii Sacramentorum.*

Elevatio vocis. Quis praebebit jubilum, etc.

Oratio.

Coram throno, Domine, praeclaro majestatis tuae, et solio excelso, atque sublimi gloriae tuae, et in sede terribili fortitudinis caritatis tuae, altarique propitiatorio, quod voluntas tua stabilivit, in regione pascuae tuae, cum millibus Cherubim laudantibus te, et deciesmillibus Seraphim sanctificantibus te, accedimus, adoramus, confitemur et glorificamus te, semper, omnium Domine.

In memoriis, et sextis feriis. Nomen tuum magnum et sanctum, praeclarum et benedictum: beatum et incomprehensibile Trinitatis tuae gloriosae, et gratiam tuam erga genus nostrum, debemus quocumque tempore confiteri, adorare et glorificare, omnium Domine.

Responsorium ad cancellos, ut supra. Quis praecepit. Pontifici. Quam spirat in nobis Domine et Deus noster odor suavis dulcedinis

caritatis tuae: illuminatae sunt animae nostrae, per cognitionem veritatis tuae: digni efficiamur suscipiendi manifestationem dilecti tui, de coelo sancto tuo: illic confitebimur tibi, et (interea) glorificabimus te indesinenter in Ecclesia tua coronata et plena omnibus auxiliis et omnibus bonis, quia tu es Dominus et creator omnium Pater.

Oratio incensi. Referemus hymnum Trinitati tuae gloriosae, Pater, Fili et Spiritus sancte.

Diebus jejunii. Et propter.

In commemoratione Sanctorum. Tu Domine, vere es suscitator corporum nostrorum: tu es Salvator bonus animarum nostrarum, et conservator securus vitae nostrae: nosque oportet te perpetuo confiteri, adorare et glorificare omnium Domine.

[3] *Ad Lectiones.* Sanctus, [4] laudandus, potens, immortalis, qui in sanctis habitas, et requiescit in eis voluntas tua: respice Domine, propitius esto et miserere nostri, sicut in omnibus auxiliator es omnium Domine.

Ad Apostolum. Illumina nobis Domine et Deus noster, motus cogitationum nostrarum, ad audiendum et intelligendum auditiones suaves mandatorum tuorum vivificantium et divinorum: et concede nobis per gratiam et misericordiam tuam ut ex illis colligamus argumentum dilectionis et spei; salutemque animae et corpori convenientem: canemusque tibi gloriam perpetuam indesinenter, et semper, omnium Domine.

Diebus jejunii. Tibi gubernator sapiens.

Descendens salutabit [5] *Evangelium, dicens hanc orationem coram altari.* Te germen praeclarum Patris tui, et imaginem personae genitoris tui, qui revelatus es in corpore humanitatis nostrae, et ortus es nobis in lumine annuntiationis tuae, te confitemur, adoramus, etc.

Et post proclamationem. Te Domine Deus potens deprecamur et rogamus, perfice nobiscum gratiam tuam et effunde per manus nostras donum tuum, misericordiam, et miserationem divinitatis tuae. Sint nobis ad propitiationem delictorum populi tui, et ad remissionem peccatorum totius gregis pascuae tuae, per gratiam tuam et miserationes tuas, bone et amator hominum, Domine omnium.

Diaconi dicunt. Inclinate capita vestra.

Sacerdos dicit Orationem secretam hanc in Bemate.

Domine Deus omnipotens, tua est Ecclesia sancta Catholica, quippe qui per passionem magnam Christi tui, emisti oves pascuae tuae, et ex gratia Spiritus sancti, ipsius qui unius est cum divinitate tua gloriosa naturae, dantur gradus ordinationis sacerdotalis verae: et per clementiam tuam Domine dignatus es imbecillitatem nostram facere membra spiritualia in corpore magno Ecclesiae tuae sanctae, ut ministraremus auxilium spirituale animabus fidelibus. Tu nunc Domine perfice nobiscum gratiam tuam, et effunde per manus nostras donum tuum: et misericordiae tuae, et clementia divinitatis tuae, sint super nos, et super populum istum quem elegisti tibi.

Elevans vocem. Et da nobis Domine per clementiam tuam, ut nos omnes simul et aequaliter omnibus diebus vitae nostrae placeamus divinitati tuae, dignique efficiamur auxilio gratiae tuae, ad offerendum tibi laudem, honorem, confessionem, et adorationem, omni tempore Domine.

Et ascendunt Diaconi ad altare et dicunt. ° Qui non accepit baptismum, etc.

: *Et incipit Sacerdos responsorium mysteriorum, inferuntque Sacrista et Diaconus discum et calicem super altare. Sacerdos manus format in modum crucis et dicit.* Offerimus laudem Trinitati tuae gloriosae omni tempore et in saecula.

Et prosequitur. Christus qui immolatus est pro salute nostra, praecepitque nobis ut ageremus commemorationem mortis et resurrectionis suae, ipse suscipiat sacrificium hoc ex manibus imbecillitatis nostrae: per gratiam suam et miserationes suas in saecula. Amen.

Et prosequitur. Imponuntur mysteria praeclara, sancta et vivifica super altare Domini potentis, usque ad ejus adventum, in saecula. Amen.

Lauda. Memoria tua. Pater noster. Apostoli Patris. Super altare sanctum. Qui dormierunt. Mathaeus. Marcus. Lucas, etc.

LITURGIA

BEATORUM APOSTOLORUM

COMPOSITA A S. ADAEO ET S. MARI ORIENTALIUM DOCTORIBUS.

Accedit Sacerdos ad celebrandum, terque inclinatur coram altari, cujus medium osculatur: tum cornu dextrum et sinistrum, et inclinatur ad ejus partem sublimiorem: Et dicit.

Benedic Domine. Orate pro me Patres, fratres et Domini mei, ut Deus det mihi virtutem et possibilitatem, quo perficiam ministerium hoc, ad quod accessi, suscipiaturque oblatio haec ex manibus imbecillitatis meae, pro me, pro vobis, et pro toto corpore Ecclesiae sanctae Catholicae, per gratiam ejus et miserationes ejus, in saecula. Amen.

Et respondent. Christus exaudiat orationes tuas, gratumque habeat sacrificium tuum: suscipiat oblationem tuam, honoretque sacerdotium tuum; et det nobis per mediationem tuam, veniam delictorum nostrorum, et remissionem peccatorum nostrorum, per gratiam suam et miserationes suas in saecula.

Mox inclinat se ad partem inferiorem, eadem pronuntiando, eodemque modo illi respondent: tum inclinatur versus altare et dicit.

Deus omnium Dominus, sit cum omnibus nobis per gratiam suam et miserationes, in saecula. Amen.

Et inclinatus ad Diaconum qui est a sinistra, dicit. Deus omnium Dominus confirmet verba tua, et praestet tibi pacem, suscipiatque oblationem hanc ex manibus meis, pro me, et pro te, pro toto corpore Ecclesiae sanctae Catholicae, et pro universo mundo per gratiam ejus et miserationes ejus in saecula.

Inclinat se ad altare et secreto dicit.

Domine et Deus noster ne aspicias ad multitudinem peccatorum nostrorum, neque avertatur dignitas tua propter gravitatem nequi-

tiarum nostrarum, sed per gratiam tuam inenarrabilem sanctifica sacrificium istud, et da per illud possibilitatem et virtutem, ita ut obliviscaris peccata nostra multa, sisque propitius, cum manifestaberis in fine temporum, in homine quem a nobis assumsisti, inveniamusque coram te gratiam et misericordiam, dignique efficiamur laudandi te cum coetibus intellectualibus.

Surgit et dicit hanc Orationem secreto.

Confitemur Domine et Deus noster divitias abundantes gratiae tuae erga nos: *Et prosequitur.* Qui cum peccatores et humiles essemus, propter multitudinem clementiae tuae fecisti nos dignos administrandi mysteria sancta corporis et sanguinis Christi tui. Petimus auxilium a te, ad robur animarum nostrarum, ut in caritate perfecta, et in fide vera administremus donum tuum erga nos. *Canon.* Et referemus tibi laudem, gloriam, confessionem et adorationem, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signat se signo crucis et respondent. Amen.

Et prosequitur. Pax vobiscum.

Respondent. Tecum et cum spiritu tuo.

Et dant pacem sibi invicem et dicunt. Pro omnibus [9] Catholicis.

Diaconus dicit. Confiteamur, rogemus, et deprecemur.

Sacerdos dicit hanc Orationem secreto.

Domine Deus potens adjuva imbecillitatem meam, per clementiam tuam, et per adjutorium gratiae tuae: meque dignum fac offerendi coram te oblationem hanc, tanquam ad commune omnium auxilium, et ad laudem Trinitatis tuae Pater, Fili et Spiritus sancte.

Alia Oratio quae dicitur etiam in Liturgia Nestorii.

Domine et Deus noster coerce cogitationes meas, ut non ovagentur in vanitatibus mundi hujus. Domine Deus noster da mihi ut uniar dilectioni caritatis tuae, quamvis indignus sim. Gloria tibi Christe.

Ascende in thalamum luminis praeclari tui Domine: semina in me semen bonum humilitatis: et sub alis gratiae tuae absconde me,

per misericordiam tuam. Si iniquitates observaveris Domine, quis poterit consistere? quia apud te propitiatio est.

In alio Codice Sacerdos dicit hanc Orationem secreto.

Mater Domini nostri Jesu Christi, deprecare pro me Filium unigenitum qui ex te natus est, ut remittat mihi delicta, et peccata mea, et suscipiat ex manibus meis infirmis et peccatricibus sacrificium hoc quod offert imbecillitas mea, super hoc altare, per intercessionem tuam pro me, Mater sancta.

[10] *Cum dixerit Diaconus.* Vigilanter et attente, *statim surgit Sacerdos et discooperit sacramenta,* [11] *auferens velum quo tegebantur: benedicit incensum et dicit Canonem, alta voce.*

[12] Gratia Domini nostri Jesu Christi: et caritas Dei Patris et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus nobis nunc, etc.

Signat sacramenta, et respondent. Amen.

Sacerdos prosequitur. [13] Sursum sint mentes vestrae.

Respondent. Sunt ad te Deus Abraham, Isaac, et Israël Rex gloriose.

Sacerdos. Oblatio Deo omnium domino offertur.

Respondent. Dignum et justum est.

Diaconus. Pax nobiscum.

Sacerdos imponit incensum et dicit hanc Orationem.

Domine, Domine da mihi apertam faciem coram te, ut cum fiducia quae a te sit, perficiamus sacrificium hoc tremendum et divinum, conscientiis ab omni nequitia et amaritudine puris. Semina in nobis Domine dilectionem, pacem et concordiam ad invicem, et erga quoscumque.

Et erectus dicit secreto. Dignum est gloria ab omni ore, et confessione, ab omnibus linguis, et adoratione atque exaltatione ab omnibus creaturis, nomen adorandum et gloriosum Patris, et Filii, et Spiritus sancti: qui creavit mundum per gratiam suam, et habitatores ejus per clementiam suam, qui salvavit homines per misericordiam suam, et praestitit gratiam magnam erga mortales. Majestatem tuam Domine benedicunt et adorant, millies milleni superni (Spiritus) et decies mille myriades Angelorum Sanctorum, exercitus spiritualium,

ministri ignis et spiritus; cum Cherubim sanctis, et Seraphim spiritualibus, nomen tuum sanctificant et celebrant, clamantes, et laudantes, indesinenter clamando alter ad alterum.

Dicunt alta voce. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus potens, pleni sunt coeli et terra gloria ejus.

Sacerdos secreto. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine Deus potens, cujus gloria pleni sunt coeli et terra, et natura substantiae ejus: ut honore splendoris ejus gloriosi: (sicut scriptum est) coelum et terra plena mei sunt, dicit Dominus potens. Sanctus es Deus Pater, vere solus, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur. Sanctus es Fili aeterne, per quem omnia facta sunt. Sanctus es Spiritus sancte, aeterne, per quem omnia sanctificantur. Vae mihi, vae mihi, qui obstupui, quia vir pollutus labiis ego sum et inter populum pollutum labiis habito, et Regem Dominum potentem viderunt oculi mei. Quam terribilis est hodie locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli, quia oculo ad oculum visus es Domine. Nunc vero adsit nobiscum gratia tua, Domine, purga immunditias nostras, et sanctifica labia nostra. Junge voces tenuitatis nostrae, cum sanctificatione Seraphim et Archangelorum. Gloria miserationibus tuis, quia terrenos sociasti cum spiritualibus.

Et prosequitur secreto dicens inclinatus hanc Orationem.

Et cum illis Potestatibus coelestibus confitemur tibi, nos etiam servi tui, tenues, imbelles et infirmi, quia praestitisti nobis gratiam tuam magnam, quae rependi non potest. Nempe induisti humanam naturam nostram: ut vitam nobis praestares per divinitatem tuam: exaltasti humilitatem nostram: erexisti ruinam nostram: resuscitasti mortalitatem nostram: dimisisti peccata nostra: et justificasti reatum peccatorum nostrorum: illuminasti intelligentiam nostram, et condemnasti Domine Deus noster inimicum: et triumphare fecisti tenuitatem naturae imbellis nostrae. Per miserationes effusas gratiae tuae, o clemens, remitte delicta et peccata: dimitte delicta mea, in judicio. Et propter omnia auxilia tua, et gratias tuas erga nos, referemus tibi hymnum, honorem, confessionem, et adorationem, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Sacerdos signat Sacramenta. Respondetur. Amen.

Diaconus. In mentibus vestris. Orate pacem nobiscum.

Sacerdos dicit hanc Orationem, inclinatus et submissa voce.

Domine Deus potens, suscipe hanc oblationem, pro omni Ecclesia sancta Catholica, et pro omnibus Patribus piis et justis qui placiti fuerunt tibi, et pro omnibus Prophetis et Apostolis, et pro omnibus Martyribus, et Confessoribus, et pro omnibus lugentibus, angustiatis et aegrotis, et pro omnibus necessitatem et vexationem patientibus, et pro omnibus infirmis et oppressis, et pro omnibus defunctis, qui a nobis separati migraverunt: tum pro omnibus qui petunt orationem ab infirmitate nostra, et pro me peccatore humili et infirmo. Domine Deus noster, secundum miserationes tuas, multitudinemque gratiarum tuarum, aspice populum tuum, et me infirmum, neque secundum peccata mea, et insipientias meas: sed ut digni fiant remissione peccatorum suorum, per corpus hoc sanctum, quod cum fide accipiunt, per gratiam misericordiae tuae in saecula saeculorum. Amen.

In alio codice ita incipit illa Oratio.

Domine Deus potens, exaudi vocem clamoris mei coram te hoc tempore: intende Domine et audi gemitus meos coram majestate tua, suscipeque deprecationem mei peccatoris, qua interpello gratiam tuam, hac hora qua offertur sacrificium patri tuo. Miserere omnium creaturarum: parce reis, converte errantes; oppressos recrea; turbatis quietem praesta: sana infirmos: consolare afflictos; et perfice eleemosynas eorum qui operantur justitiam, propter nomen tuum sanctum. Mei quoque peccatoris miserere per gratiam tuam. Domine Deus potens, suscipiatur oblatio haec pro universa Ecclesia sancta Catholica, et pro Sacerdotibus, Regibus, principibus, *et reliqua ut supra.*

Sacerdos dicit hanc Orationem inclinationis secreto.

Tu Domine per miserationes tuas multas et inenarrabiles, fac memoriam bonam et acceptabilem omnibus patribus piis et justis, qui placiti fuerunt coram te in commemoratione corporis et sanguinis Christi tui, quod offerimus tibi super altare tuum purum et sanctum, sicut docuisti nos: et praesta nobis tranquillitatem tuam, omnibus diebus saeculi hujus.

Prosequitur, Domine Deus noster praesta nobis tranquillitatem et pacem tuam, omnibus diebus saeculi hujus: ut cognoscant te omnes habitatores terrae: quia tu es Deus Pater verus solus; et tu misisti Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum et dilectum tuum; et ipse Dominus et Deus noster venit et docuit nos omnem puritatem et sanctitatem: Memoriam fac Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium filiorum Ecclesiae sanctae Catholicae, qui obsignati sunt signo vitae, Baptismatis sancti. Nos quoque Domine.

Prosequitur. Servi tui humiles imbecilles et infirmi qui congregati sumus in nomine tuo, nunc que stamus coram te, et accepimus cum jubilo formam quae a te est, laudantes, glorificantes et exaltantes, commemoramus, et celebramus, mysterium hoc magnum et tremendum, sanctum et divinum, passionis, mortis, sepulturae et resurrectionis Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Et veniat [14] Domine Spiritus tuus sanctus, et requiescat super oblationem hanc servorum tuorum, quam offerunt, et eam benedicat et sanctificet, ut sit nobis Domine, ad propiliationem delictorum, et remissionem peccatorum, spemque magnam resurrectionis a mortuis, et ad vitam novam in regno coelorum, cum omnibus qui placiti fuerunt coram eo. Et propter universam dispensationem tuam mirabilem erga nos, confitebimur tibi, et glorificabimus te indesinenter, in Ecclesia tua, redemta per sanguinem pretiosum Christi tui, oribus apertis, et facie libera: *Canon*: referentes hymnum, honorem, confessionem et adorationem nomini tuo sancto vivo et vivificanti, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Sacerdos signat cruce mysteria: et respondent. Amen.

Sacerdos inclinat se et osculatur altare, primum in medio, tum ad duo latera dextrum et sinistrum, dicitque hanc Orationem.

In alio codice: dicit Psalmum. Miserere mei Deus, *usque ad haec verba*, et iniqui ad te convertentur. Ad te levavi oculos meos, *usque ad* Miserere nostri Domine, miserere nostri. Extende manum tuam, et salvet me dextera tua Domine: permaneant super me Domine, miserationes tuae in saeculum, et opera manuum tuarum ne despicias.

Tum dicit hanc Orationem.

Christe pax superiorum, et tranquillitas magna inferiorum, fac ut habitet tranquillitas et pax tua in quatuor partibus mundi, praecipue autem in Ecclesia tua sancta Catholica: fac ut pacem habeat Sacerdotium, cum Imperio: cessare fac bella a finibus terrae, et dissipa gentes quae bella volunt: ut habitatione tranquilla et pacifica fruamur, in omni temperantia, et timore Dei. Parce delictis et peccatis defunctorum per gratiam et miserationes tuas in saecula.

Et ad illos qui sunt circa altare dicit. Benedic Domine. Benedic Domine. *Imponitque incensum,* [15] *quo se ipsum perfundit, et dicit.* Suavem fac Domine Deus noster, odorem jucundum animarum nostrarum, per suavitatem caritatis tuae, et per eam munda me a maculis peccati, et parce mihi delicta et peccata mea, tam quae scio, quam quae ignoro.

Iterum accipit incensum ambabus manibus, et incensat mysteria: mox dicit. Accessum dat nobis clementia gratiae tuae Domine et Deus noster, ad mysteria haec praeclara, sancta, vivificantia et divina quamvis indigni simus.

Non extat in altero Cod.

Haec verba Sacerdos semel atque iterum repetit, et ad singula intervalla jungit manus suas super pectus suum in formam crucis. Osculatur altare in medio: accipitque ambabus manibus oblatam superiorem, et sursum aspiciens dicit.

Laus nomini tuo sancto Domine Jesu Christe, et adoratio majestati tuae semper et in saecula. Amen. Panis enim vivus est et vivificans qui descendit de coelis, et dat vitam mundo universo, quem qui edunt non moriuntur: et qui illum recipiunt per illum salvantur, nec corruptionem sentiunt, et vivunt per illum in aeternum: tuque es antidotus mortalitatis nostrae, et resurrectio totius figmenti nostri.

Haec Oratio in Cod. recentiori assignatur post verba Dominica.

In alio codice aliter haec leguntur. Gloria tibi Deus Pater qui misisti Filium tuum unigenitum ad salutem nostram, et ipse priusquam pateretur, etc.

[16] *In Codice Eliae quem secuti sumus, defectus est, cum tota verborum Christi recitatio praetermittatur descriptoris culpa, aut quod haec aliunde, nempe ex Theodori aut Nestorii Liturgia peti deberent. In eo quem scripsit Romae 1697. Josephus Patriarcha, totus ille locus reformatus est ad Missale Chaldaicum Romae edi-*

tum, ut in Missa cujus versionem edidit Alexius Menesius. Cum alii codices non suppeterent, hoc loco asteriscos defectus indices apponere visum est. ******

Laus nomini tuo sancto Domine: *ut supra.*

Sacerdos osculatur hostiam in modum crucis, ita tamen ut labia ejus ad eam non pertingant, sed quasi osculando: et dicit. Gloria tibi Domine; gloria tibi Domine, propter donum tuum erga nos inenarrabile, in saecula.

[17] *Tunc accedit ad hostiae fractionem, quam ambabus manibus facit dicens.* Accedimus Domine cum fide vera, frangimusque cum confessione, et signamus per misericordiam tuam, corpus et sanguinem vivificatoris nostri Jesu Christi, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.

Et nominata Trinitate, frangit hostiam quam manibus tenet, in duas partes; et eam quae est in manu ejus sinistra deponit in disco: altera quam manu dextra tenet, signat calicem dicens. Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Jesu Christi. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti in saecula.

Et respondent. Amen.

Tum intingit eam usque ad medium in calice, et signat cum ea corpus quod est in patena dicens. Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in saecula.

Et respondent. Amen.

Conjungitque ambas partes, unam cum altera dicens. Divisa sunt, sanctificata, completa, perfecta, unita, et commista mysteria haec praeclara, sancta, vivificantia et divina, unum cum altero, in nomine adorando et glorioso Trinitatis tuae gloriosae Pater, Fili, et Spiritus sancte, ut sint nobis Domine in propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, in spem quoque magnam resurrectionis a mortuis, et vitae novae in regno coelorum, nobis et Ecclesiae sanctae Christi Domini nostri, istic et in quacumque regione, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Interea signat hostiam pollice dextro in formam crucis, ab inferiori parte ad superiorem, et a dextra ad sinistram: et ita levem fissuram in ea format, qua parte intincta est in sanguine. Partem ejus mittit in calicem, in formam crucis: pars inferior posita est versus Sacerdotem, superior versus calicem, ita ut locus

fissurae spectet calicem. Inclinatur et surgens dicit. Gloria tibi Domine Jesu Christe, qui me indignum licet, constituisti per gratiam tuam, ministrum et mediatorem mysteriorum tuorum praeclarorum, sanctorum, vivificantium et divinorum: per gratiam misericordiae tuae fac me dignum venia delictorum et remissione peccatorum.

Signat se signo crucis in fronte similiterque circumstantes.
In alio codice.

Signat frontem suum signo crucis et dicit. Gloria tibi Domine qui creasti me per gratiam tuam. Gloria tibi Domine qui vocasti me per misericordiam tuam. Gloria tibi Domine qui constituisti me mediatorem doni tui: et propter omnia beneficia tua erga imbecillitatem meam, referatur tibi laus, honor, confessio, et adoratio nunc, etc.

Accedunt Diaconi, et signat unumquemque eorum in fronte dicens. Christus suscipiat ministerium tuum: Christus illustret faciem tuam: Christus conservet vitam tuam: Christus crescere faciat juventutem tuam.

Et respondent. Christus suscipiat oblationem tuam.

Omnes redeunt ad locum suum: Sacerdosque facta inclinatione, surgit et dicit tono Evangelii.

Gratia Domini nostri Jesu Christi: et caritas Dei Patris, et communicatio spiritus sancti, sit cum omnibus nobis.

Sacerdos signat se ipsum, et elevat manum suam super caput suum, ut sit in aëre et populus particeps sit signationis.

Dicit Diaconus. Omnes nos cum timore: *et ad haec verba:* dedit nobis mysteria sua.

[18] *Incipit Sacerdos frangere corpus: et dicit.* Propitiare Domine per clementiam tuam peccatis et insipientiis servorum tuorum, et sanctifica labia nostra per gratiam tuam, ut dent fructus gloriae et laudis divinitati tuae, cum omnibus sanctis tuis in regno tuo.

Et elevans vocem dicit. Et fac nos dignos Domine Deus noster, ut perpetuo absque macula, coram te consistamus cum corde puro, facie aperta et cum fiducia quae a te est, misericorditer nobis data: et omnes pariter invocemus te et sic dicamus. Pater noster, etc.

Populus dicit. Pater noster.

In Cod. recent. inscritur alia oratio quae videtur supposita.

Sacerdos. Domine Deus potens, Domine et Deus noster bone, qui es plenus misericordia, rogamus te Domine Deus noster et deprecamur clementiam bonitatis tuae: ne nos inducas Domine in tentationem, sed libera et salva nos a malo, et ab exercitibus ejus, quia tuum est regnum, virtus, robur, fortitudo et imperium in coelo et in terra, nunc et semper.

Signat se ipsum: et respondent. Amen.

Et prosequitur. Pax vobiscum.

Respondent. Tecum et cum spiritu tuo.

Prosequitur. [19] Sancta sanctis decet in perfectione.

Et dicunt. Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Laudate. *Et dicunt Responsorium.*

Cumque venit Diaconus ad portandum [20] *calicem dicit.* Precemur pacem nobiscum.

Sacerdos dicit. Gratia Spiritus sancti sit tecum, nobiscum, et cum suscipientibus illum.

Et dat Diacono calicem. Diaconus dicit. Benedic Domine.

Sacerdos. Donum gratiae vivificatoris, et Domini nostri Jesu Christi compleatur, in miserationibus, cum omnibus.

Et signat cruce populum. Interea dicuntur Responsoria. [21] Fratres suscipite corpus Filii, clamat Ecclesia: et bibite calicem ejus cum fide in regni domo.

Diebus festis. Robora Domine.

Dominica. Domine Jesu Christe.

Quotidie. Mysteria quae suscepimus.

Finitis Responsoriis Diaconus dicit. Omnes igitur.

Et respondent. Gloria ipsi propter donum suum ineffabile.

Diaconus. Precemur pacem nobiscum.

Sacerdos in medio altaris dicit hanc Orationem.

Dignum est Domine, justum et aequum omnibus diebus, temporibus et horis confiteri, adorare, et laudare nomen timendum majestatis tuae, quia dignos fecisti nos Domine per gratiam tuam, homines mortales imbecillaeque naturae, ut cum spiritualibus nomen tuum sanctificaremus, et mysteriorum doni tui fieremus participes, et

suavitate eloquiorum tuorum delectaremur. Et voces gloriae et confessionis divinitati tuae sublimi semper referimus Domine.

Alia. Christus Deus noster, Dominus, Rex, salvator et vivificator noster, per gratiam suam dignos fecit nos suscipiendi corpus ejus, sanguinemque ejus pretiosum et omnia sanctificantem: ipse det nobis ut placeamus illi, verbis, operibus, cogitationibus et factis nostris, adeo ut pignus istud quod accepimus, sit nobis ad veniam delictorum, remissionem peccatorum, et spem magnam resurrectionis a mortuis, vitamque novam et veram in regno coelorum, cum omnibus qui coram eo placuerunt: per gratiam ejus et miserationes ejus in saecula.

Diebus ordinariis. Laudem Domine, honorem, confessionem et gratiarum actionem debemus referre Trinitati tuae gloriosae, pro dono mysteriorum tuorum sanctorum, quae dedisti nobis ad propitiationem delictorum nostrorum, Domine omnium.

Alia. Benedictus sit honor tuus adorandus, ex loco tuo glorioso Christe, propitiator delictorum nostrorum, peccatorumque nostrorum, quique aufers insipientias nostras per mysteria tua praeclara, sancta, vivifica et divina: Christus spes naturae nostrae, semper et in saecula. Amen.

Obsignatio, seu ultima Benedictio.

Dominus noster Jesus Christus cui ministravimus, quem sensimus et honoravimus in mysteriis suis praeclaris, sanctis, vivificantibus et divinis, dignos ipse nos efficiat gloria splendida regni sui, et laetitia cum Angelis suis sanctis, et ad confidentiam coram eo, ut stemus ad ejus dexteram. Et super congregationem nostram universam miserationes et misericordia ejus perpetuo effundantur, nunc et semper, in saecula.

Diebus Dominicis et Festis.

Ipse qui benedixit nos omnibus benedictionibus Spiritus in coelis, per Jesum Christum Dominum nostrum, et praeparavit nos ad regnum suum, vocavitque nos ad bona desiderabilia, quae nec desinunt, nec pereunt, sicut pollicitus est nobis in Evangelio suo vivificante, dixitque congregationi benedictae Discipulorum suorum: Amen,

amen dico vobis, quia omnis qui manducat corpus meum, et bibit sanguinem meum in me manet, et ego in eo, et ego resuscitabo eum in novissimo die, et in judicium non venit, sed transire illum faciam de morte ad vitam aeternam: ipse nunc benedicat congregationi nostrae, et conservet statum nostrum, et gloriosum faciat populum nostrum, qui venit et laetatus est in susceptione mysteriorum ejus, praeclarorum, sanctorum, vivificantium et divinorum, vivoque signo crucis dominicae sitis obsignati et custoditi, ab omnibus fraudibus secretis, et apertis nunc et semper.

IN LITURGIAM APOSTOLORUM SANCTORUM NOTAE.

1. *Liturgia Apostolorum sanctorum.* Hoc titulo Nestoriani insigniunt communem suam, et quae ex tribus quas habent, praecipua est Liturgiam, sive *Ordinem Mysteriorum celebrandorum:* nam ut apud Graecos, *Mysteria*, Eucharistiam quoque apud eos significant. Continet autem haec Liturgia non modo ut alterae duae omnia quae sacram Actionem proprie spectant, scilicet preces ab Osculo pacis, usque ad Officii finem, sed praeparatorias etiam, quae ubi aliae celebrantur, ex eadem sumi debent. Quin vero germana illa sit Nestorianorum Missa dubitari non potest, non modo quod Codices MSS. ex quibus illam expressimus, fuerint in usu apud Chaldaeos, vel Syrianos ut vocari amant, et qui certissimi Nestoriani sunt, sed etiam quod Malabares Christiani, qui in eadem secta erant, Bagdadensique Antistiti seu Catholico, subjecti, ea utebantur. Unde Latina versio, quae Alexii Menesii cura et studio procurata, Conimbricae edita est, deinde in Bibliothecam Patrum translata, titulo *Missae Christianorum apud Indos,* eadem esse agnoscitur, exceptis quae ille mutanda judicavit.

Apostolos sanctos vocant Nestoriani Adaeum et Marin, quos Orientis Apostolos fuisse existimant ex antiqua sua traditione, quam fabulis inquinatam scripto consignavit Maris quidam filius Salomonis, ex cujus historia Epitomen fecit Amrus filius Mathaei, ex qua habetur successio Catholicorum sive Patriarcharum sectae Nestorianae, usque ad saeculum decimum tertium. Adaeum, ut Orientales scribunt, eumdem esse cum Thadaeo, plerique testantur: et

quae de isto leguntur apud Graecos et Latinos id confirmant: nam Thadaeum ad Abgarum Edessae Toparcham post ascensionem Christi profectum fuisse, Eusebius et alii prope omnes scribunt: idemque Orientales de Adaeo suo: annuntiasse quoque Evangelium in Mesopotamia, non modo Nestorianorum, sed Melchitarum et Jacobitarum traditione constat, Graecorumque autorum testimoniis. Sed Thadaeus, qui et Lebbaeus, a Mathaeo Evangelista inter Apostolos duodecim numeratur. Nestoriani suum dicunt unum fuisse ex septuaginta discipulis, et a Thoma Apostolo missum in Syriam. Marin ejus fuisse discipulum, tum alterum quem Agi appellant. Quia igitur illos tanquam Ecclesiarum Mesopotamiae fundatores agnoscunt, Ordinem Missae illis tribuunt, ut Jacobo Hierosolymitana Ecclesia Liturgiam suam, Marco Alexandrina suam attribuit. Quae vero de Thadaei a Jacobo missione habet Nestorianorum traditio, non tam ad eos ut novae sectae homines referenda est, quam ad communem Ecclesiarum Mesopotamiae traditionem. Eadem quippe in historiam suam retulit Eusebius, et in Melchitarum, Jacobitarumque libris leguntur, in illis praesertim Apostolorum Discipulorumque Christi indiculis, qui extant in variis codicibus, et vulgo Canonibus Apostolorum et Clementinis Constitutionibus praemittuntur, vel subjiciuntur. Reperitur sane in optimo et vetustissimo Codice Mediceo Collectionis Canonum Syriacae, Synopsis aliquarum Constitutionum, quae Adaeo, Mari et Agi adscribuntur, et quarum vigebat autoritas in Ecclesia Jacobitica: unde certo efficitur, Nestorianos non novam et apud se natam opinionem de institutione Ecclesiarum in Mesopotamia, quo res suas commendarent, promulgasse, sed in Orthodoxae quae illic fuerat, Ecclesiae jura involasse, ut quod illi proprium erat, sibi attribuerent. Hinc verisimile omnino est Ritum illum, qui apud Nestorianos conservatur, antiquum illum esse qui inter Mesopotamenos Christianos usurpabatur, antequam illi haeretici, paulo ante Muhamedana tempora, omnes Ecclesias occupassent. Reliqua de Adaeo et ejus rebus gestis collegimus in Epitome Historiae Catholicorum. Codices recentiores, praesertim qui in Europa scripti sunt, nomina Adaei et Maris non praeferunt, ut neque versio a Lusitanis facta. Ejusdem versionis, qualiscumque sit, subsidio multa quae in Codicibus manuscriptis brevitatis causa omittuntur agnovimus: et in ea orationes multae integrae reperiuntur, quarum in Syriacis nostris exemplaribus primae tantum voces assignantur.

L. 1. c. 13. Not. Vales. p. 18.

2. *Gloria in excelsis Deo.*

Hic hymnus, aliique, et responsoria quae sequuntur reperiuntur integra in versione Lusitanorum, unde peti possunt. A Psalmis aliquot Eucharisticum Officium inchoari, antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudo est: quam hic expressam videmus. Observabitur saepe discrimen inter illam versionem et nostram: nos exemplaria quae habuimus, fideliter expressimus, cum paucissimis in locis esset dubitandi de recta interpretatione locus. Primus interpres aliter in suis codicibus legisse aliquando videtur: saepe tamen hallucinatus

est: tum cum verbum verbo curavit reddere obscurus est, aut fatigat se inutiliter. Nam Orientales et Syri prae caeteris abundant synonymorum copia, ut exempli causa vocem ἔλεος, quae misericordiam significat tribus admodum vel quatuor exprimunt, quae totidem Latinis reddi nequeunt. Nos *misericordiam et miserationes*, quae voces in Ecclesiasticis Officiis vulgo usurpantur interpretati sumus, et simplicissima quaeque verba praeferenda sumus arbitrati. Lusitanus interpres, *amores* prope ubique vertit: sane non bene, ut multa ejusmodi.

3. *Ad lectiones. Ad Apostolum.*

Paucis verbis significatur, sequentes orationes dicendas esse, quando fiunt lectiones sacrae scripturae, ex Veteri Testamento, tum ex Actis Apostolorum, Epistolis, Pauli et Catholicis: sunt autem multae orationes seu benedictiones hujus generis in omnibus Liturgiis cujuscumque ritus. In Missa Malabarica nihil occurrit circa lectiones Epistolarum, imo nec ad lectionem Evangelii, quod satis mirum, cum ex aliis Officiis constet, partem illas Liturgiae fuisse, neque sine caeremoniis et thure peractam. Eam disciplinam, licet brevius quam optandum fuisset, designant tamen nostri codices. In ea oratione quam ante *Apostolum*, hoc est Epistolae lectionem dici debet, occurrit una, quae aliter legitur in Missa Malabarica, et de qua dicendum est.

4. *Sanctus, laudandus, potens, immortalis, etc.*

In Malabarica *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis:* eadem propemodum sententia est, neque interpolationis suspicio esse debet. Hymnus quippe ille, quem vulgo Trisagium appellant, in Ecclesia Constantinopolitana initium habuit, idque testatur ex suorum traditione Amrus Mathaei filius; et de ejus usu inter sacra Officia testis est. Additionem quae Petrum Gnapheum, ut vulgo creditur, autorem habuit, *qui crucifixus es pro nobis, etc.* ignorant et aversantur Nestoriani, non minus quam Orthodoxi. Eam adjecit ad oram Codicis Colbertini quidam Jacobita.

5. *Descendens salutabit Evangelium.*

Nihil praesidii hoc in loco habetur ex Missa Malabarica: sed ex paucis istis verbis intelligi potest ad Evangelii lectionem, non minus reverentiae apud Nestorianos quam alibi, fuisse adhibitum: nempe salutatum fuisse, incensatum, et cum honore praecedentibus cereis ad ambonem delatum. Proclamationem autem, cujus hoc loco mentio est, existimamus esse ipsam Evangelii recitationem quae fit alta voce in omnibus Ecclesiis. Oratio quae interponitur, in qua haec verba sunt, *qui revelatus es nobis in corpore humanitatis nostrae*,

possct alicujus veneni suspicione laborare, quamvis Orthodoxam sententiam contineat. In istam opinionem potius eundum videtur, cum in hac Liturgia, imo in aliis duabus Theodori et Nestorii, vix quidquam quod ad haeresin insinuandam pertineat, reperiatur.

Hoc loco magnum discrimen animadvertitur inter istam, et Malabaricam Liturgiam, in qua multae preces inseruntur de omnibus et pro omnibus; pro pace; pro aëris salubritate: pro Patriarcha et Ecclesiasticis ordinibus; pro Ecclesia, etc. Tum sequitur memoria B. Mariae Virginis et Sanctorum: deinde mortuorum: pro civitate et ejus habitatoribus, pro infidelibus, infirmis, egenis, etc. Deinde afferuntur panis et calix, et in altari religiose collocantur: tum post multa legitur Epistola et deinde Evangelium. At scripturarum lectionem praecedit, expulsio non baptisatorum. An talis fuerit Ecclesiae Malabaricae disciplina divinare non possumus: sed aliam fuisse Mesopotamenarum Ecclesiarum certissimum videtur: et forte Alexio Menesio visum est aliquid immutare, ut illatio panis et vini ad altare fieret priusquam Epistola et Evangelium legerentur, sicut in Latinis quibusdam Ecclesiis fieri solet. Precem illam pro omnibus et de omnibus quam idcirco libri Rituales Jacobitici *Catholicam* vocant, dictam fuisse in quibusdam Ecclesiis ante oblatarum illationem, alibi monuimus, cum ita ferat Ecclesiae Alexandrinae consuetudo, cujus similem Malabaricae sequi potuerunt. Verum illationem elementorum consecrandorum fieri, ante Epistolae et Evangelii lectionem, contra Orientalem disciplinam est: multo magis expulsio Catechumenorum, antequam scripturae legerentur, cum non nisi antequam actio sacra inciperetur, nempe circa osculum pacis, solerent ejici. Ut se habet codex quem secuti interpretando sumus, disciplina quam repraesentat, confirmatur exemplo reliquarum Ecclesiarum Orientalium. Plura de caeremoniis Nestorianorum ad hanc Liturgiae partem dicere non possumus, cum Codices manuscripti nullas prope rubricas habeant: rituum Interpretes nullos huc usque viderimus. Tamen symbolum recitatum fuisse post Evangelium non dubitamus, quamvis nihil de eo occurrat, cum inter Missarum solennia apud illos cani multis autorum testimoniis constet.

6. Qui non accepit Baptismum.

Haec primis tantum vocibus designantur in manuscriptis. In Missa Malabarica ita legitur. *Qui non suscepit Baptismum discedat.* Chorus. *Vere. Qui non suscepit illud, discedat.* Sacerdos. *Ite audientes et ridete ostia.* Ea vero verba formulam integram, ut maxime verisimile est, continent. In Graeca Chrysostomi. *Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. Μή τις τῶν κατηχουμένων. Quotquot Catechumeni estis recedite. Ne quis Catechumenorum.* In Jacobi Graeca. *Μή τις κατηχουμένων, μή τις ἀμυήτων, καὶ μὴ δυναμένων ἡμῖν συνδεηθῆναι. Ne quis Catechumenorum, ne quis non initiatorum, ne quis eorum qui nobiscum simul orare non possunt. τὰς θύρας. Portas claudite.* Nihil hoc ritu notius in veteri disciplina; sed quia jam a multis saeculis

Catechumeni publicique poenitentes, statione ut antiquitus non distinguuntur, quae vestigia hujus consuetudinis supersunt in Codicibus Liturgicis, aut in Ritualium interpretibus, ea servantur ad antiquitatis memoriam, sed usum non habent, ut observavit dudum Jacobus Edessenus. Neque enim infidelium dominorum tyrannis patitur, ut haec omnia locum habeant, in Orientalibus Ecclesiis.

7. *Incipit Sacerdos Responsorium mysteriorum.*

Intelligi debet Oratio subsequens, a qua incipit Anaphora proprie dicta, seu ut antiquo more loquamur, *Missa Fidelium:* cui tamen non adscribitur illud Responsorium, quo intentio sacrificii offerendi secundum Christi praeceptum exprimitur, quia commune est aliis Liturgiis. Inferuntur autem panis et calix a Sacellario et Diacono, et super altare collocantur: an vero id fiat eadem pompa, qua magnus Introitus, a Graecis, Aegyptiis et aliis, ignorare nos sinunt codices manuscripti, qui de ea nihil omnino praescribunt. Sed neque ex Diamperanae Synodi Decretis colligere licet, suppressam fuisse ab Alexio Menesio hanc consuetudinem, de qua forte non aliter judicasset quam tot Theologi, qui eam superstitionis et impietatis damnaverunt, cum etsi per se indifferens, nascatur tamen ex summa erga Eucharistiam veneratione, ut alibi exposuimus. Ex eadem animi dispositione, statim atque elementa altari imponuntur, vocat ea sacerdos *mysteria sancta, praeclara et vivifica,* qualia tamen nondum sunt, sed jam ita vocantur et honorantur, quia talia per consecrationem futura sunt. Mirum est intactam a Censura hanc formulam in Missa Malabarica remansisse, cum alias multas orationes mutaverint, in quibus de corpore et sanguine Christi Domini sermo erat, ante consecrationem: ut illa praecipue benedictio cum calici vinum infunditur, *Misceatur sanguis pretiosus in calice D. N. Jesu Christi,* quae ita mutata est. *Misceatur vinum in calice D. N. Jesu Christi, ne erroris detur occasio, vocando vinum nondum consecratum, pretiosum sanguinem: quasi alluderent ad consuetudinem Graecorum, damnatam, qui panem et vinum offerentes, adorant antequam consecrentur, id se facere affirmantes, quia mox consecranda sunt.* At ista quidem vis est: orare non possunt ut misceatur vinum in calice, istud enim in ipsa infusione factum est, sed ex fide promissorum Christi Eucharistiae sacrificium instituentis, orant, ut in calice misceatur sanguis Christi, hoc est ut vini consecratio fiat in sanguinem Christi. Nec aliter intelligi debent orationes praeparatoriae aliquot, quarum sententia tam perspicua est, ut absque calumnia detorqueri ad perversam aliquam opinionem nequeant. Talis est illa, *Exspectans exspectavi Dominum. Corpus Christi et sanguinem ejus pretiosum super sanctum altare offeramus.* Et infra. *Edent pauperes et saturabuntur, corpus Christi et sanguinem ejus pretiosum super altare sanctum offeramus,* quae rem futuram, non vero factam significant. Graecis vero attribuere quod elementa priusquam consecrata sint, adorent, excusatione caret, cum quinque annis antequam Decreta Diamperana Conimbricae ede-

Synod. Diamper. Act. 5. Decr. 1.

rentur, accusationem illam ex paucorum hominum ignorantia et socordia natam, confutasset Gabriel Metropolita Philadelphiensis. Quidquid porro sit, caret omni suspicione formula quam Codices Syriaci repraesentant; *Imponuntur mysteria praeclara sancta et vivifica super altare Domini, etc.* quae habentur quoque in Missa Malabarica, sed aliter versa. *Constituantur et ordinentur mysteria haec supergloriosa et sancta vitam conferentia, et divina, super altare sanctum Christi, etc.* de quibus eadem quaestio moveri posset: neque enim elementa nondum consecrata, *sancta*, *vivifica*, et *divina* dici accurate loquendo possunt, antequam facta sint corpus et sanguis Christi. Et Latina Ecclesia rogat Deum, ut habeat *accepta haec dona*, *haec munera*, eaque vocat ante actionem, *sancta sacrificia, illibata*, quod tamen nondum sunt, nisi peracta consecratione. Unde patet, non ita rigide similes orationes accipiendas esse, ut ex illis sententia eliciatur, a qua Nestoriani non minus abhorrent, quam reliqui Orientales Christiani.

8. *Liturgia Beatorum Apostolorum, etc.*

Haec pars Anaphoram proprie dictam continet, ut eam Syri et Coptitae vocant, quaeque apud nos Canon, olim Canon Actionis, aut Actio appellabatur. Eas scilicet orationes complectitur, quibus sacrificium Eucharisticum perficitur. Quod alibi monuimus de aliis Liturgiis Orientalibus, ad istas quoque pertinet: nempe cum prima pars quae est προτταρασκευαστική, non mutetur, nisi quod diversae sunt pro tempore scripturarum lectiones: altera quae Canonem et consecrationem continet, mutatur secundum Liturgiarum diversitatem: ita tamen ut in verborum Christi pronuntiatione, Invocatione Spiritus sancti, orationibusque ad fractionem et communionem, non observetur ullum insigne discrimen.

Orationes quae sequuntur quibus Sacerdos commendat se circumstantium precibus, ut sacrificium digne perficiat, ad sacram Actionem proprie non pertinent: cum ut antecedentes, sint praeparatoriae; sed quia diversae sunt in diversis Liturgiis, statim subjunguntur. In illis observandum est, quam frequenter occurrat vox *sacrificii*, ut in omnibus aliis Liturgiis, cum tamen negare ausus sit Rivetus in antiquis quidquam simile reperiri. Istae tamen sunt antiquissimae, et ex Graecis expressae.

9. *Oratio pro omnibus.*

In Cod. recentiori, *pro omnibus Catholicis.* In Codice Eliae, et aliis, ultima vox omittitur; servari tamen potest et debet, modo deleantur puncta duo quae pluralis numeri nota sunt, et quae de suo adjecit qui alium codicem descripsit. Nam *Catholica* legendum est, quo nomine appellatur oratio similis, in qua universim pro omnibus personis et rebus preces ad Deum fiunt. Ita autem perficienda est illa oratio, ex Missa Malabarica, *Pro omni-*

bus Patriarchis, Episcopis, Presbyteris et Diaconis, et pro his qui vita functi ex hac Ecclesiae congregatione exierunt: (Et pro Beatissimo Papa nostro) quae additio est a Lusitanis facta: *proque mundi pace et anni corona, ut scilicet benedicatur et misericordia tua adimpleatur: pro omnis etiam Ecclesiae germine quod dignum reperitur, oblationem hanc quae in conspectu tuo est suscipe, etc.* Versionem illam non possumus absque Syriacis codicibus reformare, sed in ea non pauca sunt, quae erroris suspicione non carent.

10. Diaconus dicit ad circumstantem populum.

Petamus, confiteamur et obsecremus omnes in choro Dominum: state pure et attendite his quae aguntur; tremendis mysteriis quae consecrantur. Sacerdos accessit ut oret, ut ejus intercessione pax multiplicetur in vobis. Oculos vestros deorsum demittite, et mentem vestram diligenter curate in coelum levare: petite et obsecrate hoc tempore: nemoque loqui audeat: et qui orat corde oret, in silentio et tremore permanete: pax nobiscum. Ita in Missa Malabarica, satis obscure. In illis verbis latent formulae veteres hortationum a Diaconis alta voce pronunciari solitarum. *Στῶμεν καλῶς, προσχωμεν.*

11. Discooperit sacramenta.

Apud Orientales Christianos, ut inter Graecos fieri solet, panis et calix praeter singulare velum quo uterque tegitur, majori quod *Anaphoram* Syri alii vocant, operitur; tollitur autem majus illud, cum incipitur sacra actio: et de illo haec Rubrica intelligenda est, non de minoribus, Graecorum hac in parte disciplinam, quae prope eadem est fuse et accurate explicat Goarius ad Liturgiam Chrysostomi.

12. Gratia Domini nostri Jesu Christi, etc.

Haec benedictio extat in omnibus Liturgiis Orientalibus, ad eumdem locum, et in quibusdam aliis.

13. Sursum sint mentes vestrae, etc.

Hinc incipit Praefatio ut vulgo dicimus. Quod autem ita Syri Orientales expresserint Graecam formulam *Ἄνω τὰς καρδίας*, et alia addiderint: ut illa, *apud te sunt Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Israel*, levis momenti est, cum sententia eadem sit. Quod sequitur *Oblatio Deo omnium Domino offertur*, verti potest et sane melius *sacrificium Deo offertur:* vox enim ipsa quae proprie et ad verbum *προσφορὰν*, seu *oblationem significat*, pro sacri-

ficio proprie dicto saepissime usurpatur. Haec vero verba in aliis Officiis non reperiuntur, sed eorum loco *Gratias agamus Domino.* Illud quoque singulare est in ritu Nestoriano, quod interponitur incensi impositio, et oratio secreta, ad gratiam postulandam, cum in aliis Officiis statim post *Dignum et justum est* Sacerdos incipiat praefationem ab iisdem verbis, eamque uno tenore usque ad hymnum Cherubicum prosequatur. In Codicibus Ecclesiae Malabaricae legitur eadem oratio, ut sequentes, in quibus iterum commemorationes fiunt sanctorum; mox vivorum et mortuorum, quod in aliis Liturgiis observatur ante consecrationem, prolixius etiam aliquando interjectis Diaconi monitionibus ad orandum, et populi precibus, *Kyrie eleison*, repetentis: ut praesertim in Marci Graeca, et Cyrilli Coptica, quae sunt eadem. In Syriacis Jacobitarum statim proceditur ad consecrationem. In Ritu Latino commemorationes sanctorum, et vivorum praemittuntur, sed paucioribus verbis.

14. Et veniat Domine Spiritus Sanctus, etc.

In hac oratione observanda sunt multa quae maximi ad Liturgias explicandas momenti sunt. Continet illa Invocationem Spiritus sancti super dona proposita, illisque propemodum verbis, quibus in aliis Graecis Orientalibusque Liturgiis exprimitur; nisi quod pars illius posterior, in qua dicitur, *et hunc quidem panem faciat corpus Christi, et quod in calice est sanguinem Christi,* non adjungitur. Sed verba ista *ut eam oblationem benedicat et sanctificet,* eamdem potestatem habent. Est autem haec Invocatio eo Liturgiae loco posita, quo antiquitus illam fuisse nonnulli voluerunt, ut inter alios Neophytus Rhodinus, et obscuriores non pauci, qui Invocationem qualis extat in Basilii Chrysostomique Liturgiis, transpositam existimaverunt, paucis tamen persuaserunt. Ita quippe, quod magno conatu amoliendum censuerunt, non spectabit Invocatio ad perficiendam consecrationem, quia dicta erit ante verba Dominica: neque enim orari posse super donis jam consecratis, capere unquam potuit illorum hominum Theologia. Hanc Invocationem si vidissent, magnas haec Liturgia laudes ab illis consecuta fuisset, omnesque ex illa reformandas pronuntiare non dubitassent, adeo haeret animis illorum haec opinio. At veteres illi Syri quorum Ritus Nestoriani proprios sibi fecerunt, et recentiores qui illa Officia scripta reliquerunt, aut non sibi constabant, aut aliter sentiebant, cum si in prima ista Liturgia Invocatio Spiritus sancti super dona proposita fiat, ante pronuntiata Christi verba, neque similis altera deinceps praescribatur, in duabus alteris Theodori et Nestorii, eodem loco assignatur, quo extat in Graecis, et Orientalibus Liturgiis, ipsisque verbis, quae novam, ut aiunt Graecorum haeresin aperte confirmant. Imo in Missa Theodori interjiciuntur orationes multae inter Christi verba et Invocationem, quod non occurrit in aliis. Ex sola Malabaricae Missae Latina versione, ut etiam ex Codice scripto manu Josephi Patriarchae suspicio nasci poterat suppressam fuisse aut transpositam Invocationem, ex praejudicata opinione, cujus fundus fuit Turrecrematae disputatio Florentiae, cujus tamen ratio ha-

bita non est, cum ut aliquis de hoc argumento articulus synodali Decreto insereretur, obtinere non potuerit. At cum non aliter se habeant Codices in Mesopotamia scripti, nullus huic conjecturae locus est. Neque tamen ulla inde suspicio nasci potest, adversus duas alteras Liturgias, quae cum aliis omnibus consentiunt. Neque omisissent Censores Lusitani, Invocationem Graecae similem, teterrima aliqua nota configere, quod tamen non fecerunt. Unde certo colligi posse videtur, lectionem librorum Ecclesiae Malabaricae eamdem fuisse quae in nostris observatur, nihilque deesse. Patet etiam Invocationem Spiritus sancti quae in reliquis omnibus Liturgiis occurrit post pronuntiata Christi verba, non ita necessariam visam fuisse ad consecrationem perficiendam, ut absque illa consecratio nulla esset, aut in ea consisteret, quod nonnulli scripserunt. Nam ritus ille cum antiquissimus sit, nec a Nestorianis adinventus, sed ab antiquis Ecclesiis Syriacis acceptus, non mediocrem habet autoritatem: et illa tamen oratione caret.

15. Imponit incensum, etc.

In aliis Liturgiis, quamvis semper toto Officii decursu Diaconus incensum adoleat, tamen Sacerdos post Praefationem raro id facit, et fere nunquam. Itaque et haec quoque singularis est Nestorianae Ecclesiae consuetudo, ut post Sanctus, thus adhibeatur: sed hoc inter *ἀδιάφορα* censendum est.

16. Post orationem quae incipit, *Laus nomini tuo sancto Domine*, Sacerdos eam partem Officii incipit quam veteres Latini *Pridie* appellabant, quod initium illius esset, *Qui pridie quam pateretur*. Prima Liturgia magis quam alterae duae, recedit ab aliis Orientalibus, in quibus memoria fit totius dispensationis Jesu Christi Domini nostri in carne, usque ad institutionem Eucharistiae. Nam brevis oratio quae sacra illius verba praecedit, non continet enumerationem mysteriorum *τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας*, quam reliquae multis verbis exprimunt, neque ut in illis observatur, cohaeret satis institutae Eucharistiae narratio cum praecedentibus. Deesse aliquid suspicari quis posset, cum Theodori et Nestorii Liturgiae ad aliarum diversi ritus formam expressae sint, sed cum Missa Malabarica nostris Syriacis codicibus accurate respondeat, nullum fundamentum habet haec suspicio. Verum in Eliae Codice lacuna unius aut duorum foliorum fuit quam asteriscis notavimus; deest enim sacrae Actionis pars praecipua, pronuntiatio scilicet verborum Christi, sine quibus nunquam consecratio facta fuisse creditur, non minus in Oriente, quam in Occidente. Neque est quod cuiquam in mentem veniat, omissa esse verba illa certo consilio, quia, ut Criticus nostrae aetatis famosus temere nimium affirmavit, Orientales verbis Christi consecrationem fieri non credunt, sed Invocatione Spiritus sancti. Nam si ita esset, quod falsissimum esse alibi certis argumentis probavimus, nulla secundum primam Liturgiam

consecratio admittenda foret, cum Invocationis solenni illa formula careat; in qua rogatur Deus, ut Spiritus sanctus adveniens dona proposita, panem quidem faciat corpus, mistum quod est in calice sanguinem Christi Domini. Si igitur per illa verba perficitur, cum abfuerint, nihil fit: neque altera quam supra Invocationis forma, retulimus eamdem sententiam, aut parem vim habere censenda est. At cum in Theodori et Nestorii Liturgiis Evangelica verba Christi, ut in omnibus aliis legantur, prima secundum illas reformari indubitate debet.

In Missa Malabarica forma verborum Christi interpolata est, ut Latina substitueretur juxta exemplum Missalis Chaldaici Romae editi. Ratio hujus mutationis in Decretis Synodi Diamperensis haec assignatur; quod Nestorianorum Patriarchae nonnulli eam corruperint, addiderintque ea quae ad suam haeresin insinuandam facerent, id vero quomodo in verbis Christi referendis fieri posset, non facile intelligitur. Sane Theodori et Nestorii Liturgiae quae germanissimorum Nestorianorum sunt, ita haec verba referunt, ut ab Orthodoxis Graecis, Syris et aliis Jacobitis cujuscumque linguae pronuncientur. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Istas vero formas ab illis quos Diamperenses Censores accusant haereticis, institutas fuisse existimare, summae absurditatis foret, cum totidem syllabis legantur in Graecis Liturgiis, ut in Orientalibus omnibus: et quod majus est communicavit per annos mille trecentos et amplius Oriens Occidenti, cum eadem verborum Christi forma, quamvis a Romana differens, inter Missas quotidie usurparetur. Is ipse qui tam acutum cernebat in Graecorum disciplinis Turrecremata, nullam Florentiae adversus illos de hoc crimine litem movit. Postulandum etiam foret, juxta vetus illud severissimi judicis exemplum, *cui bono* tandem haec corruptela inducta esset. Quid porro juvat causam Nestorianorum, si dixerint in mysteriis consecrandis. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum,* potius quam simpliciter *Hoc est corpus meum.* Si ita legeretur in eorum Codicibus, accusati forsitan a Melchitis aut Jacobitis fuissent, quod ita simplicis hominis corpus, non *σάρκα τεθεωμένην, carnem divinam factam,* ut Graeci veteres et recentiores loquuntur, in Eucharistia agnoscerent. Hoc enim nomine accusati fuerunt olim a Latinis aliquibus, etiam a Dionysio Barsalibi, quamvis Orientales Orthodoxi et Jacobitae nunquam eos accusasse reperiantur, quod Eucharistiam esse corpus Christi non crederent. Veteres quoque omnes Graecae et Orientales Liturgiae, ne una quidem excepta formam Christi verborum ad calicem eodem tenore repraesentant: nec habent illas voces *aeterni,* aut *mysterium fidei,* et tamen nulla circa hanc diversitatem controversia fuit. Nihil igitur causae erat, cur tradita antiquitus et cum omnibus aliis Orientis Ecclesiis conveniens forma mutaretur.

Quandoquidem vero Synodi Diamperensis Decreta in amplissima Conciliorum Collectione non edita sunt, neque ea vidisse Collectores apparet, liberque quo continentur, est rarissimus, Decreti partem quae hanc reforma-

tionem spectat, ex Lusitanica lingua latine conversam referemus. Postquam dictum est mandatum fuisse ab Archiepiscopo Goensi Alexio Menesio, ut expurgarentur libri Missales omnes a viris Chaldaicae linguae peritis, haec inter alia proponit. *Cum ex doctrina de Eucharistiae sacramento superius exposita, constet sacerdotem non suis, sed Domini nostri Jesu Christi verbis consecrare, autoris scilicet institutorisque ejusdem divini sacramenti, non licet formae consecrationis illius clausulas aliquas adjungere, quantumvis bonas, quas Christus non dixerit. Non intelligendum id tamen de voce* enim, *quam adjicit Ecclesia Romana in consecratione corporis et sanguinis, quia praeterquam quod habetur ex Apostolorum traditione, dixisse illam Christum Dominum in consecratione corporis, Mathaeusque id refert circa consecrationem calicis, non est clausula aut sententia diversa: sed jungit copulatque sententiam cum Christi verbis superius relatis. Ita quoque vox* aeterni *in consecratione calicis: et istae,* mysterium fidei, *etiamsi sacra Evangelia illas non referant: nam constat ex eadem Apostolorum traditione, Christum Dominum nostrum pronuntiasse illas in consecratione calicis, quia sancta Ecclesia illis utitur.* Gravis sane et decretoria sententia, quae tamen cum ultra terminos quos Tridentini Patres posuerunt, longe progrediatur, doctissimis multis Theologis, qui aliter senserunt, probata non fuit: illis quorum maxime intererat Christianis Malabarensibus, scandalo potius, quam aedificationi esse poterat. Habebant enim illi formulas suas vetustissima traditione commendatas, quibus non mediocris accedebat autoritas, ex consimili Graecarum, Syrarum, Aegyptiacarum, aliarumque tandem omnium traditione. At traditio non solius Romanae Ecclesiae est, sed totius Ecclesiae consentientis: et Graecam, ut alias omittamus similem illi quam Lusitani allegant, traditionem ignorasse certum est. Additiones verborum *aeterni* et *mysterium fidei,* ab omni erroris suspicione vindicat antiquissimus Romanae Ecclesiae usus, cum interim summa esset Occidentalium Orientaliumque concordia. Illa idcirco verba pronunciasse Christum nullus veterum, aut recentiorum alicujus nominis Theologus dixit: ratio vero ex qua talis propositio deducitur, non adeo explicata est, ut maximis difficultatibus obnoxia non sit: de quibus alibi tractatum est.

Additur praeterea credenda esse illa verba quae sequebantur in consecratione calicis veluti dicta a Christo Domino. *Hoc erit vobis pignus vitae aeternae.* Illa autem in Codicibus nostris non occurrunt, neque in duabus Theodori et Nestorii Liturgiis. Quod vero in fine orationis dicitur, *in saecula saeculorum:* haeresin quoque continere viris perspicacissimis judicatum fuit, quia usus sacramenti perpetuus non erit: sed id nimium subtile est, et Syri illi nihil simile cogitabant, cum ex linguae genio tempus indefinitum haec verba significent.

Observandum tandem est eo Liturgiae loco, elevationem Eucharistiae apud omnes Orientales non fieri, quam tamen praecipit Missa Malabarica a Menesio reformata. Nempe existimavere qui recensioni praefuerunt, nullam in hac Liturgia mysteriorum elevationem fieri, quia statim verborum Christi pronuntiationem non sequebatur: neque adorari quia non elevarentur. In

duplicem scilicet errorem lapsi sunt, ex ignoratione rituum Orientalium: excusatione tamen digni, quod multos magnosque Theologos eadem opinio implicavit. Orientalium disciplina est, elevare et adstantibus ostendere sacra mysteria, paulo ante communionem, cum inclamatur *Sancta sanctis.* Tunc autem fieri quam Graeci vocant Ἁγίαν ὕψωσιν, sive *elevationem*, probant Graeci omnes codices Liturgici: Aegyptiaci, et autores Rituum gravissimi, quorum testimonia ad Basilii Copticam Liturgiam referuntur. Itaque cum descriptam habeamus ex illis caeremoniam, secundum quam dicitur haec proclamatio, omnesque eam fieri significent, cum elevantur, et ostenduntur sacra mysteria, illaque tandem sit omnibus Orientalibus communis, ubi ritus particulatim non explicatur, sed tantum notatur *Sancta sanctis*, illum qui iisdem verbis conjunctus ubique est, intelligere possumus et debemus. At *Sancta sanctis* legitur in omnibus Nestorianis Liturgiis: igitur quod Christiani omnes observabant eo loco, elevando Eucharistiam, a Nestorianis quoque observabatur. Quam porro inanis sit ex defectu elevationis ad excludendam adorationem ratiocinatio, ex domestica nostra disciplina ostenditur. Feria VI. majoris Hebdomadae, qua sola die celebratur in Ecclesia Romana Missa Praesanctificatorum, elevatio non fit, ut in aliis fieri solet, nisi paulo ante communionem: neque attollitur Eucharistia, ut in quotidianis Missis: et adoratur tamen. Carthusienses suo Ritu sacra facientes, calicem vix elevant: adorant tamen sanguinem Christi. Elevata est igitur Eucharistia in Liturgia Nestoriana more Orientali paulo ante communionem, sed non eo loco, quo assignatur in Missa Malabarica.

In eadem notantur responsoria dicenda a Diacono et a Choro, circa elevationem; sunt autem translata ex alio loco, nempe ante communionem, et nonnulla, circa tempus Invocationis Spiritus sancti. Inter illa unum occurrit, quod Romano charactere editum est quasi rubrica esset, quod incautos lectores posset in errorem inducere, quia orationi seu responsorio verba convenire non videntur. Canuntur tamen alternis haec omnia, Diacono praeeunte, idque observatur pariter apud Jacobitas, in quorum libro Ministerii Diaconici leguntur ejusdem generis responsoria, et illud hoc ipso loco et in eamdem sententiam. *Quam terribilis haec hora est, in qua Spiritus sanctus de coelis descendit super Eucharistiam in altari positam, etc.* Ita lectam fuisse in Nestorianorum codicibus hanc responsorii formulam, testantur Lusitani. *Sacerdos quando ad sanctum altare ingreditur, manus suas pure protendit in coelum, et invitat* (melius *invocat*) *Spiritum, qui de superis descendit, et consecrat corpus et sanguinem Christi.* Tum haec addunt. *Ibi appuret sententiam orationis esse, quod sacerdos invocat Spiritum qui descendit de coelo, et consecrat corpus Christi, non ipse sacerdos. Cum vero sacerdos ipse sit qui vere consecrat, Christi tamen verbis, et non suis, ne occasio detur errori, dicendum est;* manus suas pure protendit in coelum, et consecrat corpus et sanguinem Christi, *aliaque verba omittenda.* Haec illi loco citato. Quam autem propositionem velut suspectam habuerunt, quasi Sacerdotalis dignitas detrimentum caperet, si diceretur Spiritum sanctum con-

secrare Eucharistiam, frequens illa est in scriptis sanctorum Patrum et Autorum medii aevi, qui adversus Berengarium et sequaces ejus scripserunt. Unde in Missali Ambrosiano legitur de oblatione; *Et unum corpus Christi, sancti Spiritus infusione efficitur.* Et inter recentiores Ascelinus: *panem et vinum in altari Spiritus sancti virtute per sacerdotis ministerium, verumque sanguinem Christi effici*, docuit, ut alii prope omnes Theologi et Missae expositores. Sacerdos ministerialiter consecrat: Spiritus sanctus, principaliter. Itaque nihil oratio illa habet quod vel minima possit erroris suspicione aspergi; imo deterius omnino se habet ut emendata est, cum, ut verba prae se ferunt, soli Sacerdoti consecrationem attribuere videatur.

17. Accedit ad Hostiae fractionem, etc.

Fractio Hostiae secundum consuetudinem Ecclesiarum diversis modis facta est apud Orientales: ut etiam apud Occidentales: sed utrimque non eo solum fine ut panis in corpus Christi consecratus frangeretur, quo posset communicantibus distribui, ut adhuc fit apud Protestantes; sed ut ipsa fractio lacerationem, et vulnera quae Christus sustinuit in corpore, passionis tempore, repraesentaret, et quae significatur his verbis quae Sacerdos pronuntiat ex persona Christi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur,* ita enim leguntur in Liturgiis Theodori et Nestorii; et in hac prima lectum quoque fuisse dubitari non potest. Haec autem lectio non Nestorianorum inventum est, cum extet in Jacobi Graeca et Syra, ut in multis aliis, expressa ex Epistola ad Corinthios; quaeque duobus vocibus explicat *κλώμενον* et *θρυπτόμενον*; illas unica Syri exprimunt, quae ad primam Graecam *κλώμενον* magis refertur. Graeci ab initio Liturgiae passiones Christi repraesentant cum Oblatam gladiolo dividunt, quem *Ἁγίαν λόγχην* appellant, qui ritus a primaeva antiquitate manasse non videtur, cum ignoretur ab omnibus Ecclesiis Orientalibus, quae tamen disciplinam suam ad Graecae formam expresserunt. Syri tam Orthodoxi quam haeretici, manu frangunt, in duas, tres, vel plures partes, secundum Ecclesiarum diversam consuetudinem: sed omnino lacerationem corporis Christi in passione adumbrare, et in memoriam Christianis revocare per illam fractionem volunt. Altera illius caeremoniae pars, quae tamen fractionis nomine comprehenditur, intinctio est unius particulae in calice: tum ex ea intincta et madida, consignatio reliquarum particularum in disco positarum. Hic Ritus qui toto Oriente a Christianis observatur, vocatur, *unio, consignatio, commistio* sacrorum mysteriorum corporis et sanguinis: neque locum habere potest, nisi vera et substantialis elementorum transmutatio credatur. Tum etiam illud sequitur, testari eo Ritu Christianos Orientales, id quod Jacobitae in sua quadam oratione exprimunt: *corpus hoc esse illius sanguinis, et sanguinem illius corporis:* unum scilicet indivisumque, in diversis speciebus sacramentum, mutua unius speciei cum altera, commistione confirmatum. Id significant scilicet haec verba: *Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini Jesu Christi:* et ista: *Signa-*

tur corpus sanctum sanguine propitiatorio, etc. Ut et sequentia. *Divisa sunt, sanctificata, completa, perfecta, unita et commista mysteria haec praeclara, sancta, vivificantia et divina, unum cum altero, etc.* Ea verba non minus quam ipse ritus perspicuum continent doctrinae de reali praesentia testimonium, cum significent ante perceptionem sacramenti, panem esse corpus, vinum sanguinem Christi; commistio seu unio utrumque unius et ejusdem corporis esse sanguinem, qui in calice seorsim est, ut designetur illius effusio, pro salute humani generis.

18. Incipit Sacerdos frangere.

Haec fractio a superiori distinguenda est, quamvis uno tenore fiat, recitatis interea orationibus, quae prius praescriptae sunt. Prior eam fractionem significat, qua hostia dividitur in partes duas, aut plures, et quarum una particula eximitur, quae calici immittatur. Altera haec fractio, est ejusdem hostiae in minores particulas ad distribuendam communionem. Quomodo vero distribuatur, ex Rubricarum defectu certo definire non possumus. Cum tamen communis Orientalium omnium consuetudo sit, quam a Graecis acceperunt, ut Sacerdotibus et Diaconis calix praebeatur, non Laïcis, qui intinctam cochleari particulam accipiunt, idem a Nestorianis observari verisimile est: nam sub utraque specie, sed hoc modo communicant. Certum enim et exploratum est a multis saeculis, nullam esse aut fuisse in Oriente Ecclesiam in qua calix Laïcis praeberetur, ejusque usus longe diutius in Occidente viguit, ut jam dudum a doctis Theologis observatum est. Ita nullum habent Protestantes in Nestorianorum disciplina praesidium.

Observabimus tandem in prima fractione, Ritum Nestorianis proprium: nempe Sacerdotem cum signat particulam quae in disco est, altera quam intinxit in calice, levem in prima fissuram ungue pollicis facere, ut sanguis corpus penetret. De illo Censores Diamperenses ita pronuntiaverunt. *Cum in Syriacis istius Episcopatus Missalibus praescripta reperiatur impia quaedam et sacrilega caeremonia, in qua sacerdoti praecipitur, ut postquam particulam, quam dextra manu tenet, intinxit in sanguine, hostiaque in duas partes divisa, quo tempore signum crucis format cum particula intincta super alteram, sacerdos ungue pollicis dextri alteram quae in disco est levi fissura aperiat: scilicet quo secundum absurdam opinionem suam, sanguis corpus penetret, et ita sanguis corpori conjungatur: quae opinio ad haeresin Nestorii et ejus sequacium relationem habet. Impie si quidem affirmant, sub specie panis esse solum corpus Christi absque sanguine; et sub specie vini, sanguinem sine corpore. Idcirco mandat sancta synodus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, ut nullus Caçanar, sive sacerdos, talem caeremoniam observare audeat, utque illa ex Missalibus deleatur: eo quod innuat talem haeresin, et praeterea insciliam continet, quod existiment a speciebus penetrationem esse ad corpus et sanguinem Christi.* Haec illi severe et confidenter. Fissuram in particula fieri, ut, quod vulgo

dicunt Orientales, uniantur corpus et sanguis, etsi aliis Christianis non est in more positum, non magis ad haeresin occulte significandam pertinet, quam intinctio et utriusque speciei commistio, de qua idem dici poterit, quod de illa fissura Diamperenses judicaverunt. Nestorianos porro credere sub pane solum corpus Christi, sub vini specie solum sanguinem, nemo fide dignus unquam illis objecit: praesertim inter Orientales qui adversus illorum haereses data opera scripserunt. Neque simile quidquam ex verbis orationis quae recitatur, dum fit unio utriusque speciei, elici potest, cum iisdem omnino constet ea quam Nestoriani usurpant, et quam Orientales omnes reliqui, imo Romana ipsa Ecclesia, quae dicit: *Haec commistio et consecratio corporis et sanguinis Christi Domini, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam;* Nam qui dicunt: *Panem fieri corpus Christi: mistum quod calice continetur sanguinem Christi,* nihil aliud significant, quam quae Christus ipse Sacramenti institutor Apostolis dicebat, de pane quidem, *Hoc est corpus meum:* de calice, *Hic est calix sanguinis mei:* quae verba non significant, corpus esse sine sanguine, aut sanguinem sine corpore. Orationes autem variae quae dicuntur a Diaconis et a populo, circa tempus communionis, Nestorianos nullam a reliquis Christianis opinionem habere diversam, satis evincunt. Illae porro non ut positae sunt in Missa Malabarica, solent recitari, sed postea; ut dum secunda fractio fit, audiat et dicat populus, ea quae ad fidem de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia confirmandam, efficacissima sunt. Tales multae orationes extant non in libris solum Missalibus, sed in aliis precum quotidianarum, ut non Sacerdotibus et Diaconis solis, sed Laïcis quoque familiares sint. In illis primum locum obtinet illa celebris. *Ecce mensa posita est in sancto sanctorum, sacerdotesque cingunt eam: invocatque sacerdos Spiritum sanctum, qui requiescit in pane et miscetur in calice.* Ea verba miraculum significant, et immediatam operationem Spiritus sancti in dona proposita, tanquam auctoris et consummatoris omnium Sacramentorum. Ea porro Theologia nec salebrosa est, nec nova, cum Liturgiae omnes et sancti Patres Graeci et Latini ita loquantur, neque sacro Sacerdotum ministerio quidquam aufert, ut alibi fusius probatum est.

Tandem illius similiumque orationum sententia ad Graecorum de qua tantopere a ducentis annis pugnatur opinionem accedere dicetur, de qua Nestoriani non magis quam Syri Melchitae et Jacobitae, Coptitae et alii omnes Orientales unquam cogitaverunt, in simplici Ecclesiarum suarum traditione, absque ulla erroris aut novitatis suspicione perseverantes. Quod si recentioribus quibusdam eruditis Invocationem Spiritus sancti, et orationes quae ejus operationem in dona proposita spectant, aliter interpretari visum est, fecerunt id nimium praecipitanter, cum verba Christi Domini summe necessaria ad consecrationem credant, et semper pronuntient: subsequentibus vero orationibus vim illorum imminui, non magis existimaverint quam Gallicanae veteres et Mozarabicae Ecclesiae, quae similibus precibus usae olim fuerunt.

Notandum praeterea ritus aliquos adjunctos in Missae Malabaricae versione, ignorari apud Orientales, ut illum *accedens Diaconus ad altare, sacer-*

dos apprehendit manum ejus dextram et infert in patena dicens, Gloria Domini nostri. Diacono traditur calix ut communionem Laïcis administret; sed manum disco non infert, cum Eucharistiam non tangat.

19. Sancta sanctis.

Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Vulgo dicitur Graeca oratione servata ad honorem antiquitatis in Ecclesia Alexandrina, in qua etiam maxima brevium orationum pars, quae dicuntur a Diacono et a populo, Graece pronuntiantur. In Syriacis, aliquando, ut hic explicantur, nempe ut significetur Sacramenta seu mysteria non aliis tradenda esse quam sanctis, hoc est illis qui nullius sibi peccati conscii sunt, aut commissa per confessionem et poenitentiam expiaverunt. In istis tribus Nestorianorum Liturgiis adjiciuntur ultima illa verba; ita ut sensus sit *sanctum sanctos decet in perfectione.* Illis scilicet, *sanctum*, hoc est Eucharistiam, dari solis oportere qui perfectionem vitae Christianae sequuntur, nec ab ea deficiunt. In versione Missae Malabricae: *Sanctum sanctis decet Domine mi, in consummatione;* quae verba obscuriuscula sunt, nec sententiam commode exprimunt. Significari vero perfectionem vitae Christianae, non sacrae actionis consummationem, argumento est ejusdem formulae lectio, ut in Jacobiticis Liturgiis se habet. Ita nempe exprimitur in Liturgia Jacobi et aliis: *Sancta sanctis in perfectione, puritate et sanctitate traduntur:* nempe idem est quod, decet sancta sanctis, qui in perfectione sunt dari: sive perfectis, puris, sanctis. At in antiquioribus codicibus diversarum Liturgiarum Syriacis, ut in Commentariis Barsalibi, et aliquot Theologorum qui hanc orationem allegant, legitur simpliciter *sancta sanctis:* verba subsequentia postmodum adjuncta fuerunt. Ratio fortasse est, quod cum primitus formulae illae Graece pronuntiarentur, ut aliae non paucae, quae in Coptitarum Officiis huc usque conservatae sunt, eas tandem Syriace verti placuit. Nam eodem modo quo apud istos quaedam pronunciata Graece fuisse, probant codices nonnulli, et fragmentum illud quod post Severi Officium Baptismi edidit Guido Fabricius Boderianus: ubi *τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Σιώπιεν καλῶς. Κύριε ἐλέησον* occurrunt.

Eo ipso tempore quo proclamatur *sancta sanctis* elevatur et adoratur apud Orientales Eucharistia, non iis Liturgiae locis quibus adorationem notaverunt Diamperenses reformatores, rati scilicet disciplinam, ut et fidem aliam non posse tolerari, quam Ecclesiae Romanae propriam, a cujus tamen moribus alienum semper fuit severius illud de Orientalium disciplina judicium. Ritus fuse describitur qualis viget inter Coptitas a Gabriele Patriarcha et variis autoribus: an vero accurate Nestorianae disciplinae respondeat, affirmare non possumus, cum omni Ritualium hujus sectae praesidio careamus. Illorum vero librorum exemplaria in Mesopotamia apud Nestorianos extare probabile est, ut extabant in Malabaricis Ecclesiis; ea quae Alexii Menesii autoritate combusta sunt. Ea porro si Christianis illis ad unitatem Ecclesiae redeuntibus,

utenda relinquere periculosum visum fuit, at servari aliqua oportebat ad traditionem Orientalium perspiciendam.

20. Cumque venit Diaconus ad portandum calicem, etc.

Oratio praecedens: ***Unus Pater sanctus, etc.*** dicitur eo ipso loco in omnibus Orientalibus Liturgiis, quasi tessera Christianae fidei circa Trinitatis mysterium. Canuntur interea Responsoria, quae ad fidem de Eucharistia contestandam pertinent, praeeunte Diacono. At singularem, ut apud Coptitas circa illud mysterium confessionem fieri, nulla legitima autoritate constat, ex librorum defectu, neque reliquas caeremonias quae ad Eucharistiam distribuendam adhiberi debent scimus. Hoc loco solum id habemus, quod ex veteri disciplina calix Diacono committitur, tum ut Sacerdotibus et aliis, quibus bibendus datur cum administret: tum ut Laïcis et mulieribus qui intinctam particulam cochleari praebito accipiunt, communionem distribuat. Cum autem illa consuetudo in Ecclesia Graeca ortum habuerit, et ad Orientales omnes pervenerit, Nestorianis quoque familiarem fuisse verisimile omnino est. De communione sub utraque specie dubitare non sinunt nos quorumdam Theologorum a Missionibus testimonia, qui eam disciplinam, velut errorem gravissimum illis objiciunt, quamvis non antiquitus modo communis usus ille fuerit apud omnes Ecclesias, verum etiam quaecumque ad unitatem redierunt, libere, neque reclamantibus Pontificibus, illum retinuerint. Quod a nonnullis temere dictum est, ut a Joanne Ragusino in Concilio Basileensi Nestorianos sub utraque specie communionem dare olim instituisse, quod sub panis specie solum corpus Christi esse crederent, sub vini solum sanguinem, dudum a Theologis explosum est, quamvis a Censoribus Diamperensibus idem quoque fuerit affirmatum. Nullam habent vel habuerunt Nestoriani disciplinam hac in parte singularem, sed eamdem quam reliqui omnes in Oriente Christiani, quae cum alibi fuse a nobis explicata sit, praesertim in Commentariis ad Copticas, Syriacasque Jacobitarum Liturgias, plura non dicemus.

21. Fratres suscipite corpus Filii clamat Ecclesia.

Orationes illae quae dicendae sunt cum distribuitur Eucharistia, in usu erant apud Nestorianos Malabares, ut apud Mesopotamenos, quod testatur Missa a Lusitanis Latine edita. Verum in utrorumque codicibus paucae extabant, et aliquae non erant integrae, cum proprius illarum locus foret in libris precum quotidianarum, unde peti solebant. Tales in aliquot exemplaribus extant, tam perspicua de veritate corporis et sanguinis Christi in sacramento testimonia continentes, nihil ut possit esse clarius. Nam descensum, seu

illapsum sancti Spiritus in dona proposita, causam scilicet principem miraculi, quo majus animo concipi non potest, designant, illudque fieri non in fideles, ut ipsi per fidem elementa accipientes suscipiant corpus et sanguinem Christi, dicunt: sed in panem et vinum, posita super mensam Sacerdotalem, seu altare; in ipsum altare, quo tempore nondum distributa est, et suscepta a communicantibus Eucharistia, adeo ut iis solis verbis excludatur prorsus eorum opinio, qui licet realitatem quamdam admittant, eam negant consistere absque usu Sacramenti. Itaque Angeli illis in orationibus dicuntur altare circumstare cum timore et tremore, et aspicere Sacerdotem frangentem corpus Christi: quae verba nihili forent, si qui illa in Ecclesiis canenda praescripserunt, credidissent, nihil tum fuisse in mensa Eucharistica, praeter nuda panis et vini elementa, quae per fidem suscepta exhiberent corpus et sanguinem Christi. Cum etiam in iisdem Orationibus dicunt. *Omnes fideles cum laetitia spiritus, venite et confiteamur absque dubio, videre nos super altari sancto, Agnum Dei qui quotidie ecce sacrificatur sacramentaliter, et vivit in saecula: unicuique dividitur, et non deficit aut imminuitur,* fidem suam perspectissimam faciunt, cum similes sententias Reformatio, etiam a Sacramentariis remotissima, ferre non possit. Qui enim ita loquuntur, significant, id quod vident in altari positum, esse corpus Christi, vivum scilicet, quando illud vocant *Agnum Dei:* agnoscunt sacrificium, quod dum Sacramentaliter sive mystice fieri dicunt agnoscunt sacrificium incruentum cujus frequentissima mentio est in precibus Liturgicis, Latinis, Graecis et aliis cujuscumque linguae. Dividi quoque in partes corpus Christi, et fidelibus distribui, ita ut neque deficiat, neque minuatur, ad elementa panis et vini referri non potest, cum illa minuantur, absumantur et deficiant: igitur ad ipsum corpus Christi referenda sunt: tanto magis quod alibi satis suam ipsi fidem explicent: cum Elias illorum Catholicus hoc nomine tertius, in Expositione fidei, quam scripsit, cum esset Hierosolymitanus Metropolita, aperte testatus fuerit *mutari substantiam panis et vini, in substantiam corporis et sanguinis Christi*, ut ex ipsius testimonio constat, quod alibi retulimus. Quod si quaecumque illis orationibus continetur, oratorie potius quam Theologice dicta, nonnulli contendant, fatebimur non omnia rigide et ad literam intelligenda, ut illa *Spiritum sanctum habitare in pane et commisceri in calice.* Sed saltem fatendum est, haec et similia scribi non posse ab iis qui veram et substantialem elementorum transmutationem non crederent: tum simplici sensu, significare operationem divinam in dona proposita, per insigne et omni humana ratione superius miraculum, non per communicantium fidem, quam ut necessariam requirunt, ad percipienda cum fructu Sacramenta, non vero ad efficiendum ut fiant communicantibus corpus et sanguis Christi, in quae transmutata esse panis et vini elementa, jam credunt, alioqui similes orationes ante communionem non usurparent. Sed alio loco fusius probatum est, Nestorianos non minus quam reliquos Orientales Christianos de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, idem quod Romana tenet Ecclesia, credere: illamque communem esse omnium Christia-

norum fidem Ebn-Eltaib Nestorianus; Natif filius Yemen Melchita: Ebnassalus, et Abulbircat Jacobitae, omnesque tandem Orientales Theologi testantur.

Orationes gratiarum actionis variae, quae in Missa Malabarica primae isti Liturgiae subjuncta sunt, in nostris Codicibus, tertiae quae Nestorii est subjiciebantur: nempe quia non ad unam, sed ad omnes pertinent deligendae ad Sacerdotis arbitrium.

LITURGIA

THEODORI INTERPRETIS.

EA CELEBRATUR A DOMINICA PRIMA ANNUNTIATIONIS, USQUE AD DOMINICAM PALMARUM.

Domine adjuva me per miserationes tuas, etc.

Oratio coram Altari.

DOMINE Deus fortis, Pater omnipotens, qui es solus aeternus, conditor omnium creaturarum, Rex gloriosus, qui facis magnalia incomprehensibilia, praeclara et excelsa, quae verbis explicari non possunt. Tu per cujus dispensationem admirabilem et timendam, quam per humanam naturam nostram gessit unigenitus tuus Dominus noster Jesus, praestitisti nobis innovationem vitae novae, dedistique nobis pignus Spiritus sancti in cordibus nostris: et rursum per cognitionem istorum mysteriorum, praeclarorum, sanctorum, vivificantium et divinorum, nos fecisti dignos per gratiam tuam, cum ne accedendi quidem digni essemus, aut illa perficiendi, ut illa susciperemus, et ipsis communicaremus: non aspicias Domine humilitatem et imbecillitatem nostram, sed praesta per gratiam tuam, et miserationes tuas uberes, plenas gratia Spiritus sancti, ut dum consistimus coram te conscientiis mundis, et offerimus tibi sacrificium hoc vivum, sanctum, accepta-

bile, praeclarum, rationabile, excellens et incruentum, gratiam et miserationes inveniamus coram te. *Canon:* cum omnibus illis qui a saeculo placuerunt tibi, per gratiam et miserationes unigeniti tui, et tibi, ipsique et Spiritui sancto gloriam, laudem et adorationem referamus, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signat se, et reliqua perficiunt ut in Liturgia Apostolorum. Et Sacerdos dicit Canonem. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus nobis, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signum crucis facit super mysteria et prosequitur. [2] Sursum in excelsi sublimibus, in regione timenda gloriae, ubi non cessant Cherubim alas suas agitare, neque desinunt jubili et laudes suaves sanctificationum Seraphim, ibi sint mentes vestrae.

Et respondent. Sunt apud te Deus.

Sacerdos prosequitur. Oblatio viva et rationabilis primitiarum nostrarum, victimaque non immolata, et acceptabilis Filii generis nostri, pro omnibus creaturis universim, Deo omnium Domino offertur.

Et respondent. Dignum et justum est.

Diaconus. Pax nobiscum.

Sacerdos secreto. [3] Dignum est Domine quotidie, et justum omni tempore, aequumque horis omnibus gratias agere nomini tuo sancto, et adorare majestatem tuam in omni regione et loco: te Deus Pater veritatis qui existis ab aeterno, et Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, et Spiritum sanctum in saecula saeculorum: quia tu es Dominus et conditor omnium visibilium et invisibilium: qui per Filium tuum unigenitum Deum Verbum qui est lux gloriae tuae, et splendor ex te imagoque substantiae tuae, creasti et constituisti coelum et terram, et omnia quae in eis sunt. Et per Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui ex te est Pater, omnes naturae rationales, visibiles et invisibiles confortantur, sanctificantur, dignaeque fiunt, referendi laudem divinitati tuae adorandae. Quia coram te Pater vere, et coram Filio tuo unigenito Domino nostro Jesu Christo, et coram Spiritu sancto consistunt millena millia sublimium Spirituum et decies millies decem millia Angelorum sanctorum, quorum vitae voluptas est in constanti sua voluntate, ut nomen tuum magnum et sanctum, laudatione perpetua sanctificent. Dignum etiam fecisti Domine per gratiam tuam genus nostrum infirmum, hominum

mortalium, ut cum coetibus omnibus sublimium, majestati tuae omnibus dominanti laudem et honorem referrent, cum illis qui semper coram maxima sanctitate tua jubilant ad celebrandam gloriam Trinitatis tuae gloriosae. *Canon.* Vociferantes, glorificantes indesinenter, clamantesque unus ad alterum, dicentes et respondentes: Sanctus, Sanctus.

Sacerdos dicit hanc Orationem. Sanctus. Sanctus. Sanctus Dominus potens.

Sacerdos prosequitur tacite hanc Orationem inclinationis.

Vere Domine sanctus es et laudandus in aeternum. Sanctus es Deus Pater verus solus, sanctus quoque est Spiritus sanctus: natura divina, et non facta: omnium conditor, qui naturaliter, et omnino vere sanctus es: et sanctum nomen ejus, et sancta inhabitatio ejus: qui etiam vere sanctificat omnes quicumque digni sunt suscipere donum gratiae ejus. Et referimus tibi laudem, gloriam, gratiarum actionem, et adorationem, Patri, et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Adoramus te Domine, et gratias agimus tibi, et glorificamus te propter omnia tua beneficia erga nos: quia creasti nos ex nihilo, dignosque fecisti nos honore magno libertatis et intelligentiae: qui perpetuo et erga unumquemque curam habes conservandae vitae nostrae. Coram nomine magno tuo et tremendo genua flectimus, et adoramus; nobiscumque laudant et gratias agunt coetus omnes sublimium, quod propter gratiam tuam ineffabilem erga nos homines, et propter nostram salutem, [4] unigenitus Deus Verbum, cum imago Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed se ipsum exinanivit, et similitudinem servi accepit, descenditque de coelo, induitque humanitatem nostram, corpus mortale et animam rationalem, intelligentem et immortalem ex Virgine sancta, per virtutem Spiritus sancti: et per illud perfecit et complevit omnem dispensationem hanc magnam, et mirabilem quae dudum praeparata erat per praescientiam tuam ante constitutionem mundi. Eam quoque complevisti postmodum temporibus ultimis per Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: ipseque est caput Ecclesiae et primogenitus ex mortuis: et ipse est perfectio omnium, a quo omnia perficiuntur. Ipse per Spiritum aeternum, se

ipsum obtulit immaculatum Deo, et sanctificavit nos per oblationem corporis sui semel factam, et pacificavit per sanguinem crucis suae, quae in coelis, et quae in terris sunt. Qui traditus est propter peccata nostra et resurrexit ut justificaret nos. [5] Qui cum Apostolis suis ea nocte qua traditus est, celebravit mysterium hoc magnum, tremendum, sanctum et divinum: accipiens panem benedixit et fregit, deditque discipulis suis et dixit. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum. Similiter et calicem: Gratias egit, et dedit illis dixitque. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Accipite igitur vos omnes, edite ex hoc pane, et bibite ex hoc calice, et ita facite quotiescumque congregabimini in mei memoriam.

Sicut praeceptum nobis est ita congregati sumus, nos servi tui humiles, imbecilli et infirmi, ut cum bona venia gratiae tuae, celebremus mysterium magnum, tremendum, sanctum et divinum, per quod facta salus est magna universo humano generi nostro. *Canon.* Referimusque simul laudem, honorem, confessionem, et adorationem, Patri et Filio, et Spiritui sancto nunc et semper.

Sacerdos signat mysteria. Diaconus dicit. Mentibus vestris orate, etc.

Sacerdos dicit hanc Orationem. Domine Deus potens.

Sacerdos dicit hanc Orationem inclinationis secreto.

Adoramus te Domine, et gratias agimus tibi, et glorificamus te, quod nos licet indignos propter peccata nostra, ad te accedere fecisti, per miserationes tuas multas; et renovasti nos, et sanctificasti per gratiam Spiritus sancti, dignosque praestitisti nos administrandi coram te ministerium hoc tremendum, et divinum, ad salutem vitae nostrae: simulque confitemur coram te, cum gratiarum actione maxima, ob salutem magnam, quae nobis omnibus praestita est, per Filium tuum dilectum Jesum Christum Dominum nostrum. Offerimusque coram Trinitate tua gloriosa, corde contrito, et spiritu humilitatis, sacrificium hoc vivum et sanctum, quod mysterium est Agni Dei qui tollit peccata mundi, rogantes te et deprecantes coram te, ut complaceat Domine divinitas tua adoranda, et per misericordiam tuam suscipiatur oblatio haec pura et sancta per quam placatus et reconciliatus es, pro peccatis mundi. Nunc etiam Domine, ecce offertur

haec oblatio coram nomine tuo magno et tremendo, pro universa Ecclesia sancta Catholica, ut habitet in medio ejus tranquillitas tua, et pax tua cunctis diebus saeculi: et removeantur procul ab ea persecutiones, tumultus, contentiones, schismata et divisiones, omnesque invicem adhaereamus, per unanimem concordiam, cum corde puro et caritate perfecta. Et pro omnibus Patribus nostris Episcopis, et Chorepiscopis, Sacerdotibus et Diaconis, qui sunt in hoc ministerio veritatis, ut stent et ministrent coram te pure, splendide et sancte, placeantque voluntati tuae, ita ut mereantur consequi a te gradus bonos et sublimes, in revelatione Domini nostri Jesu Christi. Pro omnibus etiam filiis Ecclesiae sanctae Catholicae, qui hic sunt et in quacumque regione, ut proficiant in adoratione majestatis tuae, in fide vera, et in operibus bonis, et laudabilibus ad salutem vitae suae. Et pro servo tuo peccatore, et culparum reo, ut per gratiam tuam Domine parcas peccatis meis, et auferas delicta mea, quae sciens vel nesciens, commisi coram te. Et pro illis omnibus pro quibus offertur haec oblatio, ut inveniant coram te miserationes, et gratiam et vivant. Et pro fructibus terrae atque aëris temperie, ut benedicatur corona anni benignitatis tuae per gratiam tuam. Et pro omni genere hominum qui in peccato aut errore versantur, ut per gratiam tuam dignos illos efficias cognitione veritatis, et adoratione majestatis tuae: ut cognoscant te, quod sis Deus Pater verus solus: agnoscantque te bonum, qui vis ut omnes homines vivant et convertantur ad agnitionem veritatis: agnoscant quoque te tanquam Dominum ab aeterno et a saeculo, naturam divinam non factam, conditorem omnium, Pater, Fili, et Spiritus sancte. Quodque propter nos homines. et propter nostram salutem, Filius Dei, Deus Verbum, induit hominem perfectum, Dominus noster Jesus Christus: perfectusque et justificatus est per virtutem Dei et per Spiritum sanctum, et ipse est mediator Dei et hominum, et largitor vitae in saecula saeculorum, illis qui per eum accedunt ad Deum Patrem: cui sint laudes et benedictiones in saecula saeculorum. Domine et Deus noster suscipe a nobis per gratiam tuam sacrificium hoc gratiarum actionis, fructus scilicet rationabiles labiorum nostrorum, ut sit coram te memoria bona justorum antiquorum, Prophetarum sanctorum, Apostolorum beatorum: Martyrum et Confessorum, Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium filiorum Ecclesiae sanctae Catholicae, eorum qui in fide vera transierunt ex hoc mundo, ut per gratiam

tuam Domine, veniam illis concedas, omnium peccatorum et delictorum quae in hoc mundo, in corpore mortali, et anima mutationi obnoxia peccaverunt aut offenderunt coram te, quia nemo est qui non peccet.

Et prosequitur. [6] Rogamus te Domine, deprecamur, et obsecramus te ut complaceat divinitas tua adoranda, per clementiam tuam.

Diaconus dicit. Cum silentio et timore.

Sacerdos. Et veniat super nos et super oblationem hanc, gratia Spiritus sancti, habitetque et illabatur super panem hunc et super calicem hunc, benedicatque, et sanctificet, et obsignet illos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: fiatque panis, per virtutem nominis tui, panis, inquam, iste, corpus sanctum Domini nostri Jesu Christi: et calix iste, sanguis Domini nostri Jesu Christi: ut quicumque cum fide vera ederit ex hoc pane, et biberit ex hoc calice fiant illi Domine, ad veniam delictorum et remissionem peccatorum, ad spem magnam resurrectionis a mortuis, ad salutem animae et corporis, et ad vitam novam in regno coelorum. Dignos etiam fac nos omnes per gratiam Domini nostri Jesu Christi, ut cum omnibus illis qui placuerunt voluntati tuae, et secundum praecepta tua vitam instituerunt, laetemur in regno coelorum, fruentes bonis futuris, quae non transeunt.

Et hic et illic nos omnes simul et aequaliter confitebimur, adorabimus et laudabimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signat mysteria et reliqua omnia perficit, ut in Liturgia Apostolorum.

IN LITURGIAM THEODORI INTERPRETIS NOTAE.

1. Liturgia Theodori Interpretis.

Ista Liturgia inter eas quae in Nestoriana Ecclesia frequentantur, secunda est: extatque in omnibus codicibus manuscriptis. Eam cum duabus

aliis ad Indicas Ecclesias translatam fuisse argumento est prohibitio in Synodo Diamperensi facta, ne quis illa uteretur: ut neque altera quae Diodori nomen praeferebat. Istius vero nulla apud Nestorianos memoria est: unde suspicari licet deceptos nominis similitudine censores fuisse, cum facilis fuerit unius nominis in alterum transmutatio, praesertim in Syriaca scriptura, quae ut Arabica Graecis nominibus exprimendis parum commoda est, nec magis quam Graeca ubi Orientales voces exprimendae sunt. Agnoscunt Nestoriani, et inter sanctos suos Doctoresque numerant Diodorum Tarsensem, cujus memoriam in festo *Graecorum Patrum* celebrant: at Liturgiam ejus nomine nullam habent. Theodorum maxime venerantur et *Interpretem* per excellentiam vocant, quia multis in sacras litteras commentariis inclaruit, qui licet ab eo homine profecti cujus fides corrupta erat opinionibus illis, quas Nestorius publicavit, ipsis Orthodoxis non contemnendi visi sunt, adeo ut in Catenis graecis multa illorum fragmenta occurrant. Discimus ex Liberati Breviario, multa tam Nestorianorum quam Jacobitarum scripta in Sectarum illarum primordiis translata fuisse in communem Syrorum Persarum et Armenorum linguam. Theodori opera Syriace translata fuisse certissimum est, cum id testetur Hebedjesu: et dudum est, cum Arabicae eorumdem versiones factae sunt ex Syriacis. Imo a Jacobitis reformata est illa versio Commentariorum in Evangelia; rejectis illis quae ad Nestorianam haeresin spectabant, ut a suis hominibus sine offendiculo legi possent, quod testatur Abulbircat. Tale exemplar est, nisi vehementer fallimur, quod extat in Seguieriana Bibliotheca, nam in illo quod dogmatibus Nestorianis faveat occurrit omnino nihil.

De Theodoro Mopsuesteno praeter ea quae leguntur apud autores Ecclesiasticos, eruditis notissima, mira narrant Jacobitae, et inter alios Dionysius Barsalibi in opusculo adversus Nestorianos, quasi a Judaeis institutus, conjunctis consiliis novae haereseos architectus fuerit: Ea narratio ex zelo religionis nata, probari tamen non potest, neque cum historiarum certiorum testimoniis consentit: atque adeo a nobis omittitur: pauca tantum suo loco ex illa delibavimus.

Cum vero praescribitur in rubrica, celebrari eam Liturgiam a Dominica prima Annunciationis seu *Εὐαγγελισμοῦ*, idem est ac si Latino ritu diceretur Dominica prima Adventus: ita ut celebretur solis diebus Dominicis. Plura petenda notantur ex Liturgia Apostolorum, quia illa reliquarum est quasi Canon: ut apud Coptitas Basilii: apud Syros Jacobitas Jacobi.

2. *Sursum in excelsis, etc.*

Singulare hoc et Nestorianis proprium est, ut verba quae Praefationi praemittuntur paraphrastice, pluribusque quam primaeva simplicitas tradiderat verbis enuncient. De illa interpolatione nihil nobis dicendum occurrit. In secunda hortatione, non ut in prima simplex est paraphrasis: sed sententia diversa. Cum enim aliae Ecclesiae dixerint, *Gratias agamus Domino Deo*

nostro: monet Sacerdos oblationem seu sacrificium Deo offerri: quod aliae Liturgiae sufficienter exprimunt per allocutiones Diaconorum, qui paulo ante aut postea dicunt, *Attendamus Deo cum timore*, et alia similia.

In ea tamen praeter ritum singularem nihil nisi pium. *Oblatio* autem ut hoc loco vertimus satis ad litteram, ne duas voces Syriacas unica Latina exprimendo, error aliquis oboriri posset, respondet voci קורבנא quae pluribus sacrae scripturae locis *Sacrificium* significat θυσίαν scilicet et προσφοράν, quibus vocibus quas a Graecis Coptitae acceperunt, in Officiis suis indifferenter utuntur. *Oblatio viva et rationabilis primitiarum nostrarum.* Graece ita redderetur Προσφορὰ ζῶσα καὶ λογικὴ Corporis Christi scilicet vivi; rationabilis est λογική, eo sensu quo λογικὴ λατρεία in vulgata versione redditur, *rationabile obsequium*, λογικὸν γάλα: *rationabile lac*, spirituale scilicet: quam vocem ut multas alias Syri expresserunt, non omnino feliciter. *Victima non immolata*, significat victimam spiritualiter immolatam, ita ut immolatione non consumatur: idem scilicet quod dicunt in oratione superius allegata, *Agnum Dei qui quotidie sacrificatur sacramentaliter, et vivit in saecula; distribuitur, et non deficit aut imminuitur.* Ita in Chrysostomi Liturgia Μελίζεται, καὶ διαμερίζεται ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρός, ὁ μελιζόμενος καὶ μὴ διαιρούμενος· ὁ πάντοτε ἐσθιόμενος, καὶ μηδέποτε δαπανώμενος. *Dividitur in partes agnus Dei, filius Patris, qui in partes secatur, et non dividitur ubique comeditur, et non consumitur.* Itaque quamvis non necessario, neque ex reliquarum Ecclesiarum disciplina, pie tamen et laudabiliter inchoatur apud Nestorianos sacra actio per confessionem sacrificii Eucharistici. Illius enim mentio est tanquam novo foederi proprii, in omnibus Liturgiis cujuscumque ritus aut linguae, in quibus ut in ista, vocatur sacrificium spirituale et incruentum. Hanc orationem illustrat id quod legitur in Missali Gothico. *Hic enim est agnus Dei, unigenitus filius tuus qui tollit peccatum mundi: qui se pro nobis offerendo non desinit; nosque apud te perpetua advocatione defendit. Quia nunquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus.* *Missa Pasch. 5ª. p. 343.*

3. *Dignum est quotidie, etc.*

Haec oratio ut omnes hujus loci et generis aliae quae Praefationi Latinorum respondent, eamdem habent sententiam; gratiarum scilicet actionem ad Deum, pro beneficiis ab eo in humanum genus collatis a prima rerum creatione, ad Incarnationem et dispensationem sive ἔνσαρκον οἰκονομίαν Jesu Christi Domini nostri, quam sequitur commemoratio institutionis Eucharistiae.

4. *Unigenitus Deus Verbum, etc.*

Quae hic leguntur de Incarnationis mysterio, cum ex sacrae scripturae verbis contexta sint, ne levem quidem repraesentant umbram Nestorianae

haereseos, quamvis non recte intelligantur ab ejus sectatoribus. Unde antiquiora sunt fortassis quam ipsa haeresis, nempe quod ad veterem Ritum Ecclesiarum Mesopotamiae pertinebant, quem recentiores, qui eas occupaverunt Nestoriani, retinuerunt, et ne mutarent, religione tenebantur. Nam in aliis Officiis quorum non est eadem antiquitas, multa interspersa sunt, quae commode explicare nemo possit.

5. *Qui cum Apostolis suis ea nocte qua tradilus est.*

Quamvis in prima Liturgia, et in aliis prope omnibus cujuscumque linguae interjiciantur orationes, benedictiones et caeremoniae, quae in ista non annotantur, tamen in ista quoque ut in alia observari eadem omnia certissimum est. Sed ut alibi dictum fuit, carent rubricis antiqua Officia, et ea praesertim quae ad aliud primarium unde multa petenda erant referebantur. Quidquid enim in Liturgia Apostolorum praescribitur, ad alteras duas quoque pertinet. In ista vero recitantur juxta omnium Ecclesiarum consuetudinem verba Christi Domini consecratoria, nec aliter quam leguntur in Graecis, Copticis, Syris, et aliarum linguarum Liturgiis. Corruptionis porro, quam hoc in loco Diamperenses Theologi inductam a nonnullis Nestorianorum Catholicis affirmaverunt, ne levissimum quidem vestigium occurrit. Quid enim Nestorianam causam juvat, Evangelica Christi verba referri quomodo in Evangeliis et in Epistola prima ad Corinthios leguntur, et ab universis Orientalibus Ecclesiis pronunciantur a multis saeculis, dudum antequam Nestorii nomen auditum fuisset? Itaque cur Malabarensibus Christianis corruptela hujus loci objiceretur, ratio nulla erat: nam idem crimen impingi posset Graecis, Syris, Coptitis et omnibus aliis, qui hoc nomine nunquam sunt accusati.

Observandum quoque in ista Liturgia, ut in aliis aliquot, praesertim Graeca Marci, quae Copticae Cyrilli similis est, inter verba Christi Domini, et Invocationem Spiritus sancti, interseri orationes multas, et satis prolixas: etsi dona proposita venerari jam incipiant tanquam corpus et sanguinem Christi Domini. Atque ex illo argumento, ut et multis aliis quae alibi adducta sunt, manifestum est, errasse non mediocriter recentiores aliquot scriptores quamvis eruditos, qui Orientales nullam aut exiguam Christi verbis virtutem tribuere affirmant, quasi sola Spiritus sancti Invocatione consecrationem perfici crederent. Nam ut de Nestorianis solis dicamus, illos in alia omnino sententia esse probat Liturgia illorum prima et praecipua, in qua Invocationis post pronunciata verba Dominica forma nulla est: nec tamen de consecratione perfecta dubitant.

6. Et veniat super nos, et super oblationem hanc, etc.

Invocationis ista formula Graecis, Syriacis, Copticis omnibusque tandem cujuscumque ritus aut linguae Liturgiis similis est: atque adeo frustra vexari a censoribus potest, cum nihil praeter recepta apud omnes Orientales Ecclesias verba contineat. Si quid obscuritatis in illis esset, facile per alias ejusdem Orationis formulas explicaretur. Vera lectio constat ex comparatione cum aliis Graecis, Syriacis, Aegyptiacis et Aethiopicis: adeo ut illam refingere summae temeritatis sit, cum nihil habeat Nestorianae sectae proprium, sed communem exprimat Orientalis Ecclesiae Liturgicam disciplinam. Petitur per illam orationem, gratia Spiritus sancti, ut adveniat, non modo super sacerdotem sacra facientem, sed etiam super panem et calicem: neque ad simplicem tantum benedictionem, ut in aquis baptismalibus, oleoque Catechumenorum vel Chrismate, aut ad vasa sacra: sed ut inhabitet, scilicet singulari sanctificatione utrumque consecret, faciendo ut per virtutem divinam, hoc est per miraculum, panis fiat corpus Domini Jesu Christi. Hanc autem esse veram Invocationis secundum Nestorianos sententiam, confirmant orationes, quae a Diacono dicuntur, et notantur in Euchologiis et Horologiis, in quibus ita scribitur. *Ecce mensa posita est in sancto Sanctorum; invocatque Sacerdos Spiritum sanctum qui illabitur, et habitat in pane, misceturque calici.* Quae ut alia ejusmodi multa, floridiori Orientalium stilo expressa simpliciter significant, potentissimam in dona proposita operationem Spiritus sancti, ut fiant id quod non erant, corpus scilicet et Sanguis Christi: non in suscipientes, ut per fidem fiat illis Corpus et Sanguis Christi: sed in eos, suo modo, ut illa digne suscipiant. Reliqua ad Invocationem et alias hujus Liturgiae partes explicandas pertinentia, in notis ad praecedentes, quantum opus erat, exposita sunt.

LITURGIA [1] NESTORII

QUAE CELEBRATUR QUINQUIES IN ANNO, SCILICET IN EPIPHANIA: IN VIGILIA S. JOANNIS-BAPTISTAE, IN VIGILIA DOCTORUM [2] GRAECORUM; FERIA QUARTA HEBDOMADAE SUPPLICATIONIS NINIVES, ET IN PASCHATE.

Oratio ante altare, in qua fit circuitus sive processio.

Gloria tibi, qui es inventor eorum qui perierant.

Deprecatio. O Domine Deus ne respicias multitudinem peccatorum nostrorum.

Inclinatio. Confitemur Domine, et Deus noster divitias abundantes gratiae tuae erga nos *ut in Missa Apostolorum. Canon.* Quia tibi Deus Pater vere, et filio tuo unigenito Jesu Christo Domino nostro, et Spiritui tuo, vivo, sancto et vivificanti, gloriam, honorem, gratiarum actionem, et adorationem referimus, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Et respondent. Amen.

Tum reliqua perficiunt secundum Liturgiam Apostolorum.

Sacerdos. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei Patris et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus nobis nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Et respondent. Amen.

Et signat mysteria, tum prosequitur. [4] Supra in excelsis sublimibus, in regione timenda et gloriosa, in qua cessatio non est agitationi alarum Cherubim, et hymnorum cantuumque suavium sanctificationum Seraphim, illic sint mentes vestrae.

Et respondent. Ad te sunt Deus Abraham, Isaac et Israël, Rex gloriae.

Elevat vocem, extenditque manus sursum, canitque canonem tertium et prosequitur. Oblatio viva et rationalis primitiarum nostrarum et victima, non immolata, et acceptabilis filii generis nostri, quam Prophetae mysteriis suis designaverunt, et Apostoli manifeste praedicaverunt, et Martyres sanguine cervicum suarum acquisiverunt;

Doctores in Ecclesia explicaverunt: sacerdotesque super altare sanctum obtulerunt et immolaverunt: Levitae brachiis suis portaverunt, populi ad expiationem delictorum suorum susceperunt, pro omnibus omnino creaturis, Deo omnium Domino offertur.

Respondent. Dignum et justum est.

Diaconus. Recordamini [5] dispensationis admirabilis Christi Salvatoris nostri, quae pro nobis completa est, et per ortum suum abstulit languores nostros. Decenter igitur state et orate. Pax nobis omnibus.

Sacerdos. Domine Deus fortis, da nobis apertam faciem coram te.

Et prosequitur dicendo hanc Orationem cum inclinatione secreto.

Te Domine fortis, existens, aeterne, Deus pater omnipotens, qui es perpetuo id quod es, dignum est, decens et justum, nos laudare, confiteri, adorare et exaltare semper, et quocumque tempore. Tu enim es Deus verus, incomprehensibilis, infinitus, inexplicabilis, invisibilis, non compositus, nec sensu perceptibilis, immortalis, sublimis et excelsus supra cogitationem et intelligentiam omnium creaturarum: qui es in quocumque loco, nec tamen loco comprehenderis, tu et Filius tuus unigenitus et Spiritus tuus sanctus. Tu Domine da nobis verbum, ad ora nostra versus te aperiendum, ut offeramus tibi corde contrito, et in spiritu humilitatis, fructus spirituales labiorum nostrorum, ministerium rationabile: tu es enim Deus noster, et pater Domini regis et Salvatoris nostri Jesu Christi, spei nostrae: in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae; et per quem accepimus cognitionem Spiritus sancti, Spiritus veritatis [6] qui a te Pater procedit, et est ex natura abscondita divinitatis tuae. Ipse est per quem naturae omnes rationales visibiles et invisibiles, roborantur, sanctificantur et perficiuntur. Et tibi, Filioque tuo unigenito, et Spiritui tuo sancto, laudes perpetuas offerunt quocumque tempore, quia omnes opus tuum sunt. Tu enim ex nihilo nos ut essemus produxisti, et ordinasti. Offendimus et cecidimus; atque vetustate consumtos iterum nos renovasti, erexisti et acquisivisti, neque cessasti quin visitares nos omnes cum magna cura. Adeo ut nos ad coelum ascendere feceris, et regnum venturum tuum per misericordiam tuam nobis dederis. Et propter omnia beneficia tua

erga nos, gratias agimus tibi Deus Pater vere, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo vivo et sancto; adoramusque te propter omnia beneficia tua, quae contulisti nobis, tam ea quae scimus, quam quae ignoramus, manifesta et secreta. Gratias quoque agimus tibi propter hoc ministerium, deprecantes te ut suscipias illud ex manibus nostris: quis enim sufficiat ad enarranda miracula potestatis tuae, et auditas faciat omnes laudes tuas? quia etiamsi creaturae omnes os unum essent et una lingua, non sufficerent Domine ad loquendum de majestate tua.

Canon. Quia coram Trinitate tua Domine, consistunt millies mille, et decies millies, decem mille Angeli: omnesque simul pariter volantes incessanter et perpetuo, voce alta et indesinenti laudem canunt, jubilant, clamantes unus ad alterum dicentes et respondentes: Sanctus, Sanctus, etc.

Sacerdos profunde inclinat se dicendo hanc Orationem. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus fortis, cujus pleni sunt coeli et terra.

Pronunciat hanc orationem inclinationis secreto.

Cumque illis potestatibus coelestibus, et nos Domine bone et Deus misericors clamamus et dicimus, sanctus es vere, et vere glorificandus, excelsus, sublimisque; quod adoratores tuos qui in terra sunt dignos fecisti, similes illis esse qui te glorificant in coelis. Sanctus etiam Filius tuus unigenitus Dominus noster Jesus Christus, cum Spiritu sancto, qui tecum ab aeterno coexistit, ut ejusdem consors naturae, et conditor omnium creaturarum. Benedicimus Domine, Deum Verbum, Filium absconditum, qui est ex sinu tuo, qui cum in similitudine tua esset, et imago substantiae tuae, non rapinam arbitratus est esse se aequalem tibi: sed semetipsum exinanivit, et similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex anima rationali intelligente et immortali, et corpore mortali hominum, et conjunxit [7] illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore, ex natura sua passibilem: qui formatus est per virtutem Spiritus sancti pro salute omnium: quique factus est ex muliere, factusque sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et omnes qui in Adam mortui erant vivificaret: destruxitque peccatum in carne sua, et legem praeceptorum per praecepta sua destruxit: aperuit oculos mentium nostrarum qui caeci eramus, et planam fecit nobis viam salutis; et illumi-

navit nos luce scientiae divinae. Illis enim qui receperunt eum dedit potestatem filios Dei fieri: mundavit nos et expiavit nos per baptismum aquae sanctae, et sanctificavit nos [8] gratia sua per donum Spiritus sancti. Eos quoque qui consepulti sunt ipsi per baptismum, suscitavit, et elevavit, collocavitque secum in coelo, secundum promissionem suam. Cumque dilexisset suos qui in hoc mundo erant, usque in finem dilexit eos, factusque est succidaneus poenae debitae peccatis generis nostri, pro vita omnium, deditque se ipsum pro omnibus ad mortem quae super nos regnabat, et sub cujus potestate servituti addicti eramus, eidem venditi per peccata nostra: et per sanguinem suum pretiosum redemit, et salvavit nos: descenditque ad inferos, et solvit vincula mortis voracis. Et quia justum non erat ut in inferno detineretur, a morte, princeps salutis nostrae, surrexit a mortuis tertia die; et factus est primitiae dormientium, ut esset primus in omnibus: ascendit in coelum: seditque ad dexteram majestatis tuae, Deus. Et reliquit nobis commemorationem salutis nostrae, mysterium hoc quod offerimus coram te. Cum enim advenisset tempus quo tradebatur pro vita mundi, postquam coenavit in Paschate legis Moysis, accepit panem in manus suas sanctas, immaculatas et impollutas, benedixit et fregit, et [9] comedit, deditque discipulis et dixit, accipite, edite ex eo vos omnes. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Simili modo et calicem miscuit vino et aqua, et benedixit, et bibit, deditque discipulis suis et dixit. Bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, atque ita facite in mei memoriam donec veniam. Quotiescumque enim manducaveritis ex hoc pane, et biberitis ex hoc calice, mortem meam annunciabitis usque ad adventum meum. Itaque quicumque cum fide vera accedet et participabit ex illis, sint ei Domine in veniam delictorum, et remissionem peccatorum, spemque magnam resurrectionis a mortuis, et ad vitam novam in regno coelorum.

Canon. Et laudem, honorem, gratiarum actionem, et adorationem referemus tibi Pater absondite, et filio tuo, proli gloriosae, et Spiritui tuo vivo et sancto, et vivificanti, nunc et semper in saecula saeculorum.

Signat mysteria. Diaconus dicit. Aspicite mansuetudinem, humilitatem et obedientiam Christi Salvatoris nostri, cum oculo cogni-

tionis illuminato, et cogitatione purgata obedientiae. Aspiciamus singulariter et videamus Filium unigenitum Patris, ductum ad passionem magnam crucis.

In Epiphania. Qui inclinat caput suum baptismati.

Diaconus. Oremus pacem nobiscum.

Et dicit Sacerdos hanc orationem. O Domine et Deus noster coërce cogitationes meas, ne evagentur in vanitatibus hujus saeculi.

Sacerdos dicit Orationem hanc inclinationis secreto.

Nos quoque Domine Deus Pater fortis, commemoramus hoc praeceptum, et salutem quae nostri causa facta est. Ante omnia credimus, et confitemur te Deus Pater vere, et Filium aeternum divinitatis unigenitum, qui ex te est, per consubstantialitatem tecum conjunctim: dispensationem ejus admirabilem, quae per humanitatem nostram effecta, et propter salutem nostram administrata est: crucem et passionem, mortem, sepulturam, resurrectionem tertia die, ascensionem in coelum, sessionem ad dexteram, et secundum adventum ad nos gloriosum Domini nostri Jesu Christi, in quo judicaturus est vivos et mortuos, et redditurus unicuique secundum opera sua. Confitemur etiam Spiritum sanctum, qui est de substantia gloriosa divinitatis tuae: qui tecum et cum unigenito tuo, adoratur et glorificatur: et offerimus tibi sacrificium hoc vivum, sanctum, acceptabile, praeclarum, et incruentum, pro omnibus creaturis: et pro Ecclesia sancta, Apostolica et Catholica, quae est a finibus usque ad fines terrae, ut conserves eam imperturbatam, et illaesam ab omnibus scandalis, et non sit in ea macula, neque labes, neque ruga, aut quidquam simile. Tu enim dixisti per Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, quod vectes inferni non praevalebunt adversus eam. Et pro omnibus Episcopis in omni loco et regione, qui praedicant rectum verbum fidei verae. Et pro omnibus Sacerdotibus, qui sacerdotio funguntur coram te, in justitia et sanctitate veritatis. Et pro omnibus Diaconis qui conservant mysterium fidei tuae in conscientia pura. Et pro omni statu populi tui pii et sancti in quocumque loco. Et pro omnibus qui scienter vel ignoranter peccaverunt et offenderunt coram te. Et pro servo tuo peccatore et criminum reo, quem per gratiam tuam dignum fecisti offerendi coram te hanc oblationem. Et pro omnibus qui laudabi-

liter Ecclesiam tuam sanctam illustrant operibus justitiae. Et pro omnibus, qui profundunt eleemosynas suas super pauperes. Et pro omnibus Regibus fidelibus, et stabilitate regni illorum. Et pro omnibus principibus et potentatibus hujus saeculi: obsecramus te Domine et deprecamur te, ut in illis confirmes timorem tuum, et plantes in illis veritatem tuam, et subjicias illis omnes barbaras nationes. Rogamus divinitatem tuam Domine, ut comprimas bella a finibus terrae, et dissipes inde gentes quae bellum volunt, ut habitationem tranquillam et quietam habeamus, in omni temperantia et timore Dei. Et pro fructibus terrae, aërisque temperie, ut benedicatur corona anni per gratiam tuam. Et pro hoc loco et habitatoribus ejus, omnibusque regionibus et habitatoribus earum, ut illorum miserearis, illis benedicas, illosque custodias et protegas, per clementiam tuam. Et pro omnibus qui in itinere sunt in maribus aut in viis. Et pro omnibus qui sunt in vinculis, in angustiis, et persecutionibus, oppressionibus et tumultibus propter nomen tuum. Et pro omnibus qui in exilium ejecti, et qui in tribulationibus et carceribus in insulas remotas ad perpetuum supplicium projecti sunt: aut durae servituti addicti. Et pro omnibus fratribus nostris qui sunt in captivitate: petimusque a te Domine, ut adjuves etiam omnes qui doloribus et duris infirmitatibus vexantur. Deprecamur quoque misericordiam tuam, Domine, per gratiam tuam, pro omnibus inimicis nostris, et illis qui oderunt nos: et pro omnibus qui cogitant adversus nos mala: non in judicium neque in vindictam, Domine Deus fortis, sed ad miserationes et salutem, atque ad remissionem peccatorum, quia vis ut omnes homines vivant et convertantur ad agnitionem veritatis. Tu enim praecepisti nobis per Filium tuum dilectum Dominum nostrum Jesum Christum, ut oraremus pro inimicis nostris, et pro illis qui oderunt nos, et pro illis qui nobis imperant violenter et injuste.

Canon. Igitur Domine, quidquid tanquam homines mortales commisimus, et peccavimus, solve, dimitte, aufer et parce tu bone, qui per misericordiam tuam gubernas omnia, ut cum concordia ad nos invicem, referamus tibi laudem, honorem, gratiarum actionem et adorationem, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Sacerdos signat se ipsum. Tum Diaconus dicit. Levate oculos vestros in excelsa sublimia, et aspicite mentibus cordium vestrorum: rogate etiam et deprecamini Christum salvatorem nostrum, ut per-

ficiat nobiscum gratiam suam spiritualem. In mentibus vestris pre-camini pacem nobiscum omnibus.

Sacerdos dicit hanc Orationem.

Domine Deus miserator et misericors et clemens, nunc incoepi loqui coram te, ego pulvis, peccator, imbellis et pauper, reus coram te ex utero matris meae, peregrinus a vulva, transgressor a visce-ribus matris meae. Miserere mei, Domine, per misericordiam tuam, et educ me de mari delictorum per clementiam tuam: educ me de abysso peccatorum meorum per benignitatem tuam: sana ulcera vi-tiorum meorum, et plagas offensarum mearum, tu confirmator et sa-nator. Da mihi ut aperiam os meum coram te, dignumque me fac ut moveam labia mea apud te. Concede mihi ut placare te possim circa offensas meas, et ad obtinendam remissionem peccatorum, et veniam delictorum, et abolitionem macularum mearum propriarum, et peccatorum eorum qui mihi similes et socii sunt: ut a te petam ea quae conveniunt divinitati tuae, et quae postulari debent: quia tu dives thesaurum habes qui nunquam deficit; offeruntur que tibi omni tempore petitiones diversae, et distribuuntur secundum eas a te dona abundantia absque numero. Ne irascaris mihi, benigne, et longani-mis, quia non talis est mihi coram te fiducia, ut confidenter haec dicam coram majestate tua: verum suscipe me ut illud audeam, quia nomen tuum magnum invocatum est super me. Suscipe sacrificium hoc ex manibus meis imbellibus pro populo tuo et ovibus pascuae tuae: quapropter gratiarum actionem reddo nomini tuo, et adoratio-nem offero majestati tuae Domine omnium.

Sacerdos dicit hanc Orationem inclinationis secreto.

Domine Deus potens, rogamus te, benedicentes, et adorantes coram te; converte errantes: illumina eos qui sunt in tenebris; con-firma debiles: erige lapsos; corrobora stantes: et ea quae conve-niunt et utilia sunt, omnibus provide per miserationes tuas. Rogamus etiam et deprecamur te Domine ut memineris ad istam oblationem, Patrum, [11] Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Con-fessorum, Doctorum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium qui participes fuerunt ministerii nostri, qui ex hoc saeculo abierunt,

et omnium fratrum nostrorum in Christo qui ex hoc saeculo profecti sunt in fide vera, quorum nomina scis: solvens et remittens illis quodcumque peccaverunt aut in quo offenderunt coram te, tanquam homines errori et passionibus obnoxii, per orationem et intercessionem eorum qui placuerunt coram te. Respice ad nos et miserere nostri omniumque servorum et ancillarum tuarum qui stant coram altari tuo. Fac nos omnes dignos, ut simus participes partis et haereditatis sanctorum in lumine, et da nobis ut cum abundantia caritatis, et cogitationum puritate vivamus coram te in hoc saeculo peregrinationis nostrae, possidentes cognitionem accuratam veritatis fidei in te, et communicantes mysteriis tuis tremendis et sanctis: ut quando stabimus coram solio terribili majestatis tuae non confundamur, nec condemnemur. Et sicut in hoc saeculo dignos fecisti nos ministerio mysteriorum tuorum tremendorum et sanctorum, illic in saeculo venturo praesta nobis, ut revelata facie participes simus omnium bonorum, quae nec transeunt, nec pereunt. Cumque consummabis ea quae hic tenemus tanquam per speculum et in aenigmate, possideamus illic aperte sanctum sanctorum in coelo. Nos igitur Domine servi tui viles, imbelles et infirmi, qui longe eramus a te, et quos per multitudinem benignitatis tuae dignos fecisti ut staremus et administraremus coram te, ministerium hoc tremendum, gloriosum et praeclarum, simul deprecamur divinitatem tuam adorandam, et renovatricem omnium creaturarum.

Et veniat Domine gratia Spiritus [12] sancti, habitetque et requiescat super oblationem hanc quam offerimus coram te, et sanctificet eam et faciat eam, panem scilicet, et calicem hunc, corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, transmutante ea te, et ea sanctificante per operationem Spiritus sancti: ut susceptio mysteriorum istorum sanctorum, sit omnibus ea accipientibus, ad vitam aeternam et ad resurrectionem a mortuis, ad expiationem corporum et animarum, ad illustrationem cognitionis, ad confidentiam coram te, et ad salutem aeternam, de qua loculus es nobis per Jesum Christum Dominum nostrum, ut omnes invicem conjuncti simus per unanimitatem, per unum vinculum caritatis, et pacis, simusque unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostrae. Nec ullus quisquam illud edat, et bibat ad condemnationem corporis sui et animae suae: neque sit ipsi in morbum aut infirmitatem ob peccata sua, eo quod comederit ex hoc pane, et biberit ex hoc ca-

lice, cum esset indignus. Verum roboretur, et confortetur in omnibus quae tibi sunt placita: ut digni simus cum conscientia pura communicandi corpori et sanguini Christi tui. Ut quando stabimus coram te in illo tribunali tremendo et glorioso, coram throno majestatis tuae, inveniamus misericordiam et gratiam, fruamurque bonis futuris, non transituris, cum omnibus qui a saeculo placuerunt tibi: per gratiam et miserationes Unigeniti tui: cum quo tibi Domine, gloria, honor, potestas et exaltatio, cum Spiritu tuo vivo sancto et vivificante, nunc et semper et in saecula saeculorum.

Reliqua perficiuntur secundum Liturgiam Apostolorum.

Canon qui dicitur loco illius orationis quae incipit.

Dignos fac nos Domine, *ante Orationem Dominicam.*

Domine habitare fac tranquillitatem tuam inter nos, pacem tuam in mentibus nostris: veritatem tuam commemoret lingua nostra: crux tua sit custos animarum nostrarum: quippe facimus ora nostra citharas novas, et canimus labiis inflammatis. Praesta nobis Domine, ut cum fiducia quae a te sit, pronunciemus coram te orationem istam puram et sanctam, quam docuit os tuum vivificum discipulos tuos sanctos participes mysteriorum tuorum, cum dixit, quando orabitis, dicite sic orantes, gratias agentes, dicentes, et respondentes, Pater noster qui es in coelis, etc.

Oratio post susceptionem mysteriorum.

Quia accepimus corpus tuum manifeste, habitet in nobis virtus tua secreto, ut exeamus in occursum tuum laetanter, terque tibi canamus gloriam, cum veris filiis mysteriorum tuorum, Domine omnium.

Corpus tuum Domine vivum quod comedimus, et sanguis tuus purus quem bibimus, ne sit nobis Domine in nocumentum aut infirmitatem, sed ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum Domine omnium.

Obsignatio mysteriorum seu ultima benedictio quae dicitur ad ostium cancellorum.

Ei qui expiat delicta nostra per corpus suum, et delet peccata nostra per sanguinem suum, laus sit in Ecclesia ejus: et super vos servos Domini et oves pascuae ejus effundat bona sua, et pluat super vos benedictiones suas: liberet vos a malo, et potestatibus ejus: faciat vos vasa praeclara ad honorem divinitatis suae: avertat a vo-

bis tribulationes et afflictiones mundi hujus: et misericordia et gratiae ejus effundantur super vos perpetuo, nunc et semper.

Alia. Ipse bonus Rex omnium Regum, et Dominus dominantium, cujus solium tremendum Angeli circumdant, et cujus majestatem millia millium laudibus celebrant: cujus vultus splendorem intueri non audent: ipse vos benedicat omnibus benedictionibus utriusque Testamenti veteris et novi. Ipse vos benedicat omnibus benedictionibus quibus benedixit Abraham Isaac, Isaac Jacob, et duodecim tribus: ipse sit vobiscum et inter vos, sicut fuit cum Joseph in terra Aegypti, parcatque delictis et peccatis vestris, sicut pepercit delictis David. Audiat vocem orationum vestrarum, sicut exaudivit supplicationem Ninivitarum: exaudiat vos in temporibus tribulationis, sicut exaudivit Jonam ex ventre ceti: liberetque vos a malitia hominum improborum et invidorum, sicut liberavit Danielem a Babyloniis: habitare faciat in domibus vestris, et in animabus vestris, similitudinem ejus benedictionis quae fuit in tabernaculo Sem, rorem suum singulariter demittens super vos: dignosque vos efficiat Dominus et Deus noster illa promissione non fallaci, quam in Evangelio suo pronuntiavit discipulis suis dicens, Amen amen dico vobis quicumque manducat corpus meum, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo: et ego resuscitabo eum in novissimo die, et in judicium non venit, sed transit a morte ad vitam aeternam. Ipse benedicat congregationem nostram, custodiatque statum nostrum: sanet vulnera nostra, et mundet conscientias nostras, instilletque rorem gratiae et misericordiae suae super animas nostras: quietem et pacem suam inter nos stabiliat, simusque obsignati et custoditi signo vivo crucis, ab omnibus nocumentis, per orationem Dominae Mariae beatae, et per orationem omnium sanctorum Domini nostri qui illi placuerunt, et placent, nunc et semper.

Alia Oratio diebus Festis dicenda.

Ipse qui vos benedixit omnibus benedictionibus in coelo per consortem humanae naturae nostrae, invitavitque nos et vocavit ad regnum voluptatis perpetuae, coetui Apostolorum suorum promissionem edidit, verbumque per amen obsignavit, adeo ut dubium in illo non sit. Amen, Amen dico vobis, et per amen verba mea confirmo, quicumque manducat corpus meum vivificum, et bibit sanguinem

meum calicem salutis, delicta illius omnia dimittam, et peccata ejus delebo, ad regnum illum vocabo, et bonis meis perfrui illi dabo: ipse per gratiam suam benedicat vos, et seminet tranquillitatem suam in vobis: a pressuris vos liberet, et a scandalis salvet vos. Benedicat fructus terrae vestrae, benedicat fructus arborum vestrarum, benedicendo multiplicet possessiones vestras: et benedicat per caritatem suam vitam vestram. Deus hominis Dominus, benedicat universam hanc congregationem: detque fortitudinem infirmo, is ipse qui firmitatem praestat ab initio per signum Christi et Simeonis. Benedicatur sedes Catholici Domini N. et justitia in ea splendeat. Pater plenus dignitate, Pastor et Dominus gregis D. N. plenus modestia, custodiatur a malitia. Custodi Sacerdotes sanctos, Clericos et Ministros, praeserventur a contentionibus, a daemoniis, et ab hominibus malignis. Antiquis dierum senibus canitie venerandis praestet finem bonum, et vocet illos ad regnum. Aetate floridos viros qui adolescentia adhuc vigent, augeat splendore, et temperantia illos repleat. Natura imbecillae mulieres, virgines et nuptae praeserventur a lapsibus, a laqueis, et a peccatis. Eos etiam qui apud nos sunt alienigenas, et a propriis domiciliis longe positi sunt, Rex aeterne reduc ad sua in pace. Qui sedet in coelo Dominus det nobis placidam tranquillitatem, et pacem bonam et suavem, ut laetemur die ac nocte. Concedat vobis tempora quieta, sitisque in perpetuum exultantes, non turbati, aut agitati, sed in caritate gaudentes. Hic festus dies sit vobis hilaris, populo humilis: Dominus sit protector, et bonorum promissor. Quique congregati estis hodie ad celebrandam hanc oblationem; crux Regis Christi ipsa sit custos vester. Suscipiat Dominus oblationem vestram, sacrificia vestra, et orationes vestras; et adquiescat anima ejus eleemosynis vestris, et ascendat coram eo deprecatio vestra. Gloriosus in coetu Sanctorum D. N. Sanctus conservet vos ab adversa fortuna, a daemonibus et hominibus nequam: Oret etiam pro congregatione ista infirma, paupere et improba, discipulorum tamen illius sancti, ut praeserventur ab omni perturbatione. Illi quoque qui honeste laboraverunt, et in perfectione se exercuerunt in hoc mundo, in pietate conserventur a malitia: nunc, et quibuscumque temporibus, diebus et noctibus, usque in saecula saeculorum.

Alia Oratio.

Domine Deus fortis, suscipiatur haec oblatio, ut ea Abel et Noë beati: Abrahamque et Job justi: Isaac filii promissionis. Tu benedic hunc panem, quem obtulerunt hodie servi tui corde sincero, et voluntate ab omni sorde libera, sicut praecepit autor vitae, per promissionem suam non fallacem, ut ambulemus coram eo ex hac die, tanquam lucerna in caliginoso loco, et pervenire nos faciat ad illam mansionem lucidam et beatam, per orationem hujus congregationis: nunc et semper. Mensae vestrae benedicantur, mortui vestri suscitentur, et bonis coelestis regni digni efficiantur. Gloria sit illi qui omnia suppeditat per gratiam et miserationes suas nunc et semper, et in saeculum venturum.

Alia Oratio.

Laudetur nomen Dei omnium Domini inter nos, quiquo ordinat tempora et occasiones, et super nos infirmos et peccatores: super Ecclesiam sanctam et filios ejus, super patres nostros, fratres, filios et doctores nostros, et super defunctos, qui e medio nostri abierunt, et super omnem fraternitatem nostram in Christo, misericordia, benedictiones, et gratia Dei nostri adorandi, veniant, permaneant, effundantur, et influant, sintque super nos perpetuo nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Alia. Per dexteram tuam Pater noster qui es in coelis, benedic Domine nobis omnibus: conserva et adjuva nos omnes: prosperas fac actiones omnium nostrum: alimenta praebe necessitati omnium nostrum, et laus, honor, gratiarum actio et adoratio referetur tibi ex ore omnium nostrum, et miserationes et gratia tua effundantur super omnia, in nobis omnibus, nunc et semper.

Alia. Suscipiatur Domine Deus noster oratio servorum tuorum imbellium coram solio divinitatis tuae, et sit congregatio haec nostra, placita voluntati majestatis tuae, ad accipiendam ex beneficio tuo incolumitatem corporis, et sanationem animae, tranquillitatem perpetuam, et pacem prolixam cum abundantia rerum ad vitam necessariarum: et concordia caritatis immutabilis et indissolubilis, omnibus diebus quibus subsistet mundus, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Alia. Ipsa manus dextera quae elevata est super quinque panes, ex quibus satiati sunt homines quinque mille, residuique fuerunt decem cophini, eadem requiescat et habitet super hanc mensam servorum tuorum, ut multiplicetur et abundet, stabilis permaneat, neque deficiat: per orationem omnium qui placuerunt tibi.

Alia. Deus omnium Dominus qui saturavit servos suos bonis suis, dicamus omnes gloriam nomini ejus, super mensam istam, et propter eos qui eam praeparaverunt, et super domum benedictam, ex qua productum est hoc alimentum, et pro anima propter quam oblatum est; misericordia et benedictiones, et gratia Dei nostri adorandi veniant, permaneant et effundantur, spargantur et regnent, super nos et super vos cum perseverantia, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

AD NESTORII LITURGIAM NOTAE.

De illius antiquitate et origine diximus in Dissertatione praevia. Extitisse porro istam Liturgiam antiquitus apud Nestorianos, praeter codices manuscriptos, testantur autores Syri, atque inter eos Hebedjesu, qui eam recenset, ut etiam Echellensis ejus meminit. Nota quoque Lusitanis Diamperensibus fuit, qui in synodali Decreto eam usurpari prohibuerunt. Advenae Orientales, qui satis sciunt quanta inter Orthodoxos et Jacobitas nomen istud laboret infamia, delere illud ex libris suis solent, quod in suo Elias fecerat, ut in Joannis transformaret. Codex Josephi Patriarchae titulum alium non habet nisi tertiae Liturgiae. Recentiorem illam esse duabus aliis, ipsi Nestoriani agnoscunt, cum ejus usus communis non sit, sed certis diebus assignatus, ut notatur in titulo. Usus quotidianus certa antiquitatis primae nota est, ut ex aliarum Ecclesiarum exemplis patet. Ita quippe Jacobi Liturgia apud Syros alios praecipua censetur et vetustissima, quia reliquae ab ea preces multas, et communem officii formam accipiunt. Illa ratione Liturgiam quae Apostolorum dicitur apud Nestorianos primam et antiquiorem esse constat, sive ritum veterem Ecclesiarum Mesopotamiae repraesentat, quod satis veri-

simile est: sive eum quem primi illius sectae Antistites, postquam secessionem ab Ecclesia fecerunt, suis sequacibus ordinaverunt, quod longius a vero abesse videtur. Nam Haereticos veterum saeculorum, si eos excipimus, qui Christiani dici vix possunt, videmus disciplinae adhaesisse non minus quam Orthodoxos, etiam cum ab Ecclesia recederent, in illis quae fidem spectabant: jactantes interea traditam a majoribus se illam servare: cum Orthodoxos novitatis accusarent. Itaque Nestorium, sive primos ejus discipulos novam sacrorum formam instituisse non est verisimile: sed nec ipse illius Liturgiae autor videtur, licet nomen ejus praeferat, aut ita existimaverint scriptores aliquot Nestoriani, quorum in rebus adeo remotae antiquitatis autoritas nulla est. Antiqua tamen est, et eo maxime nomine commendanda quod in ea quaedam extant veteris Constantinopolitanae Liturgiae vestigia, ut suo loco notabimus.

2. *In vigilia Doctorum Graecorum.*

Festum diem agunt Nestoriani, feria sexta hebdomadis quintae post Epiphaniam, commemorationis Doctorum Graecorum, qui sunt Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, ut discimus ex insigni Lectionario Persico, ad usum Christianorum Persidis, qui prope omnes in Nestoriana haeresi sunt a multis saeculis. Nempe doctrinam illorum de Incarnationis mysterio, tanquam antiquitus receptam, tenere se profitentur. Eam quoque a duobus primis Nestorium didicisse, non modo Dionysius Barsalibi scripsit in opere adversus sectam illam, sed alii etiam qui eamdem professi sunt. Graecos illos vocant, quia Graece scripserunt, et floruerunt in illis Provinciis, ubi Graeca lingua usurpabatur: cum Syros Patres seu Doctores appellent, eos qui Syriace scripserunt, sive vixerint sub Imperatoribus Christianis, sive sub ultimis Persarum Regibus. Sunt autem Patres Syri duplicis generis: primi enim ad universalem Ecclesiam pertinent, et Orthodoxi fuerunt, ut Ephrem, Jacobus Nisibenus et alii, quos sibi attribuunt, non minus quam tot sanctos Ctesiphontis et Seleuciae Episcopos, Martyres et Confessores. Alteri postquam scissa est Ecclesia, germanissimi Nestoriani fuerunt, ut Narses, Abraham, Hormisdas et alii multi de quibus extat Decretum Diamperensis Synodi, ut memoria eorum ex Diptychis tollatur; quamvis nomina corruptissima sint. Syrorum Patrum festum celebratur feria sexta post Epiphaniam, ex eodem Lectionario; quod observatum quoque est a Fausto Nairono Maronita. *Evoplia p. 20.*

3. *Oratio ante Altare, etc.*

Haec rubrica multa omissa esse significat, eaque ex prima Liturgia peti debent, quae Canon reliquarum est, cum statim occurrat praefatio, quae

Anaphorae, seu, ut veteres Latini dicebant, *Illationis et Oblationis* initium est. Igitur omnia quae hic desunt, non ideirco omittuntur, sed ex Officio communi perfici solent, nempe praeparatio altaris, sacrorum donorum ex Secretario ad Prothesin, et deinde ad altare delatio; variae ad ista preces, scripturarum lectiones, commemorationes aliquot, ipsum tandem pacis osculum, et oratio ad illud propria, quae tamen vulgo reperitur in omnibus aliis Liturgiis, singularis ad unam quamque, non ex communi aliquo officio depromenda. Haec observatio necessaria est, et ex ea neglecta vel ignorata, natae sunt aliquot absurdae de Liturgiis conjecturae. Sic vir eo etiam in genere doctissimus Andreas Masius, cum Syriacam illam interpretatus est, quae Basilii nomen praefert, illam Graecis vulgaribus antiquiorem esse judicavit quod brevior foret. Sed cum incipiat ab Oratione osculi pacis, media saltem ejus pars deficiebat, petenda ex Jacobi vel altera quapiam Liturgia. In ista Nestorii vox Syriaca quae *circulum* significat, non aliter videtur intelligenda, quam quod versione expressimus. Circuitus enim qui hoc loco fieri solet circum altare ritu Orientali, significat id quod vulgo *processionem* vocamus, quae duplex est: una cum Dona consecranda offeruntur ad altare, altera cum Evangelium ad Ambonem defertur, ex quo legi debet. Eam disciplinam exposuimus in notis ad Basilii Liturgiam Coptitam, et cum eadem apud Syros, Aethiopesque observetur, ut apud Graecos, a quibus illam, ut alia omnia, Orientales acceperunt, familiarem quoque Nestorianis esse, pauca caeremoniarum quae in libris extant fragmenta palam faciunt, et ita fieri apud suos Elias et Isa Sacerdotes Mesopotameni nobis olim testati sunt.

4. Supra in excelsis sublimibus, etc.

Observatum est ad praecedentes duas Liturgias, Nestorianis solis proprium esse verborum a quibus Praefatio incipit, paraphrasin adhibere, cum reliquae prope omnes Ecclesiae eadem simpliciter exprimant et Coptitae ex antiquitatis reverentia, illa huc usque Graece pronuncient. In ista Nestorii verbosior quam in duabus alteris est earum formularum explicatio: cujus diversitatis ratio idonea dari nulla potest. Sed quaecumque sit, disquirere parum interest, cum sententia sit eadem. Primae porro antiquitatis esse illam formulam, ne levissima quidem conjectura probari potest, cum non respondeat primorum saeculorum simplicitati, nec reliquis Liturgiis, nec plurimis Sanctorum Patrum, qui eadem verba retulerunt, testimoniis. At praeclarissimum sane illud est quod in ipsis illis verbis continetur de veritate sacrificii Eucharistici testimonium, quo rationes Protestantium Criticorum funditus everruntur. Vulgo enim in Graecorum Liturgiis ullam sacrificii corporis et Sanguinis Christi pro redemptione vivorum et mortuorum oblati mentionem fieri negant; sed *λογικὴν λατρείαν, gratiarum actiones, laudes Dei, eleemosynas in usus pauperum praecipue offerri affirmant:* Verba sunt Davidis Chytraei

in Oratione de statu Ecclesiarum in Graecia et Asia, qua lucubratione nihil fortasse unquam prodiit falsius, indoctius aut infantius. At ne ulla quidem Graeca Liturgia caret illa sacrificii commemoratione, quam pariter repetunt multoties Syri, Coptitae, Aethiopes, omnes tandem Orientales in suis. Graecas recentissimas arbitrantur, adeo ut aetatem illarum ad Alexii Imperatoris aetatem Rivetus revocandam censuerit. Verum Nestorianas quae Criticis illis ignotae fuerunt, majorem aliquot saeculis antiquitatem habere certissimum est. Ita longe ante imaginarias illas Epochas, quas Protestantibus qui similes autores studiose exscripserunt, comminisci placuit, Nestoriani qui ab Ephesini Concilii tempore, nullam cum Orthodoxis Orientalibus, multo minus cum Latinis communionem habuerunt, doctrinam de sacrificio Eucharistico familiarem habebant, et plebi inter sacrorum solemnia inculcabant. Nihil porro simplicius et clarius hoc in argumento dici poterat, quam quae paucis illis verbis exprimuntur. Offerri dicunt Nestoriani Oblationem vivam et rationalem, ita quippe rigidiuscule interpretari praestat, quam accuratiore et ad sententiam magis, quam ad ipsa verba accommodata interpretatione, calumniae locum dare. Mirifica enim est eruditorum quorumdam Protestantium religio in linguis Orientalibus interpretandis ex etymo aliquo Hebraïco, nulla ad stilum Ecclesiasticum habita ratione, a quo tamen vocum ad Theologiam ritusque spectantium significatio non aliunde petenda est. Vox Syriaca קירבנא *Kourbono*, *oblationem* significat; ut etiam *Sacrificium:* ita verti potest *Sacrificium*, non minus quam *Oblatio.* Sed necesse non est, cum vox דבחתא *Debahhto* de qua ambiguitas nulla est Graecae *θυσία* respondeat, et statim subjiciatur, et in Oratione prolixiori post pronunciata Christi verba legatur iterum: *Offerimus tibi sacrificium hoc vivum, sanctum, acceptabile, praeclarum et incruentum.* Dicunt ergo Nestoriani, offerri Deo oblationem vivam et rationabilem, *λογικὴν spiritualem*, ita enim vox ipsa מלילא intelligi debet, ut ex multis versionis Syriacae locis demonstratur. At *Oblatio viva* et *spiritualis* intelligi alia non potest, quam Corpus vivum Christi Domini, quod offertur non sensibiliter, sed spiritualiter. *Victima* etiam non *immolata* dicitur, quia sacrificium incruentum est, absque occisione victimae, quae viva et integra perseverat. Dicitur autem *Oblatio primitiarum nostrarum*, quia Christus primogenitus omnis creaturae, obtulit se ipsum Deo, pro salute humani generis, verus homo, nobis per omnia similis factus, excepto peccato. In eadem oratione per verba sequentia confirmatur eximie vetus Ecclesiae fides de revelatione et annunciatione per Prophetas facta sacrificii Evangelici, praedicati per Apostolos, martyrum testimonio confirmati, quotidianoque Sacerdotum ministerio celebrati, a Levitis, hoc est Diaconis portati, quia Eucharistiam distribuere munus illorum fuit, estque etiamnum in plerisque Ecclesiis Orientalibus. Significatur etiam effectus Sacramenti, cum dicitur: populi illud accipiunt ad remissionem peccatorum, ejusque oblatio pro omnibus creaturis, hoc est pro bonis temporalibus et spiritualibus: pro vivis et mortuis. Quae sit intentio Ecclesiae Nestorianae sufficienter explicat Liturgiae series, cum memoria fiat vivorum et mortuorum, necessitatum spiritualium et temporalium,

omnium tandem quae a Deo legitime peti possunt. In ea porro disciplina inter Nestorianos, Jacobitas et Orthodoxos cujuscumque linguae, discrepantia nulla est, adeo ut qui illam sustulerunt Reformatores, traditioni per universas Ecclesias dum unum ovile esset, receptae, et huc usque perductae, manifesto contradicant.

5. *Diaconus. Recordamini dispensationis, etc.*

Propria est Nestorianis haec Diaconi adhortatio, pia prorsus et secundum intentionem Ecclesiae, nempe ut dum sacra mysteria celebrantur, Christiani in mente habeant salutarem Christi Domini dispensationem, quae institutione Eucharistiae, et Passione completa est. Totam enim illam ἐνσαρκον οἰκονομίαν, Liturgia repraesentari communi consensu docent Theologi Orientales, et caeremoniae omnes significant. Unde nonnulli Incarnationem quamdam fieri in altari dixerunt, eo quod Spiritus sanctus, ut in utero Mariae Virginis corpus formavit, in quo Filius Dei carnem assumsit, ita illabens super oblata, format in illis et ex illis, Corpus Christi et Sanguinem. Hinc etiam altare et discum praesepi Bethlehemitico comparare solent, ut etiam sepulcro: sacra linteamina, illis quibus Corpus Christi involutum est, et reliqua similiter. Illationem donorum consecrandorum, oblationi Christi in templo: circuitum sive processionem quae fit cum defertur Evangelium, praedicationi Christi dum in terris ageret, et Apostolorum qui ex ejus praecepto illud praedicaverunt ubique. Omnia quae ad consecrationem spectant, referunt, et sub oculis ponunt quae ipse in ultima coena fecit. Fractio hostiae, Corporis Christi lacerationem in Crucis supplicio: unio specierum duarum, sanguinis effusionem: elevatio, sublatum in crucem Christi Corpus, et ejus in coelos ascensionem: omnia tandem ipsis caeremoniis repraesentantur, ut illas explicant Rituum Expositores et Theologi. Sequitur tandem in eadem Diaconi exhortatione insinuatio agnitionis mysterii, quo salvi facti sumus per illam salutarem *οἰκονομίαν* nempe quod Christus abstulit, aut sicut verti potest, tulit languores nostros, ut in vulgata versione legitur, et expiavit peccata nostra per aspersionem sanguinis sui in cordibus nostris: ut ita Christiani agnoscant divinum humanae redemptionis opus totum celebratione Eucharistiae repraesentari: tuneque commemorationem quam Christus Apostolis praecepit, rite peragi, quando haec omnia cum fide in memoriam revocantur.

Hom. de Circ. Anni, Ar. Severus de Agno Pasch.

6. *Spiritus sanctus, qui a te procedit, etc.*

Frustra vexantur Orientales a plerisque nostris Theologis, qui de Orientalium dogmatibus scripsere, quasi Graecorum recentiorum opinione impliciti, de processione Spiritus sancti non recte sentirent. Sed nec illi, nec Jacobitae, de illa controversia quidquam audierunt, simplicem et symbolo

Constantinopolitano expositam doctrinam retinentes: additionemque in Occidente factam neque admittentes, neque vehementer impugnantes. Observatum enim est a Melchitis et Jacobitis, Francos sive Latinos, verba *Filioque* symbolo adjicere, nihil ultra dicunt. Nestoriani Theologi ex scriptura sacra, saepe ut in hac oratione, Spiritum sanctum docent a Patre procedere, et a Filio accipere: nec de illa quaestione cum Graecis agitata solliciti fuerunt. De divinitate, consubstantialitate, et aequalitate Spiritus sancti eos accurate loqui, sequentia praefationis verba satis demonstrant.

7. Similitudinem servi accepit, hominem perfectum ... et conjunxit illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore, etc.

In duabus primis Liturgiis nihil reperitur quod ad Nestorianae haeresis significationem pertineat, quodve ad Orthodoxam sententiam levi, nec coacta interpretatione non facile reducatur. At in ista quae vel hoc solo indicio aliis recentior demonstratur, non obscura deprehenduntur erroris indicia. Quod dicitur Dei Filius *assumsisse hominem perfectum ex anima rationali, intelligente et immortali: et corpore mortali hominum*, rectum est, Symbolo quod Athanasii vulgo dicitur, et a Graecis Latinisque recipitur conforme. *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens.* Quae sequuntur licet quodam intelligendi modo vera sint, ex ore Nestorianorum prolata totam illorum haeresin complectuntur. Verum quippe est humanam Christi naturam conjunctam et unitam Deo Verbo fuisse, in gloria, potestate et honore, quia homo ex Virgine natus, factus est Deus ex unione intima et personali, cum Deo Verbo, unde gloria, potestas, et honor illi conveniunt: at unionem in ea sola dignitatis communicatione constituere, propria et ab Orthodoxis non minus, quam a Jacobitis impugnata, Nestorianorum opinio est. Itaque ut alibi fuse probavimus, *Unionem Dei et hominis in Christo, esse docent per voluntatem, conjunctionem, et dignitatis participationem, non secundum naturam et personam.* Ita Elias Catholicus eo nomine tertius in Expositione fidei quam scripsit cum esset Metropolita Nisibenus, et in Disputatione cum Viziro Abulkacimo. Et in alio opere. *Verbum aeternum productum a sapientia creatoris, quod Filius appellatur, estque una personarum trium, habitavit, seu illapsus est, in homine assumto ex Maria Virgine, mediante potentia intellectuali, unitumque illi est per unionem potestatis, benevolentiae, voluntatis, honoris, excellentiae et repraesentationis.* Ita Ebneltaib, Amrus Mathaei filius, et alii prope omnes quorum scripta ad nos pervenere: ut etiam de illis testantur Jacobitae celebres, Severus Aschmoninensis, Barsalibi, Ebnassalus, Abulbircat, et reliqui magno numero. Tandem in Lectionario Persico ad usum Nestorianorum, de quo dictum est alibi, illa verba, *Aequalem se faciens Deo,* explicantur, *secundum honorem, dignitatem et potentiam.* Atque in tali unionis duarum in Christo naturarum expositione consistit

Nestorianorum perversa et ab Orthodoxis damnata sententia. Cum igitur nullam similem in duabus primis Liturgiis reperiamus, non leve inde argumentum de illarum antiquitate ducitur, prae hac tertia quae Nestorii nomen praefert.

Animadvertendum quoque est, totam, ut vulgo vocatur, Praefationem, Graecis, Latinis, Aegyptiacis, et omnibus tandem ita esse similem, ut non modo sententiae sed verba prope eadem sint, alio atque alio ordine disposita. Scilicet commemoratio est beneficiorum Dei erga genus humanum, per creationem, legis antiquae promulgationem, annuntiationem Christi venturi per Prophetas: ejus salutarem dispensationem a nativitate usque ad Passionem, et commemorationem institutae ab eo Eucharistiae, quae simul consecratur ex ejus praecepto et exemplo.

8. *Sanctificavit nos gratia sua per donum Spiritus sancti.*

In his verbis extat luculentum Nestorianae Ecclesiae de Confirmationis Sacramento testimonium, dum agnoscitur gratia sanctificans per donum Spiritus sancti. Cum enim de Baptismo prius dictum sit, *expiavit nos per Baptismum aquae sanctae.* Donum Spiritus sancti ad Myron seu Chrisma referendum est, quod ut apud Graecos confertur dicendo *Signaculum doni Spiritus sancti,* ita Nestoriano Ritu, per haec verba: *Pignus Spiritus sancti,* ut discimus ex Ordine Baptismatis Syriaco Mar Jechuaïab Catholici, quem habemus descriptum ex Codice Eliae Sacerdotis.

9. *Et comedit, etc.*

In Liturgiis Copticis idem legitur, Christum edisse ex pane in corpus suum transformato, et ex calice consecrato, quae ut est opinio Sanctorum Patrum multorum, ita quoque fuit Dionysii Barsalibi, et aliorum Orientalium. In plerisque aliis haec additio non legitur, quando in sacris Scripturis non extat. Eam tamen repraesentant Jacobitica Liturgia Gregorii Abulfaragii, et aliae nonnullae.

10. *Qui inclinat caput suum baptismati.*

Haec particula dicitur in Epiphania, quo in festo, ut in Latina Ecclesia commemoratio fit Baptismi Christi in Jordane a Joanne suscepti; atque ita carere potest omni suspicione haec oratio. At secundum Nestorianos aliud quidpiam significare videtur: existimaverunt enim quod ab antiquis autoribus

proditum est, ut observavit ad Facundi Hermianensis libfum VI. Vir clarissimus Jacobus Sirmondus: Verbum Filium Dei non hominem ex Maria factum, suscepta humana natura, sed in hominem ex Maria natum postea in Baptismo descendisse. Idem testantur Ebnassalus: Yahia F. Adi, Abulbircat, Dionysius Barsalibi, et alii non pauci Orientales Theologi. Ita si quis ad hanc Nestorianorum opinionem ea verba referenda arbitrabitur, habebit in illorum testimoniis non contemnendam autoritatem.

11. Ut memineris ad hanc Oblationem Patrum Patriarcharum, etc.

Inter multa quae Synodus Diamperensis in Angamalensibus Christianis condemnavit, non postrema fuit commemoratio quae hoc loco occurrit Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, et aliorum Sanctorum, tanquam pro illis oretur, ut Deus ipsis velut reliquis fidelibus defunctis quietem praestet, remissionemque peccatorum concedat. Recte sane: id enim habet Ecclesiastica disciplina, ut ait Augustinus: *Quod fideles noverunt cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Neque tamen ea suspicione Nestorianos teneri verisimile est, quam Orientalium qui de Haeresibus, et adversus eos nominatim scripserunt, nullus in illis notavit: sed nec tale quidpiam suspicandi, causa idonea ulla est. Constantissima enim totius Ecclesiae traditio est ea quam Augustini verbis exposuimus, nec ab ea recesserunt Nestoriani, qui variis Orationibus Beatae Mariae et Sanctorum intercessionem petunt, ut patet ex multis quas Horologium, et alii Ecclesiastici libri repraesentant. In illis ne ulla quidem occurrit, in qua pro requie illorum oretur, sed laudantur tanquam victores diaboli et tormentorum, ut prae caeteris S. Georgius et reliqui Martyres. Nec illi soli, sed ad alios preces diriguntur, ut in ista ad Mar Aba unum ex illorum Catholicis, haec leguntur. *Pater noster praeclare et sancte, Mar Aba Catholice, qui operatus es opus justitiae in Ecclesia sponsa Christi, qui dilexisti jejunium et orationem: caritatemque veram habuisti. Is ipse cujus corporis pretiosus thesaurus hic est: petimus ab eo auxilium et sanitatem pro omnibus qui afflicti morbis ad te confugiunt.* Haec oratio et ejusdem sententiae non paucae, ad eos dirigi non possunt, de quorum beatitudine dubitetur. In aliquot codicibus non extat haec quam expendimus oratio: sed cum recentissimi sint, eos emendatos fuisse non dubitamus. Igitur quod verisimilius de hoc argumento videtur, proponemus. Carent, ut alibi dictum est Rubricis Liturgici prope omnes Codices Orientales, sed Nestorianorum maxime. Orationes in quibus memoriae fiunt, in aliis quae accuratius scripta sunt exemplaribus, ut in Graecis et Copticis,

ita distinctae sunt, ut Diaconorum monitio ad singulas sequatur, quae illarum intentionem explicant; aut si prolixiores sunt, eadem intentio ab ipso Sacerdote celebrante explicatur. Ita in Coptica Basilii. *Memento Domine sanctorum qui tibi placuerunt ab initio, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum etc. quorum precibus et obsecrationibus miserere omnium nostrum.* Nec aliter reliquae omnes Liturgiae. Cum igitur ex unico primitivae Ecclesiae exemplari nulla non expressa sit; Sanctorumque commemoratio, quam Nestorianae exhibent, aliis praemittatur, non aliter intelligi potest, quam ubique et semper intellecta est; scilicet ut quod in prima legitur, Deus memoriam habeat patrum piorum et justorum, idque duplici ratione; nempe ut eorum precibus et intercessione obtineat Ecclesia quod petit: et significetur simul Sanctorum communio, quorum ut viventium coram Deo commemoratio fit, et quos ut Ecclesiae super terram militantis membra, sacrificii quo redemtionis suae et nostrae mysteria continentur quasi cooperatores advocat. Ita non ad eos pertinebit ultima orationis pars, quae ad mortuorum memoriam refertur, quod verisimillimum est, quando quidem uno tenore hanc orationem non pronuntiari, constat ex communi disciplina aliarum omnium Ecclesiarum; sed interjici preces plebis, sive Diaconi, similes illis quas Graeci, Coptici, Syriacique codices repraesentant, aut integras, aut primis tantum vocibus designatas. Forma illarum precum, sive adhortationum, ad orationem cum Sacerdote conjungendam illa vulgo est: *Orate pro Ecclesia, pro pace, pro Patriarcha, pro vivis, pro defunctis, etc.* Nulla porro reperitur ad orandum, pro Patriarchis, pro Apostolis, Martyribus et sanctis reliquis. Nestorianos a vetusta disciplina deflexisse, haec sola Liturgiae particula non sufficienter demonstrat, cum ex reliquarum Ecclesiarum exemplo intellecta, nihil quod commodam, quam attulimus, interpretationem respuat, continere videatur. Velle autem ut Diamperenses existimaverunt, a Graecis qui sanctos nondum beatitudinem perfectam consecutos fuisse dicunt, hunc errorem ad Nestorianos manavisse, jactatur facilius quam probatur: quippe nulla ab Ephesini Concilii tempore fuit Nestorianorum cum Graecis communio, aut etiam talis in civili commercio societas, ut alteri ab alteris, quidquam quod ad sacra pertineret, potuerint accipere. Sanctos invocant, eorumque festos dies celebrant Nestoriani, ut ex illorum Horologiis, Beït-Gaza, Lectionario Persico, et historia agnoscitur; illorumque se precibus commendant. Igitur pro illorum salute, et quiete, quod pro aliis faciunt, orare non possunt. Si temporum decursu et in gravissima Christianorum sub infidelibus dominis calamitate, error contrarius antiquam disciplinam infuscavit, emendandus est, nec valet illorum testimonium, ubi a communi omnium fide et regula recessisse deprehenduntur.

12. Et veniat Domine gratia Spiritus sancti, etc.

Habet haec Invocationis formula perfectam cum ea quae in Graecis, Syriacis, Copticisque Liturgiis praescribitur conformitatem sive locus specte-

tur quo dici solet, sive verborum et sententiae similitudo, quamvis in prima Liturgia non extet eo ipso loco, sed antequam pronuncientur verba Christi consecratoria, paucioribusque verbis contineatur. Unde concludi non temere potest, Orientales quamvis Invocationem secundum simplicem verborum sonum intelligant, non tamen, quod vulgo viris doctis alii suaserunt, eam aut omnino necessariam, aut solam effectricem consecrationis agnoscere, quod alibi accuratius exposuimus. Verum id singulariter hac in formula observandum est, quod sola inter tam multas alias haec verba repraesentet, *transmutante ea te, et sanctificante per operationem Spiritus sancti:* *μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ*, quae leguntur in Graeca Liturgia Chrysostomi. Statim vero notandum est, Syros illud verbum *μεταβαλὼν*, quod praeteriti significatione recentiores multi intelligendum esse contendunt, aliter accepisse, cum per participium expresserint, ea particula determinatum, quae praesentis temporis characteristica est: Aoristos porro Syriaca lingua ignorat. Insigne quoque nec dubium haec formula continet antiquitatis istius Liturgiae, simulque originis ejusdem indicium. Nam *μεταβαλὼν* in sola Chrysostomi Liturgia legitur: ea autem erat Constantinopolitanae Ecclesiae quam Nestorius obtinuerat, propria. Non inaniter igitur ejus nomine Liturgia designatur, quae certum et singularem habet Ecclesiae cui Episcopus ordinatus fuerat characterem, qui si ab eo scriptam illam esse non plane demonstrat; tamen a primis ejus discipulis qui Constantinopoli fugerant, conservatum fuisse verisimile omnino est, unde confirmatur Liturgiae illius antiquitas. Eam tamen duas alias non superare inde constat, quod illae, prima praesertim quae Apostolorum dicitur, in quotidianis Officiis usurpantur; altera certis tantum diebus: unde vetustiorem primam esse apparet, cum ut mox dictum est usus quotidianus nota sit antiquitatis certissima.

Ex illa autem particula Invocationis Spiritus sancti, firmissimum ducitur adversus Protestantes argumentum de fide Nestorianorum circa veram realemque transmutationem elementorum in corpus Christi et sanguinem. Quippe Syriaca vox veram transformationem significat: fieri autem illam agnoscunt per Spiritum sanctum: hoc est divinitus et summo miraculo; non ut in fideles adveniens, faciat, ut convertant per fidem elementa in corpus et sanguinem Christi, adeo ut medium, quod vulgo Protestantes dicunt, quo accipiuntur, fides sit: sed ut ipse Spiritus sanctus afficiat dona proposita atque illa transmutet, ut aliud fiant quam quod videntur; et quod prius fuerant. Illa vero miraculi plena operatio accurate in eadem oratione distinguitur, ab altera gratia quam Ecclesia postulat, quae est ut Eucharistia, *sit omnibus accipientibus ad vitam aeternam, etc.* adeo ut vel inde manifestum sit Bessarionem, Arcudium et reliquos, qui ad fructum ex susceptione Sacramenti percipiendum, totam Invocationis sententiam referri volunt, testimonio Nestorianorum, qui hac in parte haeretici non sunt, prorsus refelli.

Benedictiones quae sequuntur, et quibus Liturgia concludi solet in plerisque MSS. codicibus, tertiae huic Liturgiae subjiciuntur; illarum praecipuas reperimus ad calcem Missae Christianorum apud Indos sive Malabaricae, quam solam Lusitani Latine ediderunt. Sed non magis ad unam, quam ad alias pertinet: cum in hoc Ritu, ut in Syriacis et Copticis, plures similes benedictiones occurrant, non tamen omnes dicendae, sed seligendae ad Sacerdotis arbitrium.

ERRATA.

Pag. 6, l. 13: *Ephraemitica*, lege *Ephremitica*. Pag. 9, l. 17: *Ephraemiticum*, lege *Ephremiticum*. Pag. 60, l. 1: *suam*, lege *suas*. Pag. 61, l. 39: *repondeat*, lege *respondeat*. Pag. 64, Margin.: *ale*, lege *sale*. Pag. 128, l. 30: *es*, lege *est*. Pag. 263, l. 34: *domine*, lege *Domine*. Pag. 265, l. 20: *miserircodiam*, lege *misericordiam*. Pag. 318, l. 1: *speciamur*, lege *speciantur*. Pag. 375, l. 19: *Elevat*, lege *Elevans*.

INDEX

RERUM, QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A.

Abraham Echellensis notatur. 72.
Abulfergius Ebnel Taib. 468.
Adaeus et Maris Mesopotamenorum Apostoli. 562. 592.
Non ex sola Nestorianorum, sed aliorum traditione. 593.
Adoratio Eucharistiae. 113. 607.
Alcoranus citatur a Nestorianis. 101.
Altaria. 52. 56.
Eorum consecratio. 56.
Amida urbs Syriae. 453.
Anaphora. 45. 73.
Anaphora velum quod Graeci ἀέρα vocant. 61.
Angeli de illis multa. 79. 469. 491. 510. 525. 539.
Angeli custodes. 546.
Antimensia. 56.
Apostolorum Liturgia. 170.
Nestoriana ejusdem tituli. 578. 594. 597.
Armenorum Patriarcha. 65.
Audientium, catechumenorumque expulsio. 10. 71.
Azyma rejiciunt Orientales. 64. 66. 353.
De illis disputatio cum Latinis Constantinopoli. 66. 353.
An intelligantur per panem simplicem. 343.

B.

Bagdad, quando condita. 407.
Baptismus Haereticorum a quibusdam Orientalibus rejectus, et erroris illius causa. 293.
Bardaa urbs. 341.
Bardai sive Baradatus. Jacobus unde dictus. 341.
De eo. 344.
Barsalibi (Dionysii) Liturgia depravatam habet Verborum Christi formam. 82.
Illa tamen necessaria esse judicavit. 84.
Ejus sententia de Invocatione Spiritus sancti. 90.
De Paschate legali a Christo celebratio. 296.
Barsomae nomen in Diptychis Missalis Chaldaici. 48. 64. 99. 103. 143.
Barsoma Nisibenus Nestorianus. 99. alius. 99.
Basilii Liturgia. 543.
Gregorio conjunctim tribuitur. 557.
Masii de illa judicium refellitur. 558.
Bigneus (Margarinus) de Mose Barcepha hallucinatus est. 592.
Boderianus emendatur. 53. 55. 63. 68. 91. 343.
Bolnan urbs Syriae. 367.

C.

Canones in Liturgia Cyrilli quid significent. 285. 278.
Versionis Arabicae ejusdem nullus ad altare usus. 284.
Canonum vetus Syriaca Versio. 95.
Cardou Insula. 505.
Catechumenorum etc. expulsio. 10. 71. 595.
Catholica Diaconi oratio. 39. 110. 596. 598.
Catholicus Romogyreos. 408. 505.
Cerei ad Liturgiam. 52.
Chrisma sanctum. 302. Est sacramentum Confirmationis. 307. 638.
Chrismatis sigillum. 373. 381. 512.
Christus in Liturgia oblatus. 7. 10. 29. 40. 57. 58. 340. 345. 367. 427. 482.
Christus sacrificium. 17.
Vere praesens in Eucharistia. 22. 26. 28. 29. 43. 111. 141. 306. 368. 450. 467. 485. 493. 529. 541. 628.
Immolatus coram nobis. 41. 609.
Christus sacramento quod instituit communicavit secundum Orientales. 81. 171. 371. 381. 470. 506. 511. 547. 553.
Chytraeus (David) refellitur. 641 et 642.
Clementis Liturgia. 186. 199.
Cochlear Liturgicum. 13. 112. 120.
Codices Liturgici veteres rari. 45.
Rubricis carent. 51.
Communio sub una specie. 123. 370. 603.
Communionis distributio. 41. 111. 118. 608.
Concilium Carthaginiense sub Cypriano legitimum habitum ab Orientalibus. 293.
Confessio peccatorum ante Liturgiam. 50.
Confessio fidei de Eucharistia. 495.
Cyrilli Liturgia. 274. 284.

D.

Diaconi vulgo in Liturgia Epistolas legunt. 7. 19. 68.
Diaconissarum Officium in distribuenda faeminis Communione. 124.
Dialogi Gregorii I. dudum Arabice conversi. 107.

Diamperensis synodi censurae inofficiosae. 299. 568. 570. 596. 606.
De forma consecrationis. 601. 603. 618.
Diodori nulla apud Nestorianos Liturgia. 616.
Dionysii Atheniensis Liturgia. 201.
De eo et ejus operibus quae sit Orientalium traditio. 211.
Dionysii Barsalibi Liturgia. 448.
Ejus opera. 451.
Dioscori Liturgia. 285. 295.
Dioscori Gordyaeorum Episcopi Liturgia. 489.
Diptycha. 94. 100.
Eorum forma multiplex. 96.
Canon appellantur aliquando. 285.
Doctores Ecclesiae quos agnoscunt Jacobitae. 102.
Doctorum sanctorum Liturgia. 409.

E.

Ebn Botlan Bagdadensis scripsit adversus Azyma. 353.
Elevatio Eucharistiae. 22. 114. 123. 139. 168.
Non fit in Oriente statim post Christi Verba. 81. 567. 603.
Elias Catholicus Nestorianorum docet in Eucharistia mutationem fieri substantiae in substantiam. 571.
Quomodo unionem naturarum explicet. 636.
Evangelii lectio. 9. 20. 594.
Evangelii lectio vulgo fit a sacerdotibus. 69.
Eucharistia vere Corpus Christi. 312. 316. 318. 352. 367. 370. 374.
Fermentum vitae. 352. 365.
Eustathii Liturgia. 234. 239.
Eutychi anathema dicunt Jacobitae. 296.

F.

Fermentato pano ad Eucharistiam utuntur Orientales plerique. 65. 262. 272. 347.
De eo varii tractatus. 353.
Fides Patrum liber celebris apud Jacobitas. 102. 233. 269. 307. 367.
Flabella sive *ριπίδια* Syri usurpant. 80.
Fractio hostiae. 38. 41. 66. 80. 109. 111. 138. 140. 589. 604.

G.

Graeci verba Christi ad consecrationem necessaria existimant. 83. 85.
Graecorum recentiorum opinio de Invocatione Spiritus sancti Liturgica, Orientalibus ignorata. 89. 161.
Eorum absurdae opiniones de statu animarum separatarum. 105.
Orientalibus incognita. 105.
Gregorius Abulfaragius. 342. 468.
Ejus Liturgia. 455.
Ejus opera. 468.
Gregorius Catholicus autor brevioris Lit. S. Jacobi. 132.
Cur facta fuisse videatur. 133.

H.

Hierosolymitana Ecclesia quomodo omnium mater. 94. 128.
Apud Nestorianos Metropolis tantum est. 95.
Hyde (Thomas) de Magorum superstitione refellitur. 271.

J.

Jacobi Apostoli memoria. 208. 218. 488. 532. 552.
Jacobum Liturgiam scripsisse existimant Syri. 71.
Ejus Liturgia brevior. 126.
Jacobi Baradati Liturgia. 332. 337.
De eo. 341.
Jacobi Edesseni Liturgia. 370.
De eo. 379.
Jacobi Serugensis Liturgia. 356.
De eo. 366.
Jacobitae unde dicti. 102. 213. 366.
Eutychiani non sunt. 296.
Ignatii Martyris Liturgia. 214. 225.
Ex epistolis ejus excerpta extant apud Syros. 225. 488.
Intercessio Sanctorum. 36. 96. 129. 130. 180. 209.
Introitus major seu illatio donorum. 60. 596. 634.
Invocatio Spiritus sancti ante Verba Christi. 599.
Invocatio Spiritus sancti realem mutationem firmissime probat. 93. 567. 602.
Invocationis Spiritus sancti variae formae 33. 128. 141. 148. 151. 156. 161. 172. 178. 191. 205. 217. 228. 236. 245. 256. 263. 277. 289. 302. 312. 323. 330. 336. 360. 374. 384. 393. 402. 412. 426. 440. 449. 460. 476. 494. 512. 529. 540. 549. 558. 586. 615. 619. 627. 640.
Ejus sententia. 88 et seq. 272.
Invocationi totam vim consecrandi Graeci non attribuunt. 83. 85. 133. 254. 601. 606. 619.
Joannis Evangelistae Liturgia. 163.
Altera ejusdem tituli Aethiopica. 169.
Joannis nomen habuerunt plures Antiocheni Jacobitarum Patriarchae. 486.
Joannis filii Maadni Liturgia. 508.
Joannes Patriarcha Magnus autor Liturgiae. 419.
Joannis Acoemeti Liturgia. 472. 486.
Joannis Barsusan Liturgia. 47.
Joannis Basorensis Liturgia. 420.
Joannis Chrysostomi Liturgiae. 242. 253. 255.
Julii Romani Liturgia Jacobitis celebrata. 74. 226. 233.

L.

Lanceola sive *ἀγία λόγχη* Orientales non utuntur. 60. 66. 604.
Lapidis inscriptio Sinico-Syriaca. 575.
Lectiones ex Sacra Scriptura in Liturgia. 68.
Duplici lingua fieri solent. 69.

Litaniae nostrae nullam cum diptychis habent affinitatem, quod Scaliger existimabat. 96.
Liturgia vocatur Sacrificium. 28. 30. 31. 34. 36. 39. 51. 150. 170. 176. 179. 202. 261.
Liturgia S. Jacobi. 29. 73.
Commentarii in illam. 74.
Liturgiae privatae pro poenitentibus. 52.
Liturgiae omnes ab Episcopis compositae aut illis attributae. 311.
Ludolfus refellitur. 114.
Lusitani censores multa in Liturgia Malabarum mutaverunt. 565.
Formam Verborum Christi. 567.

M.

Mabouge est Hierapolis. 307.
Malabaricae Ecclesiae utuntur Liturgia Nestorianorum. 563.
Nullos habuerunt sacros nisi Syriacos. 576.
Marci Liturgia. 176.
Plures eo titulo. 184.
Margarita particula Eucharistiae. 112. 122.
Masius (Andreas) de aetate Mosis Barcephae refellitur. 389.
De Versione Liturgiae Basilii ab eo facta. 557.
Mariae Virginis intercessio. 220.
B. Mariae invocatio. 98. 136. 137. 150.
An pro illa et Sanctis oraverint Orientales. 68.
Martyropolis Arabibus Miafarekin. 269.
Maronis laudes adjunctae in Missa Xysti. 241.
Nomen in Diptychis. 269.
De eo 343.
Maronitis propriae non sunt Liturgiae Missalis Chaldaici. 46. 142. 185. 274. 352.
In rebus suis exiguae sunt fidei. 380.
Mathaei Pastoris Liturgia. 346.
De eo. 352.
Marutae Liturgia. 260.
Quis fuerit. 269.
Canones in Perside promulgavit. 271.
Michaelis Antiocheni Liturgia. 437.
De eo. 447.
Ministerii Diaconi liber. 47.
Missa Malabarica seu Christianorum apud Indos est versio primae Nestorianorum Liturgiae. 571.
Missalis Chaldaici Liturgiae interpolatae. 48.
Mofrian dignitas apud Syros. 270. 468. 505.
Mortuorum memoria, et orationes pro illis. 37. 39. 104. 137. 150. 158. 167. 173. 181. 196. 208. 221. 226. 230. 254. 266. 292. 304. 321. 338. 350. 363. 376. 395. 404. 415. 443. 450. 461. 486. 499. 516. 533. 587. 615.
Mosis Barcephae Liturgia. 390.
De eo. 397.
Mosis Barcephae opinio de Sanctorum animabus. 107.
Muhamed laudatus a Nestorianis. 100.
Mysterium fidei additum in Missali Chaldaico. 81.

N.

Naironi (Fausti) conjectura refellitur. 85. 100. 161. 343. 379. 453.
De Joanne Darensi judicium. 342.
Nestorii nomine Liturgia. 561. 620. 632.
Transmutationem docet. 570.
In ea sunt quaedam Nestorianismi notae. 572.
Nestorianorum Liturgiae. 561. 564.
Earum forma. 569. 592.
In illis magna simplicitas. 563. 574.
Prima videtur antiquior Nestoriana haeresi fuisse. 564.
In illa Invocatio Spiritus sancti praemittitur Christi Verbis. 573.
Dicitur SS. Apostolorum. 578. 592.
Vix quidquam habent quod haeresin redoleat. 565.
Nestoriani ubique Syriace sacra faciunt. 575.
Festum agunt Doctorum Graecorum, et Syrorum. 633.
Nestorianorum opinio de Incarnatione. 635.
Nestorianis error attributus circa Eucharistiam. 507. 605. 608.
Nicaeni Canones Arabici. 95.
Nomina aliquando mutata ab Episcopis in ordinatione. 408.

O.

Oleum et sal cum fermento Syri in pane Eucharistico miscent. 64. 126.
Oratio Dominica. 112.
Orationes pro Sanctis in Liturgia Nestoriana quomodo intelligendae. 639.
Orationes super Eucharistiam jam consecratam in antiquis Latinis Missalibus occurrunt. 92. 143.
Card. Bonae de illis sententia. 93.
Orationum varia genera in officiis sacris. 67.
Ordo communis Liturgiae Syrorum Jacobitarum. 1.
In paucis codicibus reperitur. 16.
Opus cujuscumque ignis probabit, an de Purgatorio intelligendum. 330.
Osculum pacis. 30. 76. 131.

P.

Panis Eucharistici varia nomina. 59. 62.
Ejus praeparatio. 64.
Panis perfectus. 342. 353. 426. 526. 539.
Particularum Eucharistiae varia nomina. 112. 122. 123. 144.
Pascha legale a Christo celebratum. 84. 156. 287. 296. 301. 307. 311. 372. 623.
Peccata Sacerdotis an frustrentur consecrationem. 297.
Pelagii haeresis Orientalibus parum cognita. 331.
Petri Apostolorum principis Liturgia. 145. 153.
Altera eodem titulo. 155.
Philoxeni Liturgia. 300. 306. 309.
Alterius Episcopi Bagdadensis Liturgia. 399.
Eleazar dictus fuit. 407.
Poenitentiae apud Syros ratio. 50. 71.
Praefatio. 78. 598. 611. 620.
Praeparatorii ritus ad Liturgiam. 49. 53.
Praesanctificatorum Missa. 85.

Ejus singularis forma in Codicibus Orientalibus nulla est. 85.
Prothesis sive Credentia. 54.
Prooemia non respondent Praefationibus. 79. 97.
Purgatorii opinio cum Oratione pro mortuis conjuncta. 106.

R.

Regum Fidelium commemoratio et orationes pro illis. 34. 100. 129. 150. 157. 166. 173. 180. 193. 219. 246. 257. 265. 303. 325. 331. 337. 344. 349. 362. 375. 394. 413. 450. 462. 479. 497. 514. 531. 551. 625.
Reliquiae Sanctorum. 507.
Ritus Orientales ex Graecis deducti. 46.

S.

Sacramentum adorandum. 20.
Sacrificium Eucharistiae offertur pro mortuis. 43.
Sacrificium Liturgiae. 218. 255. 261. 323. 338. 345. 361. 391. 393. 402. 410. 415. 443. 445. 464. 513. 523. 544. 610. 611. 613. 617. 620. 624. 634. 635.
Salmasius refellitur. 107. 369.
Sancta sanctis. 40. 114. 140. 159. 607.
Sanctorum commemorationes. 35. 96. 129. 150. 157. 167. 173. 194. 220. 237. 249. 265. 280. 291. 303. 314. 337. 349. 363. 375. 404. 414. 430. 442. 450. 463. 480. 497. 515.
Sanctorum animae an beatitudine nondum fruantur. 105. 195. 201. 331. 640.
Severus Antiochenus. 230. 266. 291. 330. 363. 481. 515.
Ejus Liturgia. 320. 329.
R. Simonis opinio de Invocatione Spiritus sancti refellitur. 83. 144. 161.
Spiritus sancti processio. 72. 137. 144. 273. 354.
Ex Patre per Filium. 151. 199.
Accipit a Filio. 264. 349. 533. 540.
Spiritus sancti illapsus in dona proposita. 33. 39. 90. 137. 140. 165. 172. 182. 191. 205. 217. 229. 236. 240. 245. 263. 289. 313. 393. 402. 412. 441. 460. 494. 506. 529.
Spongia. 60.
Symboli publica in Liturgiis recitatio. 10. 72.
Synaxaria Coptitarum. 77.

T.

Tabularum altaris consecratio. 56.
Takrit sedes Catholici Persidis et Armeniae. 270. 342. 408. 468. 505.
Theodori Mopsuesteni Liturgia. 569. 610. 615.
Accusatus a Leontio quod Liturgiam scripserit. 576.
Interpres cur dictus. 616.
Thomae Heracleensis Liturgia. 383.
Quando vixerit. 389.
Thronus altaris quid sit. 52.
Tituli Liturgiarum falsi earum autoritatem non minuunt. 153.
Saepe fallaces. 259.
Transmutatio panis et vini in Liturgia. 263. 360. 449. 494. 627.
Transmutatio elementorum in Eucharistia explicatur ab Orientalibus per comparationem cum Mysterio Incarnationis. 89. 93. 368. 507. 540. 636.
Trisagium. 69.
Additio illi hymno facta a Jacobitis. 70. 594.

V.

Vasa sacra. 60.
Vela disci et calicis. 61.
Verborum Christi Sacramentalium formae. 32. 79. 127. 135. 164. 177. 189. 204. 216. 227. 235. 244. 256. 262. 277. 287. 301. 311. 322. 334. 359. 368. 373. 392. 400. 411. 424. 439. 458. 475. 492. 526. 547. 613. 623.
In Missali Chaldaico mutata. 80. 175.
Verborum Christi forma in aliquibus Liturgiis depravata. 82. 143. 160. 347. 353. 384. 449. 454.
Id factum videtur librariorum culpa. 84. 354.
Vestes sacrae ad Liturgiam celebrandam. 50. 54. 57.
Vigiles Angeli. 334. 342. 401.
Vinum quale consecretur. 67.
Una natura in Christo secundum Jacobitas. 338. 345. 423.
Unctio tabularum altaris ex Chrismate. 57.
Unio duarum naturarum in Christo secundum Nestorianos. 622. 637.
Unio duarum specierum et obsignatio ante communionem. 38. 108. 604.
Ritus singularis Nestorianorum in ea facienda. 605.
Voces multae stili Ecclesiastici ex origine Graeca debent explicari. 331. 355. 369. 635.

X.

Xysti Romani Liturgia. 134.
Ad eam Ordo generalis accommodatus est in quibusdam Codicibus. 142.

Digitized by Google